Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

VERITAS
RELIGIONIS CHRISTIANÆ

CONTRA

Atheos Polytheos Idololatras Mahometanos & Judæos

Ex Devictis Hæreſibus directè ejus Veritatem impugnantibus

DEMONSTRATA

PER

FR. VINCENTIUM LUDOVICUM GOTTI

ORDINIS PRÆDICATORUM

In Bononienſi Univerſitate Controverſiarum Fidei Profeſſorem

NUNC

S. R. E. CARDINALEM.

TOMUS VII.

PARS IV.

De Hæreſibus à Seculo VIII. uſque ad XV.

ROMÆ, ex Typographia Bernabò, MDCCXL.

SUPERIORUM PERMISSU.

Digitized by Google

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

Digitized by Google

ELENCHUS

Hæreſum, quæ in hujus ſeptimi Tomi Parte IV. referuntur & confutantur.

CAPUT LXXX.

De Iconoclaſtis.

§. I. *Hæreſis ortus ſub Leone Iſauro.* pag. 1
§. II. *Hæreſis progreſſus ſub Conſtantino Copronymo & Leone filio.* 9
§. III. *De SS. Imaginum reſtitutione ſub Conſtantino & Irene, & de Synodo VII. Œcumenica.* 14
§. IV. *Imaginum uſus antiquus.* 17
§. V. *Imaginum uſus & cultus probatur.* 23
§. VI. *Iconomachorum objecta ſoluta.* 28

CAPUT LXXXI.

De Aldeberto, & Clemente.

§. I. *Utriuſque errores.* 32
§. II. *Utriuſque damnatio.* 34

CAPUT LXXXII.

De Felice & Elipando.

§. I. *Qui fuerint, & in quo primariò erraverint.* 36
§. II. *Præfati erroris Felicis & Elipandi damnatio.* 40
§. III. *Errores alii.* 47

CAPUT LXXXIII.

De Bagnolenſibus & Sergiotis.

§. I. *Bagnolenſes, eorum errores, & de Juramento.* 49
§. II. *Sergiotæ, eorumque errores.* 56

CAPUT LXXXIV.

De Claudio Taurinenſi, & Gotheſcalcho.

§. I. *Claudii Taurinenſis error.* 59
§. II. *Gotheſcalchus, ejuſque errores, & damnatio.* 61

Digitized by Google

§. III. *Quid in cauſa Gothescalchi evenerit.* 64
§. IV. *De Gothescalco aliqua, exitus: & de Thiota.* 65

CAPUT LXXXV.

De Photii ſchiſmate, & Joanne Erigena.

§. I. *Photii ſchiſma.* 67
§. II. *Joannes Scotus Erigena.* 70

CAPUT LXXXVI.

De novis Manichæis, Stephano, & Liſojo & Gandulfo.

§. I. *Stephani & Liſoji errores & damnatio.* 74
§. II. *Gandulfi errores.* 77

CAPUT LXXXVII.

De Berengario.

§. I. *Ejus ingenium, Patria, conditio.* 86
§. II. *Berengarii errores.* 88
§. III. *Hæreſis Berengarii impugnatio, & damnatio.* 91
§. IV. *Contra modernos Berengarianos aliqua.* 96

CAPUT LXXXVIII.

De Roſcelini, Bogomilorum, & Tanchelini erroribus.

§. I. *Roſcelini error.* 100
§. II. *Bogomili, & eorum errores.* 103
§. III. *Tanchelini errores.* 108

CAPUT LXXXIX.

De Petrobuſianis, & Henricianis.

§. I. *Petri de Bruis errores, & exitus.* 110
§. II. *De Henricianis, & eorum erroribus.* 113

CAPUT XC.

De Arnaldiſtis, & Petro Abælardo.

§. I. *Arnaldus quis fuerit, & qui ejus errores.* 117
§. II. *Petrus Abælardus.* 122
§. III. *Errores Abælardo tributi.* 125

CAPUT XCI.

De Gilberto Porretano, & Eone ſeu Eudone.

§. I. *Gilbertus quis fuerit, & qui ejus errores.* 131
§. II. *De Eone ſeu Eudone.* 136

CA-

Digitized by Google

CAPUT XCII.

De novis Apoſtolicis, & Folmaro.

§. I. *Novi Apoſtolici, eorum mores, & errores.* 138

§. II. *De erroribus Folmari.* 144

CAPUT XCIII.

De Waldenſibus.

§. I. *De Auctore, & variis Sectæ nominibus.* 146

§. II. *Waldenſium errores circa Eccleſiam.* 147

§. III. *Errores Waldenſium contra Sacramenta.* 149

§. IV. *Errores Waldenſium circa alia.* 152

§. V. *Waldenſes in varias Sectas diviſi.* 155

§. VI. *Waldenſium ritus, diſciplina, externique mores.* 163

CAPUT XCIV.

De Albigenſibus.

§. I. *Albigenſium ortus, & progreſſus.* 166

§. II. *Albigenſium errores, diſciplina, & mores.* 168

§. III. *Contra Albigenſes ſacra prædicatio.* 174

§. IV. *Sacrum contra Albigenſes bellum.* 180

CAPUT XCV.

De Almarico, ejus Diſcipulis, Abbate Joachim, & Evangelio Æterno.

§. I. *Almarici conditio, & error.* 184

§. II. *Almarici Diſcipulorum errores.* 185

§. III. *Joachim Abbatis error.* 190

§. IV. *De Evangelio Æterno.* 194

CAPUT XCVI.

De Stadingis, Circumcellionibus, & Flagellantibus.

§. I. *Stadingi, eorumque errores.* 198

§. II. *De Circumcellionum erroribus.* 200

§. III. *De Flagellantium Secta.* 202

CAPUT XCVII.

De Guillelmo à S. Amore, Deſiderio Longobardo, & Joanne de Poliaco.

§. I. *Guillelmi errores.* 206

§. II. *Guillelmi errores damnati.* 208

§. III. *Guillelmi in errore ſocii Deſiderius Longobardus, & Joannes de Poliaco; & Impugnatores.* 213

CA-

Digitized by Google

CAPUT XCVIII.

De Petro Joannis Olivi, & Fratricellis.

§. I. *Petri Joannis Olivi conditio, & errores.* 217

§. II. *De Fratricellis.* 219

CAPUT XCIX.

De Hermanno, Geraldo Segarelli, Dulcino, & Beguardis ac Beguinis.

§. I. *De Hermanno, & Geraldo Segarelli.* 225

§. II. *De Dulcino, & Guillelma.* 227

§. III. *De Beguardis & Beguinis.* 230

CAPUT C.

De Arnaldo à Villanova, Lolhardis, Cecco Aſculano, & Ekardo.

§. I. *De Arnaldo.* 233

§. II. *De Lolhardis.* 236

§. III. *De Cecco Aſculano.* 238

§. IV. *De Ekardo.* 240

CAPUT CI.

De Marſilio Patavino, Janduno, & Palamitis.

§. I. *Marſilii & Janduni hæreſes.* 244

§. II. *De Palamitis.* 249

CAPUT CII.

Errores varii.

§. I. *Joannes de Mercuria, & Nicolaus de Ultricuria.* 253

§. II. *Magiſter Simon, Fr. Guido, & Mag. Ludovicus.* 255

§. III. *Bertholdus de Rorbach, Martinus Gonſalvus, Nicolaus Calaber, Berengarius, & Janovezius.* 256

§. IV. *Joannes de Calore, Dionyſius Soulechat, Joannes de Latone, Arnaldus Montanerius, & Turlupini.* 259

CAPUT CIII.

De Raymundo Lullo, & Raymundo Neophyto.

§. I. *De Raymundo Lullo.* 263

§. II. *De Raymundo Terraga Neophyto.* 268

CA-

CAPUT CIV.

De Wichleffi hæreſi.

§. I. *Wichleffi perſona, & hæreſis ad ejus uſque mortem.* 270
§. II. *Wichleffianæ hæreſis errores damnati.* 273

CAPUT CV.

De Huſſitis.

§. I. *Hæreſis origo, Auctores, & furor.* 282
§. II. *Huſſitarum errores.* 287
§. III. *Joannis Hus & Hieronymi Pragenſis damnatio.* 296
§. IV. *Huſſiticæ hæreſis continuatio.* 304
§. V. *Conventiones, ſeu* Compactata *in cauſa Bohemorum.* 308
§. VI. *De Communione ſub utraque ſpecie.* 312

CAPUT CVI.

De Intelligentibus, Adamitis, Joanne Parvo, & Grabon.

§. I. *Secta hominum Intelligentiæ.* 321
§. II. *De novis Adamitis.* 323
§. III. *De Joanne Parvo.* 325
§. IV. *De Fr. Matthæo Grabon.* 328

CAPUT CVII.

De Auguſtino de Roma, quibuſdam Mendicantibus, Petro Oxomenſi, Foſſariis, & Hermano Ruiſſuich.

§. I. *Auguſtini de Roma, & quorumdam Mendicantium errores.* 330
§. II. *De Petro Oxomenſi, Foſſariis, & Hermano Ruiſſuich.* 332

IM-

IMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendiſſimo Patri Sacri Apoſtolici Palatii Magiſtro.

Phi. Archiepiſcopus Theodoſiæ Vicesgerens.

IMPRIMATUR.

Fr. Nicolaus Ridolfi Ordinis Prædicatorum Sacri Palatii Apoſtolici Magiſter.

TRA-

Digitized by Google

TRACTATUS

De victoria adverſùs hæreſes.

CAPUT LXXX.

De Iconoclaſtis.

§. I.

Hæreſis ortus ſub Leone Iſauro.

I. DIABOLUS Chriſtianæ veritatis perpetuus hoſtis, qui præcipua ejus Myſteria ſeptem prioribus ſeculis, ut in anteactis vidimus, invadere tentavit; videlicet auferendo à Deo Unitatem per Valentinum & alios; Paternitatem per Sabellium; à Filio Dei & Spiritu Sancto Divinitatem per Arium & Macedonium; à Chriſto Veritatem, vel Deitatis per Neſtorium, vel carnis per Manichæum, Eutychetem & alios; à B. Maria vel Virginitatem per Jovinianum, vel Dei Maternitatem per Neſtorium, cæteroſque, de quibus egimus: quaſi defatigatus, videnſque tot conatus irritos ſibi ceſſiſſe; ad demiſſiora, ad eorum nempè Imagines ab Eccleſia tollendas animum convertit: ut ſcilicet Divinorum ſpeciebus ſenſibilibus deſtituti, ea quoquè è mente & corde ſenſim Chriſtiani dimitterent. Propterea Iconoclaſtarum, ideſt Imaginum impugnatorum, hæreſim excitavit, ac ut non ſolùm fraude ſeduceret, ſed & violentiâ terreret, à ſummis ſeculi Poteſtatibus eam prodire & ferociâ voluit promoveri.

II. Quamvis adverſus Sacras Imagines Judæi præcipuè quovis tempore bellum indixerint, illud tamen magis apertè ac impiè inſtaurarunt anno Chriſti ſeptingenteſimo vigeſimo tertio: cùm enim *Sarantapechys* Dux Judæorum ex Laodicæa maritimæ Phœnicis oriundus inſignis præſtigiator ad *Jezidum* Arabum Calipham leviſſimi ingenii Principem ſe contuliſſet, apud ipſum Vatem agens, diuturnum illi ſpopondit Imperium ac felicem vitam, modò ex Chriſtianorum, qui ſub ejus ditione erant, Eccleſiis totiuſque Regni ſui finibus, Chriſti ac Sanctorum Imagines deturbaret. Præſtigiatoris promiſſis illectus faciles aures præbuit Princeps imprudentiſſimus, ac Templa expilari, Sacraſque & picturas ubivis deleri è veſtigio juſſit. Chriſtianis ſacrilego Edicto parere recuſantibus, Hebræi & Arabes impia mandata executi ſunt. Verùm non diù inultam reliquit impietatem juſtus Deus. Nam miſer Jezidus poſt ſeſquiannum à perpetrato facinore ſublatus eſt: & *Uzidus* ejus filius Hebræum impoſtorem ceu parricidii reum turpiſſimâ nece mulctavit, Chriſtianis interim in priſtinum ſtatum & cultum Sacras Imagines reſtituentibus. Iſta retulit Joannes Monachus Orientalium Epiſcoporum Vicarius in ſeptima Synodo Act. 5.

III. Non diù tamen illæſus permanſit Sanctarum Imaginum honor. Impietas quippè ab Hebræis in Chriſtianos tranſiit. Cujus incentor fuit Conſtantinus Natoliæ in Phrygia ſalutari Epiſcopus; ab ipſo enim teſte Taraſio Patriarchâ Conſtantinopolitano Act. 4. Synodi VII. hæreſis hæc apud Chriſtianos tragica habuit exordia. Is ob impietatem à ſuis Diœceſanis expulſus in Aulam irrepſit, ac Leonem Iſaurum Imperatorem in Sanctas Imagines accendit. Acceſſerunt & Judæi, quibus Leo jurejurando cùm promiſiſſet ſe conceſſurum quidquid poſtulaſſent, ſi ad Imperium, quod ipſi fuerant vaticinati, evectus fuiſſet, facile fuit ipſum inducere, ut Sanctas Imagines earumque cultum tanquam Idololatriæ reliquias aboleret. Ita ex Cedreno, Zonara, & Conſtantino Manaſſe, Græcis Hiſtoricis.

IV. Anno igitur Chriſti ſeptingenteſimo vigeſimo ſexto, Imperii ſui undecimo, Leo Iſaurus, qui priùs ut Catholicus audierat, impium tulit de Imaginibus abolendis Edictum. Quo promulgato excitatus ingens tumultus à populo fuit. Quare ſibi metuens Imperator ſacrilegum conſilium tegere his verbis ſtuduit: *Non hùc ſpectet mea ſententia, ut eæ prorſùs deleantur; ſed hoc ajo, ſublimiore loco eas locandas eſſe, ne ore quiſquam eas contingat, atque ita quodammodo rebus honore dignis contumeliam inferat.* His artibus impietatem quam meditabatur Leo initio diſſimulavit. Ei

quâ

quâ potuit conſtantiâ obſtitit S. Germanus Conſtantinopolitanus Patriarcha. Ipſi traditionem & uſum Sanctæ Eccleſiæ objecit, religioſam imaginum venerationem à Conciliis probatam, ſolemnia quæ emiſerat promiſſa de non convellendis Eccleſiæ ritibus, cùm Imperator inauguratus eſt, revocavit in memoriam: ipſum per ſacra omnia exoravit, ne ipſo imperante tam impium ſcelus patraretur: adjiciens, Antichriſti fore præcurſorem, qui facinus iſtud committeret. Nullum tandem non movit lapidem, ut à concepta impietate eum averteret. Conſtant hæc ex actis S. Stephani junioris, & ex Cedreno.

V. Verùm S. Patriarchæ monitis nihil permotus, ſed magis exaſperatus Leo Iſaurus in fideles quoſque Imaginum defenſores barbarè ſævire cœpit. Duodecim enim Imperialis Collegii Profeſſores cum Œcumenico Magiſtro, qui ipſis præſidebat, viros pietate & rerum Divinarum ſcientiâ conſpicuos, quorum abſque conſilio quidquam agere præcedentes Imperatores nefas duxerant, cùm in ſuam hæreſim pertrahere non poſſet, imò acerrimos experiretur adverſarios, immiſſo igne in Collegium, vivos combuſſit, & unà cum eis ornatiſſima conflagravit Bibliotheca Nicæna & tria millia voluminum continens: inter quæ admirabile illud erat ex draconis inteſtino confectum, Iliadem Homeri & Odiſſeam aureis literis deſcriptas complexum. Immane hoc facinus referunt Cedrenus, Zonaras, & Conſtantinus Manaſſe, contigitque anno ſeptingenteſimo trigeſimo ſexto.

VI. Non quievit Imperatoris impietas, qui ſicut relicto *Cononis*, quo ante vocabatur nomine, ſuadente quodam perverſore Judæo, *Leonis* nomen aſſumſerat, ita & feritatem; hoc adjecit, ut Salvatoris ſtatuam pervetuſtâ religione celebrem, quæ ad æneam urbis portam in excelſo illuſtrique loco diù ſteterat, indè deturbari juſſiſſet. Hoc audito Regiæ urbis Populus dolore ac irâ percitus, cùm ipſum Leonem ſtatuit invadere, tum plures illius Miniſtros trucidavit, eoſque in primis qui Sacræ Imagini dejiciendæ incumbebant. Quin & ipſæ Orthodoxæ mulieres ſatellitem cui facinoris executio fuerat demandata, è ſcala præcipitem egerunt. Quo factum eſt, ut & ipſæ gladio necarentur; & alii pro pietate pugnantes, exilio, proſcriptione bonorum, ac variis ſuppliciis afficerentur, ut ex actis S. Stephani junioris, & ex Cedreno habetur. Tuncque & illud memoriâ dignum contigit (quod Gregorius Papa tradit in Epiſtola ad Leonem) ut reliqui Chriſtiani Principes cùm à ſuis Legatis, qui Conſtantinopoli apud eumdem manebant, accepiſſent, ipſum in Sacroſanctam Salvatoris Imaginem adeò inſaniiſſe, mox omnes converſi adversus Imperatoris imagines, eas

omnis generis ludibrio & ignominiâ affecerint, ac in ipſum Leonem ejuſque Imperium commoti fuerint.

VII. Sed & eodem anno in Oriente portentoſa Divinæ indignationis ſigna evenerunt, ex quibus, ſi ſapere voluiſſet, facilè potuiſſet Leo Iſaurus tamquam à Deo monitus à cœptis deſiſtere. Etenim æſtivo tempore inter Theram & Theraſiam Cycladas inſulas, primò vapor velut ex camino ignis viſus eſt ebullire ex profundo maris per aliquot dies, qui paulatim incraſſatus & dilatatus, totus igneus apparuit: poſteà verò petrinos pumices grandes, & cumulos quoſdam tranſmiſit per univerſam Minorem Aſiam, & Lesbon, & Abydum, & Maritima Macedoniæ, adeò ut etiam tota ſuperficies maris iiſdem contegeretur, in medio autem tanti ignis nova repentè inſula ex terræ congerie facta, Inſula, quæ *Sacra* dicitur, appellata eſt. Narrat hæc Theophanes. Tali ergo portento prævio decebat tanquam novam furiam apparere hæreſim, quam infernus unà cum globis igneis evomeret. Sed his nihil melior aut mitior factus Leo, adversùs eos, qui ejus furori pro Sacris Imaginibus obſiſtebant, ferociùs rugiebat.

VIII. Præerat tunc Romanæ Eccleſiæ Gregorius II. Pontifex zelo & caritate ſimul ornatiſſimus. Hunc de Leonis hæreſi & in Fideles furore Germanus Conſtantinopolitanus Patriarcha certiorem fecit. Perfidus etiam Imperator ab eo Concilium Œcumenicum poſtulavit, cui infracto animo Gregorius reſpondit (apud Alexandre Hiſt. Eccl. Seculi 8. cap.2.art.1.) *Scripſiſti, ut Concilium univerſale cogeretur, & nobis inutilis ea res viſa eſt. Tu perſecutor es imaginum, & hoſtis contumelioſus & everſor. Ceſſa; & nobis hoc largire, ut taceas: tum mundus pace fruetur, & ſcandala ceſſabunt... Non animadvertis hunc tuum conatum, quo adversùs Imagines inſurrexiſti, facinus eſſe turbulentum, inſolens & ſuperbum? Cùm Eccleſiæ Dei altâ pace fruerentur, tu pugnas & odia & ſcandala ſuſcitaſti. Ceſſa, & quieſce; tum Synodo minimè opus erit.* Indè Pontificiæ ac Regiæ poteſtatis præſcriptos fines recenſens: *Scis*, inquit, *Imperator? Sanctæ Eccleſiæ dogmata non Imperatorum eſſe ſed Pontificum, qui tutò aſſolent dogmata tradere. Idcircò Eccleſiis præpoſiti ſunt Pontifices à Reipublicæ negotiis abſtinentes: & Imperatores ergò ab Eccleſiaſticis ſimiliter abſtineant, & quæ ſibi commiſſa ſunt, capeſſant.*

IX. Paterno huic conſilio tantùm abfuit ut Leo acquieſceret, quin infrendens minas Sanctiſſimo Pontifici intentavit, ſe miſſurum Romam ſatellites, qui S. Petri Imaginem frangerent, qui Gregorium ipſum in exilium deportarent. Cui tamen intrepidè Gregorius reſcripſit: *Si nobis inſolenter inſultes, & minas intentes,*

non

non eſt nobis neceſſe tecum in certamen deſcendere. Ad quatuor & viginti ſtadia ſecedet in regionem Campaniæ Romanus Pontifex. Tum tu vade, ac ventos perſequere. Miſerat Gregorius Conſtantinopolim Legatos, ut ferinum Leonis animum demulcerent: Hos tamen impius ille Jure gentium fracto detruſos in carcerem exilio damnavit, in quo glorioſæ confeſſionis præmium felici morte reportarunt, teſte Nicolao I. in Epiſt. ad Michaelem Græcorum Imperatorem.

X. At nihilo permotus perfidus Imperator in ipſam Gregorii perſonam necem moliri conatus eſt, idque non ſemel, ſed ſæpiſſimè per varios duces ſuos, ſivè in Italia jam exiſtentes, ſivè huc Conſtantinopoli miſſos, tum vi, tum dolo pertentare non ceſſavit; ac effeciſſet, niſi Romani, Veneti, & ipſi Longobardi, alioqui Romanæ Urbis parum amici, egregium amoris & obſervantiæ erga communem Patrem ſpecimen edentes, pro ejus ſalute invigilaſſent adversùs Imperatoris Magiſtratus: quorum multos occiderunt, alioſque expulerunt, paucis operâ ipſius Pntificis harum inſidiarum minimè conſciis ab imminenti periculo ereptis. Sed cùm rursùs Imperator Edictum adversùs Sacras Imagines, quod in Oriente promulgaverat, etiam in Occidentem miſiſſet, Sanctiſſimus Pontifex de hac impietate vitanda omnes quidem pro debito ſui Paſtoralis officii Literis admonuit; ſed cùm audiiſſet univerſam Italiam Concilium iniiſſe de eligendo ſibi novo Imperatore, & junctis copiis ad exturbandum tyrannicum Principem Conſtantinopolim properando, his conatibus fortiter obſiſtens pius Pontifex, eorum impetus cohibuit, quotidianis precibus, jejuniis, & Litaniis incumbens pro converſione Imperatoris, & Imperii conſervatione, volens omnia priùs tentare, quàm ab Orientali ſcindere Imperium Occidentale. De his Paulus Diaconus Lib. 6. cap. 48. & Anaſtaſius in Gregorio II. apud Baronium ad ann. 727.

XI. Sed cùm poſt hæc tanta videret pius Pontifex, ſe incaſſum laborare, & Leonem in deteriora labi, tunc demum accidit, quod ajunt Cedrenus, Zonaras & alii, nempè ipſum Gregorium cum Francis iniiſſe fœdus; quibus conſentiens auctor coævus in Appendice ad Gregorium Turonenſem cap. 10., miſſos ait ea de re Legatos cum muneribus ſacris clavium & catenarum S. Petri, & oblatione Romani Conſulatus ad Carolum Martellum magni nominis Ducem Francorum; ut ſi opus eſſet, in Italiam ſe conferret, ſuſciperetque pro Romana Eccleſia defenſionem adversùs Leonem nefaria contra eam molientem. Francorum erga Romanam Eccleſiam fides atque conſtantia ſæpè cognita, ut Carolum ſibi concilia-

Digitized by Google

ciliaret, Pontificem moverunt. Nec ſpes ſefellit: Siquidem ubi tantum innotuit Orienti, Francos Romani Pontificis defenſionem ſuſcepiſſe, ab ulterioribus contra eum machinis ceſſatum eſt.

XII. Intereà pro Sacrarum Imaginum cultu ſtrenuè pugnare perrexit S. Germanus Patriarcha Conſtantinopolitanus, datis ad diverſos dogmaticis literis. Nòn ſemel cum Leone ipſo Iſauro congreſſus eſt, qui eum *Simolacbricolam* vocans, inflictâ alapâ è Regia exturbavit, gloriatus illum ſe eſſe *Cononem*, quem imagines everſurum fuerat antiquitùs prænuntiatum. Exindè Sancti Patriarchæ exauctorationem moliri cœpit, excogitatis vulgatiſque per Anaſtaſium ejus Syncellum (dignitatis nomen) calumniis, quibus ſeductor traducebatur. Proditionem compertam habuit S. Germanus: Cùmque dum iret in Regiam ipſius ſtolæ oram Anaſtaſius calcaſſet, dixit: *Noli feſtinare*, *Diippus te manet*. Quod re verâ quindecim poſt annos evenit. Nam cùm Leone mortuo Anaſtaſius Artabaſdo potiùs quam Conſtantino Copronymo diadema detuliſſet, Copronymus Artabaſdum aliosque ſui hoſtes in Circo mulctavit, inter quos Anaſtaſium, quem plagis affectum facie retrorſum versâ, equo impoſitum, ac nudum per Diippum juſſit pro ludibrio duci. Quo S. Germani vaticinium impletum fuit.

XIII. Tandem anno 730. Leo convocatis in Aulam quibuſdam ſuæ factionis Epiſcopis, & accerſito etiam S. Germano, ſubſcriptionem impii contra Sacras Imagines Edicti ab omnibus poſtulavit: quam cùm à S. Patriarcha nec precibus nec minis extorquere potuiſſet, ipſum vi manifeſtâ è Solio Patriarchio dejecit. Is verò cedens injuriæ pacato animo Pallium in ſacra menſa deponens: *Si ego ſum*, inquit, *Jonas*, *projicite me in mare*. *Nam extra Univerſalem Synodum novi aliquid de fide ſtatuere nequeo*, *ò Imperator*. Depoſitis Patriarchatus inſignibus, Platanium in domum ſuam gentilitiam ſeceſſit, vitam privatam acturus, cùm geſſiſſet Patriarchatum annis quatuordecim, menſibus quinque, diebus ſeptem. In ejus verò Sedem intruſus à Leone fuit Anaſtaſius Syncellus ejus hæreſi conſentiens, & calumniarum adversùs Germanum machinator. Hæc ex Cedreno & Theophane conſtant. Hic tamen Leonis furor non quievit. Nam paulò poſt S. Germanum è domo ſua in Monaſterium longè diſſitum deportari juſſum, tandem ſtrangulari præcepit propè centenarium. Ejus memoriam utraque Eccleſia die 12. Maji celebrat: ſtrangulatum tamen vitam finiiſſe non dicit.

XIV. His ad Gregorium II. delatis, videns ſalutares monitiones inutiles fuiſſe, Paſtoralis officii zelo permotus Synodum Romæ celebravit, in qua cum vicinis Epiſcopis conſidens ac præſidens Ico-

Digitized by Google

Iconomachorum damnavit hæreſim, & fidem Catholicam de Sacris Imaginibus confirmavit. Anaſtaſium, qui miſerat ad eum Epiſtolam, hæreticum declaravit, repulit; & excommunicavit, ipſumque Imperatorem impœnitentem, hæreticum cognitum, & declaratum diro anathemate percuſſit, omneſque Romanos atque Italos ab ejus obedientiâ & tributorum ſolutione immunes declaravit, quos ante id ſpontè facere tentantes coercuerat. Id Græci Hiſtorici omnes affirmant. Hujus Synodi meminere Hadrianus I. in Epiſt. 1. ad Carolum Magnum, Cedrenus, & Zonaras. Refert Theophanes ab Orientis Epiſcopis promovente Joanne Damaſceno eumdem Imperatorem diro anathemati fuiſſe devotum. Sed his omnibus factum eſt, ut à Leone Eccleſia in Oriente crudeliùs vexaretur.

XV. Nunc quoniam S. Joannem Damaſcenum memoravi, præterire non debeo inſigne prodigium, quod in conteſtationem veritatis fidei Deus per B. Virginem in eo operatus eſt, quod in ejus Vita Joannes Jeroſolymitanus refert. S. Joannes Damaſcenus in Aula Caliphæ Saracenorum dignitate & gratiâ eminebat, adeò ut ipſi à Conſiliis primarius eſſet, & Damaſci præfecturam gereret. Cùm verò fidem adversùs naſcentem hæreſim ſtrenuè propugnaret, ac pro cultu Sanctarum Imaginum in Provincias Imperii literas miſiſſet, & Orationes luculentiſſimas habuiſſet; hoc audito impius Leo malis artibus eum perdere decrevit. Epiſtolâ ergo Joannis interceptâ, aliam characteribus prorsùm ſimilibus à Scribis peritiſſimis exarari juſſit, quæ velut ad ipſum Leonem ſcripta, ipſum invitaret ad Regiam Civitatem Damaſcenam oppugnandam, deditionem ipſi ſpondens. Hanc ad Saracenorum Calipham alteri ſuæ junctam tranſmiſit, quò ipſum in Joannem velut in proditorem Patriæ & Majeſtatis reum accenderet. Nec inanis fuit perfidi Leonis conatus. Caliphas enim Joanni vocato Epiſtolam ob oculos poſuit, ac proditionem exprobravit.

XVI. Joannes, lectâ Epiſtolâ, literarum formas ſuis quidem ſimiles eſſe confeſſus eſt, ſe verò neque Epiſtolam illam ſcripſiſſe, nec de iis quæ in ea continebantur, unquam cogitaſſe conteſtatus eſt. Ejus excuſationes non admiſit, nec purgationem audire voluit Princeps barbarus. Sed confeſtim juſſit illi dexteram amputari: quod factum eſt, & amputata dextera in foro ſuſpenſa. Veſperaſcente autem die jam ſedatos tyranni ſpiritus Joannes conjectans, dolens ad eum acceſſit, orans, ut ſibi amputatam dexteram concederet, ut eâ humi ſepultâ leniretur dolor. Precibus annuit Tyrannus. Dexterâ ergo acceptâ Joannes domeſticum ſacellum ingreditur, totoque corpore pronus ante quamdam Dei Genitricis Ima-

Imaginem provolvitur, admotâque desterâ, quæ abſciſſa fuerat, ad priſtinam ejus commiſſuram, imo de pectore piiſſimam Dei Matrem gemitibus & lacrymis interpellat. Interim ſomno corripitur, & Sacram Dei Genitricis Imaginem videt oculos commiſeratione & hilaritate plenos in ſe convertere, atque affari „ En „ tibi manus ſanata eſt: de cætero ne ceſſa, ſed ſicut modò pol„ licitus es, fac eam calamum eſſe ſcribæ velociter ſcribentis „.

XVII. Evigilans igitur, & manum reſtitutam & ſanatam contemplatus, totum in laudes Deo & Dei Genitricis ſe ſe effudit, totamque noctem in eis altâ voce conſumſit: adeò ut è vicinia Saraceni quidam accurrentes, manumque reſtitutam videntes, increduli ſpargere cœperant, Joanni dexteram non fuiſſe amputatam, ſed cuidam alteri, puta ſervo, miniſtris quibus reſectio imperata fuerat, pecuniâ corruptis. His ergo Caliphæ renuntiatis Joannes accerſitur, & coram eo reſectam manum proferre jubetur. Hanc cùm oſtenderet, lineola quædam Deo ſic diſponente apparebat, quæ manifeſtum erat veriſſimæ inciſionis indicium. Tunc Caliphâs: Ecquis, inquit, te medicus ſanavit? Quæ adhibita vulneri medicamenta? Tum Joannes clarâ & altâ voce miraculum prædicare cœpit. Quo permotus Caliphas Joannem innocentem pronuntiavit, eumque ad primævos honores reſtituit. Ad ejus tamen genua procumbens Joannes ſuppliciter oravit, ut ſibi aliam impoſterum ac tutiorem inire viam permitteret, quod licèt ægrè, tandem obtinuit, ac mundo relicto abſceſſit. In hujus prodigii narratione te, Lector, detinui, ut noris quàm Deo gratus ſit Sacrarum Imaginum cultus, & quàm à Deo aberrent, qui illum hodiernis etiam temporibus tamquam idololatricum execrantur. Sed præſentem hiſtoriam reſumamus.

XVIII. Gregorio II. vitâ functo, Gregorius III. anno 731. in Sede Apoſtolica ſucceſſit, vir & virtutibus & doctrinâ & zelo non impar. Is ad extirpandam hæreſim animum ſtatim convertens, ad Leonem Iſaurum paternas literas ſcripſit per quemdam Presbyterum Gregorium, qui Leonis rugitu perterrefactus Pontificias literas ei reddere non auſus, ac proindè re infectâ rediens, parum abfuit, quin ob ignaviam gradu Sacerdotali à Pontifice privaretur, niſi ſe paratum ad novam legationem exhibuiſſet. Ejus tamen reditu à Leone præcognito, ipſum in Sicilia detineri juſsit.

XIX. Sequenti anno 732. Gregorius III. coactâ Romæ Synodo nonaginta circiter Epiſcoporum, Clero, Senatu, Populoque præſentibus Synodicam promulgavit Conſtitutionem quâ decrevit: *Ut ſi quis deinceps antiquæ conſuetudinis, & Apoſtolicæ Eccleſiæ fidelem uſum contemnens, adversùs venerationem Sacrarum Imaginum*

num depoſitor atque deſtructor, & profanator, vel blaſphemus extiterit, ſit extorris à corpore & ſanguine Domini noſtri Jeſu Chriſti, & totius Eccleſiæ unitate atque compage. Ita Anaſtaſius Biblioth. in Greg. III. Alteram Legationem & commonitoria ſcripta ad Leonem eodem anno per Conſtantinum Defenſorem miſit Gregorius. Sed ſcripta vi abrepta & lacerata ſunt, & Legatus annuo carcere conſtrictus. Sed quid moror? quò plura ad Leonis furorem emolliendum agebantur, eò ferocior fiebat: adeò ut extremis ſuæ vitæ annis quamplures Sacrarum Imaginum cultores diris ſuppliciis ac morti addixerit, donec ipſe impœnitens æternis addictus fuit tormentis.

§. II.

Hæreſis progreſſus ſub Conſtantino Copronymo & Leone filio.

I. Contigit Leonis Iſauri mors ac ad inferos damnatio anno 741., cùm imperaſſet, ſeu veriùs Eccleſiam dilaceraſſet annos viginti quatuor, menſes duos, & dies viginti, Theophane teſte. Sed eo mortuo extincta non eſt Iconoclaſtarum hæreſis; filium enim reliquit non minùs impietatis, quam Imperii hæredem, Conſtantinum dictum *Copronymum* (ideſt *Stercouomen*) quo nomine appellatus fuit, quia infans in Baptiſmo alvi excremento ſacrum fontem fœdavit: ex quo S. Germanus Antiſtes Conſtantinopolitanus Eccleſiam ab ipſo fore fœdandam prædixit. Is ergo, qui Patri in promovenda hæreſi adjutor ac incentor antea fuerat, vix Imperii ſolus habenas ſumſit, cùm Edicto vetuit, ne quis ullum Servorum Chriſti, etſi Martyrem, aut Apoſtolum Sanctum appellaret, aut eorum Reliquias veneraretur, quas conſpui juſſit, ac Cœlitibus prohibuit ſupplicare, quos nihil poſſe effutiebat (num ab hoc Magiſtro moderni Evangelici edocti fuerint, judicet Lector) Quin & Deiparam Virginem invocari noluit ſceleſtus, ejus feſta abrogavit, omnemque ei denegavit honorem cultumque religioſum. Sumtis enim auro plenis loculis, adſtantes interrogavit; quanti putarent eſſe pretii? Reſponderunt: Magni. Tum extracto auro, rursùm interrogavit, quanti loculos æſtimarent? Cùmque reſpondiſſent: Nihili: *Ita*, inquit, *Maria dum Chriſtum geſtavit utero, in honore fuit: Poſtquam autem eum peperit, nihilo cæteris mulieribus præſtantior eſt*.

II. Hanc execrandam blaſphemiam Regiæ Urbis Cives ferre non valentes, Artabaſdum Curopalatem, qui jam in Conſtanti-

num arma ſumſerat, Imperatorem conſalutarunt. Urbem ingreſſus mox Sacras Imagines reſtituit: quo facto Populum demeritus eſt. Tunc Anaſtaſius Pſeudo-Patriarcha vivificum Crucis Lignum tenens, per Chriſtum, qui in ea ſuffixus eſt, juravit, Copronymum Imperatorem ſibi olim dixiſſe: Quem Maria peperit Chriſtum, hunc tu Filium Dei eſſe ne cenſueris, neque quidquam præter hominem. Ita enim eum Maria peperit, ut & me Mater mea: Quâ auditâ blaſphemiâ (inquit Cedrenus) populus Imperium Conſtantino abrogavit anno 742. Verùm breviſſima fuit de Copronymi exauctoratione lætitia. Coacto enim exercitu Artabaſdum fudit, eoque cum filiis trucidato, necnon Anaſtaſio ignominiosè depulſo, ut S. Germanus prædixerat, anno 744. Imperio abſque æmulo potitus eſt.

III. Romanam tunc Eccleſiam regebat Zacharias Pontifex, qui miſsâ legatione perfidum Imperatorem demulcere, & ad officium revocare tentavit. Conſtantinus, qui ſibi favorabilem Zachariam in cauſa Exarchatus Ravennæ expertus fuerat, ideòque Eccleſiæ Romanæ quædam prædia juris Imperii donaverat, Legatum honorificè excepit, nec ſinè ſpe remiſit, fraudulenter tamen. Nam bello contra Saracenos proſperè confecto, bellum adversùs Imagines Sanctorum, earumque cultores ardentiùs renovavit. Imò poſteà Concilium 338. Epiſcoporum qui à fide defecerant Conſtantinopolim congregavit, ut Sacras Imagines auctoritate & decreto Eccleſiæ aboleviſſe videretur. Hanc verè Pſeudo-Synodum, ad quam nec Romanus Pontifex, nec Alexandrinus, nec Antiochenus, nec Jeroſolymitanus Patriarchæ fuerant vocati, uſque ad annum 754. prorogarunt. Octavâ ergo Auguſti ejuſdem anni, cùm ad Blachernenſem Deiparæ Baſilicam Iconomachi Antiſtites conveniſſent, conſcendit ambonem Copronymus, & Conſtantinum Monachum hominem nefarium & hæreticum, Silæi in Pamphilia olim Epiſcopum, ſed propter facinora Sede pulſum, Patriarcham Conſtantinopolitanum in locum Anaſtaſii, miſerè ut meruerat defuncti, proclamavit dicens: *Conſtantino Œcumenico Patriarchæ multi anni*. Poſt hæc cùm novo Patriarcha in forum progreſſus eſt, & coram univerſo populo hæreſim in Pſeudo-Synodo ſtabilitam promulgarunt, anathema dicentes imaginum cultoribus ac defenſoribus, præcipuè Germano olim Patriarchæ, Georgio Cyprio, & Joanni Damaſceno, quem per contumeliam *Manzur* (ideſt Redemptum, ſeu novum Magiſtrum) appellarunt.

IV. Quia vero huic Pſeudo-Synodo titulum hunc præfixerunt: *Terminus* (ſeu definitio) *ſanctæ magnæ & univerſalis ſeptimæ Synodi*.

di. Ideò talem inſcriptionem Septima Synodus Nicæna II. verè Œcumenica ita refellit Act. *6*. Tom. 1. *Quomodo enim Sancta, quæ nec quid eſt Sanctum in notione ſuſcepit? præſertim cùm ſit polluta, profana, & exſecranda. Illi namque, qui in ea congregati ſunt, ut prophetìcè fateamur, inter ſanctum & pollutum non diſtinxerunt, & inter mundum & immundum non diſcreverunt, iconam Incarnati Dei Verbi, Domini Dei noſtri Jeſu Chriſti, ſimiliter ut iconam Satanæ, Idolum nuncupantes. Quomodo autem Magna & Univerſalis, quam neque receperunt, neque concordaverunt reliquarum Præſides Eccleſiarum, ſed anathemati hanc transmiſerunt? Non habuit enim adjutorem illius temporis Romanorum Papam, vel eos qui circa ipſum ſunt Sacerdotes, nec etiam per Vicarios ejus, neque per encyclicam Epiſtolam, quemadmodum lex dictat Conciliorum. Sed nec conſentientes ſibi Patriarchas Orientis, Alexandriæ ſcilicet, Antiochiæ, ac Sanctæ Civitatis, vel Comminiſtros & ſummos Sacerdotes, qui cum ipſis exiſtunt*. Et infra: *Porrò Septima quomodo, quæ non concordavit cum præcedentibus ſex ſanctis & venerabilibus Synodis?*

V. Controverti ſolet, an hæc Pſeudo-Synodus præter impia decreta adversùs Sacras Imagines ediderit etiam aliud magis enorme, quo negarit non ſolùm Sanctos omnes, ſed ipſam Deiparam aliquam vim habere poſt obitum ad intercedendum pro nobis, vel ullo modo poſſe nobis prodeſſe. Affirmat Card. Baronius ad annum 754. num. 24. putans, hoc colligi ex Actis S. Stephani junioris, ubi hæc habentur: *Adhuc porrò audaciſſimæ illæ linguæ eò proruperunt, ut ingens quoquè iſtud & improbum eloqui non dubitarint, nimirùm illam ipſam Dei Genitricem Virginem inutilem quamdam poſt mortem, & commodi omnis expertem rem eſſe, nec cuiquam omninò adjumento ac præſidio eſſe poſſe*.

VI. Verùm ex hoc colligi quidem poteſt, aliquos ex illis in hanc blaſphemiam verbo prorupiſſe, ſicut ut ſupra dixi in eam prorupit Copronymus: non tamen Synodum edito canone confirmaſſe. Quin potiùs oppoſitum; ac eam proferentes, editis canonibus anathemate damnarint. In Synodo enim Nicæna II. Act. *6*., ubi Pſeudo-Synodi Canones referuntur, hi inter alios habentur: *Si quis non confitetur Sanctam ſemper Virginem Mariam propriè ac verè Dei Genitricem ſublimiorem eſſe omni viſibili & inviſibili creatura, & cum ſincera fide ipſius non expetit interceſſiones tamquam fiduciam habentis ad Deum noſtrum qui ex illa genitus eſt, anathema*. Et inferiùs: *Si quis non confitetur omnes Sanctos, qui à ſeculo uſque ſunt, qui ante Legem & in Lege in gratia Deo placuerunt, honorabiles eſſe coram ipſo animâ & corpore, vel horum non poſtulat orationes, tamquam fiduciam habentium pro mundo intercede-*

cedere ſecundum Eccleſiaſticam traditionem, anathema.

VII. Nihilominus cùm poſt relata verba Synodus Nicæna ſubdat, quòd „ Impudenter hanc myſticam projicientes ſcien-„ tiam Catholicam alloquuntur Eccleſiam: Vias tuas nolumus. „ Unde poſt hanc editionem ſuam,& interceſſionem Deo accepta-„ bilem oblationem abjecerunt, delentes eam de ſcripto ſuo, ut „ omnes noverunt „. Ex hoc apparet, quòd prædicti duo Canones de invocatione & fiducia in Deiparam & Sanctos, licèt à Pſeudo-Synodo editi, quia aliis ejuſdem Sectæ diſplicuerant, abraſi ac deleti fuerint, & communiùs apud Iconomachos etiam Deiparæ & Sanctorum interceſſio pro nihilo haberetur, ut ſupponit Baronius. Ac de facto moderni Iconomachi, quales ſunt Proteſtantes, utrumque, & cultum Imaginum, & invocationem ac interceſſionem Deiparæ & Sanctorum, & Reliquias eorum impiè blaſphemare non ceſſant.

VIII. Solutâ Pſeudo-Synodo Conſtantinus Copronymus unà cum impio Patriarcha, prolatis in medium Crucis effigie, Sacrâ Euchariſtiâ, & Evangeliis, plebem ſuper illis ſolemni ritu jurare juſſit, quòd numquam Imagines coleret, ſed illas vocaret Idola, & ut tales execraretur. Cùm verò ſoli penè Monachi, Epiſcopis ferè omnibus Aulæ genio ſe ſe accommodantibus, fidei cauſam propugnarent, vetitum eſt, ne quiſquam ab eis communionem acciperet. Imò juſſit Copronymus, ut ſi quis Monachos (quos *non Memorandos*, & quorum veſtem *Indumentum tenebrarum* appellabat) obvios haberet, eos ut Idolorum cultores abhorrendos lapidibus appeteret. Hæc in Actis S. Stephani junioris habentur. Inſuper ipſum Pſeudo-Patriarcham olim Monachum, aſcenſo ambone, jurare ſolemniter juſſit, ſe numquam Imagines veneraturum, exuere Monachatum, nuptialem coronam geſtare, carnibus veſci, cytharedos ad menſam Regiam audire, ac omnibus guſtus auriumque voluptatibus impoſterùm frui. Quod infelix præſtitit; ſed non diù: quia Divina juſtitia non multo poſt Copronymi immanitati & ipſum permiſit. Cùm enim reſciviſſet, eum ſuas in Chriſtum & Deiparam blaſphemias pateteciſſe, multis verberibus multatum, ac per Circum ignominiosè traductum atque raptatum, capite truncari juſſit, ac Nicetam Eunuchum, genere Sclavum Patriarcham nominavit. Conſtant ex Theophane & Cedreno.

IX. Reliquum Imperii Conſtantini Copronymi tempus continua perſecutio Catholicorum, Sacrarum Imaginum cultus defenſorum & præcipuè Monachorum, fuit, adeò ut Gentilium Imperatorum revixiſſe tempora viderentur. S. Stephanum juniorem ſanctitate

omni-

omnibus venerabilem, qui ſexaginta annos in Monte S. Auxentii in Bythynia ſolitarius egerat, poſt multos cruciatus necavit, ejuſque in Pelagium (locum olim S. Pelagiæ Baſilicam ſed ab eo demolitam ſepulturæ capitis damnatorum deſtinatum) abjici juſſit. Diris etiam ſuppliciis affecit ac interemit S. Andream Calybitem. Multos etiam Procerum atque militum delatos, quòd coram Sacris Imaginibus ſupplicaſſent, interemit.

Ejus tamen impietas in Monachos præcipuè deſævire continuavit. Eos per Circum traductos, & unumquemque vel invitum manu mulierem apprehendere juſſum, contumeliis ac ignominiæ expoſuit. Conſtitutis ubique locorum ſuæ impietatis conſciis Præfectis, inter alios ille quem Thraciæ præfecit, immanitate ſuperavit. Is Monachos & Sanctimoniales omnes illius regionis ad ſe adductos Epheſum, his verbis allocutus eſt: *Qui Imperatori & mihi obedire vult, ſtolam is induat, hácque ipſá horá uxorem ducat. Qui recuſaverit, is erutis oculis Cyprum deportabitur*. Rem executioni ſtatim mandare aggreſſus multos ea die Martyres fecit. Idem omnia Monaſteria, ſacram ſupellectilem, libros, animalia divendidit, & pretium Imperatori tradidit. Libros Patrum & Reliquias Sanctorum igni devovit, Imaginum defenſores & cultores variis necis generibus ſuſtulit. Tandem Copronymus Monaſteria omnia militibus Iconomachis tradidit, Monaſticum inſtitutum prorsùs delere ſatagens. In Sanctæ Euphemiæ Reliquias pariter ſacrilegus fuit, quas cum ciſta in mare projici juſſit, & in ejus Templo armamentum, & locum fimo deponendo fecit. Verùm Sanctæ Virginis & Martyris Reliquiæ Deo ſervante incolumes Lemnum appulere, quæ poſtea Conſtantino & Irene imperantibus dignâ veneratione in ſuum Templum repurgatum reſtitutæ fuere. Iſta ex Actis S.Stephani, necnon ex Theophane & Cedreno ſumta ſunt.

X. Ex his vides Lector, inquit Baronius ad ann. 754. num. 20., à quo odium in Monachos hæreditarunt unâ cum hæreſi Recentiores Novatores Iconoclaſtæ, quos ſi quis certo nomine Copronymianos dixerit, utique indulgentiùs aget. Nam hi Copronymum imitati, non ſolum Monachos, Monaſteria, cælibatum à ſuis cœtibus eliminarunt, ac in profanos uſus omnia converterunt, Imagines Sacras velut Idola execrantur, Sanctorum cultum rejiciunt, eorum Reliquias non ſemel indignè tractarunt „ ſed, ut ait Baro-
„ nius, noſce comparatione Copronymi hos duplo triploque im-
„ pios nominandos: ſi quidem, ut vidiſti, etſi Imagines Sacras
„ Conſtantinus execrabatur, tamen venerandæ Crucis adhuc cul-
„ tum retinebat, per quam in medio poſitam ſuos adſtringere
„ voluit juramento, & cultum Diviniſſimi Sacramenti Corporis

& San-

Digitized by Google

„ & Sanguinis Domini, quæ tamen Novatorum funeſta Secta „ mancipia Satanæ deteſtantur, ut videas horum comparatione „ eſſe Copronymum execrabilem laude dignum „. Hæc Baronius.

XI. Tandem ad Divinum Tribunal ſuorum ſcelerum rationem redditurо morte rapto Copronymo anno 775., Leo ejus filius aſſumſit Imperium, cujus exordiis aliquantùm reſpiravit Eccleſia, hæreſis tamen dominium non amiſit. Iſte enim Iconomachus æquè ac Pater, ut ſubditos demereretur Catholicorum quidem perſecutionem ſuſpendit, ſed Imagines reſtitui non permiſit. Poſtea tamen furorem in Sacrarum Imaginum cultores manifeſtavit, cùm in Irenes Imperatricis uxoris ſuæ pulvinari dictas Imagines reperiſſet. Factâ enim inquiſitione in eos, qui ipſas intuliſſent, Theophanem Cubicularium occidi juſſit, Jacobum Protoſpatarium, Papiam Strategium, Leonem & Thomam Cubicularios, ignominiosè traductos & in carcerem conjectos verberibus affici juſſit, qui Confeſſionis gloriâ inſignes, Martyrium, cujus deſiderium ac meritum ipſis non defuerat, vitæ monaſticæ auſteritate ſuppleverunt. Imperatricem verò duriùs increpitam, & negantem eas Imagines à ſe viſas, eumque demulcere ſatagentem à ſe repulit, & ab ejus conſortio deinceps ſe abſtinuit. Hæc autem anno 780. contigere, de quibus Theophanes & Cedrenus.

Huic tamen Leoni Divina ultio non defuit. Nam eodem anno menſe Septembri inſaniens (ut ait Theophanes) circa lapides pretioſos, cùm magnæ Eccleſiæ coronam capite deferret, exarſerunt carbunculi in capite ejus, & captus validâ febre mortuus eſt, cùm regnaſſet annos quinque minùs dies ſex.

§. III.

De SS. Imaginum reſtitutione ſub Conſtantino & Irene, & de Synodo VII. Œcumenica.

I. MIſeratus tandem Deus Orientalis Eccleſiæ, quæ jam ſub duobus nefandiſſimis Imperatoribus (veriùs Tyrannis) Leone Iſaurico & Conſtantino Copronymo ejus filio per medium ſeculum fuerat vexata, Leunculum hunc, ſimul, ac aggreſſus fuit Sanctorum ſanguine cruentari, è medio ſuſtulit, ac eo erepto, in filium Conſtantinum & Irenem matrem Imperium tranſtulit. Decennis erat Conſtantinus cùm Imperium aſſumſit. Matris tamen Irenis pietati & conſiliis acquieſcens optimis initiis auſpicatus fuit. Nicephorum Imperium affectantem cum aliis conſciis in exilium rele-

relegavit. Sicque pacificè regnans, Matre ſuadente bono Eccleſiæ cœpit proſpicere, monaſticam vitam amplectendi facultatem cuique concedens, & Catholicam Fidem liberè profitendi. Quamvis autem hæretici non ſtatim manus victas dederint, ſed acriter reſtiterint, & conciliabula inierint: dextera tamen Dei eorum machinas ſenſim diſſipavit, ut verè dici poſſit, quòd Deus in operibus ſuis ſemper mirabilis, per feminam & puerum compeſcuit impietatem, reſtituit religionem, firmavit Imperium.

II. Agebatur annus Chriſti ſeptingenteſimus octogeſimus quartus, qui Conſtantini & Irenes ejus matris in Imperio quartus erat, cùm Paulus, qui poſt Nicetæ obitum Urbis Regiæ Patriarcha inauguratus fuerat, morbo affectus, relictâ Sede, in Flori Monaſterium ſeceſſit. Imperatrix mœrens ipſum convenit, cur Eccleſiam ſuam reliquiſſet quærens. Cui Paulus lacrymis perfuſus: *Utinam*, inquit, *Eccleſiâ Dei tyrannicè adminiſtratâ, & à reliquis Sedibus eâ de causâ reciſsâ, diriſque & execrationibus devotâ, in Sacerdotii Throno Conſtantinopoli numquam ſediſſem*. Commota Irenes Patricios & ſpectatiſſimos quoſque è Senatu ad ipſum miſit, quæ ipſe diceret audituros. Qui ad ipſos: *Niſi Synodum*, inquit, *univerſalem coegeritis, & obtinentem apud vos correxeritis errorem, nulla vobis ſupereſt ſalus*. Reſponderunt ipſi: *Cur ergo Patriarcha deſignatus, inter Ordinationis ſolemnia, imagines te numquam adoraturum ſubſcripſiſti?* Tum ille: *Hæc*, ait, *lacrymarum mearum cauſa eſt: Illud me ad pœnitentiam amplexandam impulit, Deum deprecantem, ne me veluti Pontificem bucuſque mutum, nec veritatem (ſolo inſaniæ veſtræ metu) palam enuntiantem corripiat*. Vix hæc dixerat Paulus, cum ſpiritum emiſit. Ita Theophanes & Cedrenus, qui addunt, hoc factum evulgatum omnes adeò corripuiſſe, ut liberum deinceps fuerit de Sacrarum Imaginum cultu diſputandi, ac illum propugnandi.

III. In Pauli locum Tharaſius Imperatori à Secretioribus mandatis ſuffectus eſt. Is, utpotè laicus, imparem ſe tanto muneri judicans, diù reſtitit: illud tandem ſuſcepit, hâc conditione, ut Synodus Generalis cogeretur; cui Conſtantinus & Irenes lubenter annuerunt. Tharaſius ergo ut primum inauguratus eſt, fidei ſuæ profeſſionem, & ſupplices pro Concilii Generalis celebratione literas ad Hadrianum I. Romanum Pontificem direxit. Ad quem & Imperatores ſcripſere, rogantes, ut Conſtantinopolim venire dignaretur Concilio præfuturus, aut Legatos mitteret, qui vices ejus obirent, ac locum tenerent. Extant hæ literæ in præambulis ad ſeptimam Synodum.

IV. Sequenti anno, nempè 785. reſcripſit Hadrianus I. ad Con-

Conſtantinum & Irenem. Literæ habentur Actione 2. Synodi ſeptimæ, quarum initium eſt: *Deus, qui dixit de tenebris lucem ſplendeſcere*. In his primò eos adhortatur ut Sedi Apoſtolicæ, cui Chriſtus in Petro totius gregis curam commiſit, & quæ Chriſti Sanctæ ejus Genitricis Apoſtolorum omniumque Sanctorum veneratur Imagines, reverentiam præſtent. Secundò, multa profert ad Sacrarum Imaginum venerationem aſſerendam. Tertiò, rogat, ut ſi poſſibile non ſit earum venerationem ſubitò reſtituere, ſaltem præſentibus Sedis Apoſtolicæ Legatis, Synodus Conſtantinopolitana Iconomachorum refutetur. Quartò, ut Imperatores, Patriarcha, Senatus juramento promittant, ſe partibus non adhæſuros, nec ullam vim Legatis Apoſtolicis illaturos, ſed eos honorificè exceptos ad Urbem incolumes remiſſuros. Rogat etiam ut reſtituant patrimonia B. Petri ab Orthodoxis Principibus pro luminaribus, & alendis pauperibus donata, necnon conſecrationes Epiſcoporum Romanæ Sedi de jure competentes. Tandem addit, ſe de Tharaſio duplici cauſa conqueri. Primò, quòd ſe *Univerſalem Patriarcham* inſcripſerit. Secundò, quòd ex laico ad Epiſcopatum fuerit ſubitò promotus, unde ejus electionem utpotè contra Canones factam probare non poſſe: eam tamen non reſcindere, ſed Canonum fractioni indulgere: dummodò pro reſtituendis imaginibus ſedulò laboret: *Si autem*, inquit, *ſacras ac venerabiles Imagines non reſtitueris, conſecrationem veſtram modis omnibus recipere non audemus*.

V. Hadrianus itaque Legatos Conſtantinopolim, qui ſuo nomine Concilio præeſſent, miſit Petrum Eccleſiæ S. Petri Archipresbyterum, & Petrum Abbatem S. Sabæ, quos Tharaſio, ut benignè ac honorificè ſuſciperet, commendavit. Iſti Legati, ut habetur Actione 1. Concilii nominantur ante Tharaſium, ut *Tenentes locum Apoſtolicæ Sedis almi & ſanctiſſimi Archiepiſcopi ſenioris Romæ Hadriani*. Miſerunt etiam cæteri Patriarchæ Legatos, cùm ipſi jugo Saracenorum oppreſſi adeſſe non poſſent, nempè Politianus Alexandrinus Patriarcha Thomam Presbyterum & Monachum. Theodorus Antiochenus, & Elias Jeroſolymitanus, Joannem Presbyterum pariter & Monachum, qui trium Sedium Patriarchalium nomine in Synodo agerent, & Eccleſiarum Ægypti, Orientis, & Palæſtinæ fidem ac antiquam Traditionem de Sacris Imaginibus teſtarentur.

VI. Verùm cum anno 786. Synodus Conſtantinopoli in Baſilica SS. Apoſtolorum collecta eſt, Iconomachi milites adversùs Synodum ſeditionem excitarunt, quos cùm nec Imperatorum præſentia cohibere potuiſſet, res in ſequentem annum dilata eſt. In

hoc

hoc negotio præcipuè emicuit Irenis Imperatricis prudentia. Miſſo enim in Thraciam Stauracio Patricio ad legiones ibi conſidentes, omnes duces ſibi devinxit, & Conſtantinopolim accerſivit. Deindè ſimulatâ neceſſitate mittendi milites adversùs Arabes, ad hoc copiæ quæ ſub Copronymo inſtructæ ac hæreſi imbutæ ſeditionem excitaverant, deſtinatæ ſunt: quæ cùm eſſent ab Urbe egreſſæ, & adventu militum è Thracia Imperatorum auctoritas firmata, cùm ſeditioſæ copiæ ad certum terminum perveniſſent, eis per nuntios Imperator ſignificavit: *Armis depoſitis, & ad me miſſis, operâ veſtrâ me non ampliùs indigere noveritis*. Quibus auditis, illi velut à Deo ſenſibus alienati, arma depoſuere. Tum impoſitis in naves eorum familiis, ſingulos in Provincias ac domos ſuas ſe recipere juſſit.

VII. Parato demùm alio exercitu, ac deſignatis ducibus ſibi addictiſſimis, ipſos menſe Majo anni 787. per omnes Imperii regiones miſit, ut univerſos Epiſcopos Nicæam Bythiniæ Urbem ad Synodum convocarent. Nicæam ergo æſtate totâ trecenti quinquaginta Epiſcopi convenerunt. Eò etiam ſe tranſtulerunt Eccleſiæ Romanæ & Orientalium Sedium Legati, qui Conſtantinopoli ſubſtiterant, unà cum Tharaſio Patriarcha. Adfuerunt etiam ſelecti Archimandritæ & Monachi, necnon Proceres, inter quos eminebat Nicephorus Imperatoris a ſecretioribus mandatis, ut ordine omnia in Concilio peragi curarent. Concilii locus fuit primaria Nicææ Baſilica Æternæ Sapientiæ ſacra ſub titulo *S. Sophiæ*. Conſtant hæc ex Theophane coævo ſcriptore, ex Ignatio Monacho in Vita S. Tharaſii, ex Cedreno & aliis. Inchoata eſt Synodus anno 787. octavo Kal. Octobris.

§. IV.

Imaginum uſus antiquus.

I. CUm hanc Iconoclaſtarum hæreſim moderni hæretici Lutherani, Calviniſtæ & alii, qui ſe Evangelicos dictitant, excitarint, & tantâ pertinaciâ tueantur, ut ab Eccleſiis Catholicorum, quas invaſerunt, Imagines omnes, quas in eis invenerunt, contumelioſè ejecerint, nec in ſuis Eccleſiis ullam omninò permittant, & Catholicos tanquam Idololatras traducant, qui Imagines Dei, Chriſti, B. Mariæ, Crucis, & Sanctorum in ſuis Eccleſiis colunt ac venerantur; Idcircò dum ſcriberem adversùs Jacobum Piceninum Calvinianæ Sectæ hominem Sacras Imagines earum cultum impugnantem, oportuit mihi in Vera Eccleſia Tom. 2.

p. 2. cap. 16. hoc Catholicum dogma pluribus defendere, & à calumniis vindicare, quod præſtiti etiam Tomo 16. Theologiæ q. 7. Dubio 5. Ad ea ergo quæ citatis locis dixi Lectorem meum remittam. Et hic aliqua ſolùm pro ejus commodo adjiciam.

II. Pro ſtatuendo Sacrarum Imaginum cultu afferam primò prælaudatæ Synodi Nicænæ II. decretum, quo Actione 7. illum tanquam dogma Catholicum à Traditione Patrum acceptum propoſuit his verbis: *Sequentes divinitùs inſpiratum Sanctorum Patrum noſtrorum magiſterium, & Catholicæ Traditionem Eccleſiæ (nam Spiritus Sancti hanc eſſe novimus, qui nimirùm in ipſa inhabitat) definimus in omni certitudine ac diligentiâ, ſicuti figuram pretioſæ ac vivificæ Crucis, ita venerabiles ac ſanctas Imagines proponendas, tam quæ de coloribus & teſſellis, quàm quæ ex alia materia congruenter in Sanctis Dei Eccleſiis & ſacris vaſis & veſtibus, & in parietibus ac tabulis, domibus & viis: tam videlicet Imaginem Domini Dei & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti, quàm intemeratæ Dominæ noſtræ Dei Genitricis, honorabiliumque Angelorum, & omnium Sanctorum ſimul & almorum virorum. Quantò enim frequentiùs per imaginalem formationem videntur, tantò qui has contemplantur, clariùs eriguntur ad primitivorum eorum memoriam & deſiderium, & ad oſculum, & ad honorariam his adorationem tribuendam: non tamen ad veram latriam, quæ ſecundùm fidem eſt, quæque ſolam Divinam naturam decet, impartiendam. Ita ut iſtis, ſicuti figuræ pretioſæ ac vivificæ Crucis, & Sanctis Evangeliis, & reliquis Sacris monumentis, incenſorum & luminum oblatio ad harum honorem efficiendum exhibeatur, quemadmodum & antiquis piæ conſuetudinis erat. Imaginis enim honor ad primitivum tranſit: & qui adorat Imaginem, adorat in ea depicti ſubſiſtentiam* (ideſt Perſonam). *Sic enim robur obtinet Sanctorum Patrum noſtrorum doctrina, ideſt Traditio Sanctæ Catholicæ Eccleſiæ, quæ à finibus uſque ad fines terræ ſuſcepit Evangelium. Sic Paulum, qui in Chriſto locutus eſt, & omnem Divinum Apoſtolicum cœtum, & paternam ſanctitatem exequimur, tenentes traditiones quas accepimus.*

III. Et infra: *Eos ergo qui audent aliter ſapere aut docere, aut ſecundùm ſceleſtos hæreticos Eccleſiaſticas Traditiones ſpernere, & novitatem quamlibet excogitare, vel projicere aliquid ex his quæ ſunt Eccleſiæ deputata, ſive Evangelium, ſive figuram Crucis, ſive imaginalem picturam, ſive Sanctas Reliquias Martyris; aut excogitare pravè aut aſtutè ad ſubvertendum quidquam ex legitimis traditionibus Eccleſiæ Catholicæ; vel etiam quaſi communibus uti vaſis ſacris, aut venerabilibus Monaſteriis, ſi quidem Epiſcopi aut Clerici fuerint, deponi præcipimus; Monachos autem vel laicos à communione ſegregari.*

Digitized by Google

gari. Hæc fuit Synodi definitio fidei. Poſt quam ſecuta eſt omnium Epiſcoporum ſubſcriptio, & ſubſecutæ ſunt fauſtæ Patrum acclamationes pro ſtabilita fide Orthodoxa. Repetita anathemata contra oppoſitum ſentientes: & laudibus celebrati, qui fidem defenſarunt, præcipuè Conſtantinus & Irenes, quos novum Conſtantinum & novam Helenam appellarunt, eiſque multos annos deprecati ſunt.

IV. Præfata definitio, quæ tota fundatur in doctrina Patrum & Traditione Eccleſiæ Catholicæ, hæreticos declarat non ſolùm Iconomachos, ſed quotquot etiam contra doctrinam Patrum & Eccleſiæ Traditionem aliquid ſtatuunt. Cùmque moderni Heterodoxi non ſolùm in abrogatione cultus Sacrarum Imaginum, ſed in omnibus aliis, quæ protulerunt, & adhuc pertinaci animo propugnant, loquantur contra doctrinam Patrum, & Catholicæ Eccleſiæ Traditionem, ut ſingulis locis demonſtratur, fit ut contra ſingulos eorum errores pugnet præfata Nicænæ II. definitio.

V. Scio, Joſephum Binghamum ſectâ & natione Anglicanum in Opere quod inſcripſit *Origines ſeu Antiquitates Eccleſiaſticæ* Tom.3. Lib.8. cap.8. §.6. conari oſtendere, tribus prioribus Eccleſiæ ſeculis Imagines in Eccleſiis non fuiſſe permiſſas; & cap. 7. ſolùm exeunte ſeculo quarto à Paulino & aliis privatim & gradatim fuiſſe introductas. At ſi ita eſſet, quomodo Nicæni Patres in prælaudatâ definitione dicere abſque mendacio potuiſſent, ſe ſequi Patrum ſuorum magiſterium, & Catholicæ Eccleſiæ Traditionem, ſi uſus Imaginum in primitiva Eccleſia non fuiſſet ſervatus, & ſolùm à quarto ſeculo nempè trecentis annis ante à privatis hominibus introductus? Num Eccleſia Catholica hanc Paulini & aliorum novitatem toleraſſet? Num Iconomachi illius temporis non objeciſſent Nicænæ II., Patres falſum ſuppoſuiſſe, & in hoc falſo ſuppoſito decretum pro cultu Imaginum fundaſſe?

VI. In hoc tamen prænotandum cenſeo, aliud eſſe loqui de uſu Sacrarum Imaginum, aliud de earum veneratione & cultu. Si de primo ſermo ſit, credibile eſt, primis quatuor ſeculis rarum fuiſſe uſum Sacras Imagines publicè in Templis exponendi: & hoc prudenti œconomiâ. Cùm enim Eccleſia tunc laboraret in evertendo cultu Idolorum, expediens videbatur, nullam in Templis Chriſtianorum ſtatuam vel imaginem ſive Chriſti, ſive Dei Genitricis, ſive cujuslibet Martyris publicè exponere, ne vel recèns ad Chriſtum converſi, nec adhuc benè inſtructi, eas tanquam Idola, ut ante, adorandi periculo exponerentur, vel Pagani ipſi hoc ſcientes Chriſtianis inſultarent, quòd idololatriam non everterent, ſed mutarent. Quemadmodum Fauſtus Manichæus apud

S. Auguſtinum Lib. 20. contra ipſum cap. 4. improperabat Catholicis, quòd Idola vertiſſent in Martyres, eoſque votis ſimilibus colerent.

VII. Hinc Petavius Lib. 11. Theologic. Dogm. de Incarn. c. 13. obſervat, Imagines ex eorum per ſe genere eſſe, quæ *adiaphora* nominantur, hoc eſt quæ ad ſalutem omninò neceſſaria non ſunt, nec ad ſubſtantiam Religionis attinent, & quæ in poteſtate ſunt Eccleſiæ, ut ea vel adhibeat, vel ablegct, prout ſatiùs eſſe decreverit, cujuſmodi ſunt ea, quæ *poſitivi* eſſe *Juris* vulgò eſſe dicuntur. Quocirca primis ab ortu Chriſtianæ Religionis annis, cùm adhuc gentilis in eam exardeſceret furor, & in hominum mentibus hæreret adhuc Idolorum ſuperſtitio, non tam frequens fuit Sacrarum uſus Imaginum, ut neque Templorum aut Baſilicarum. Ex quo nata eſt illa Gentilium exprobratio, quæ apud Minutium Felicem his verbis exprimitur: *Cur nullas Aras habent, Templa nulla, nulla nota Simulacra?* Cui Octavius reſpondens: *Putatis autem nos*, inquit, *occultare quod colimus, ſi delubra & aras non habemus? Quod enim Simulacrum Deo fingant, cum ſi rectè æſtimes, ſit Dei homo ipſe Simulacrum? Templum quod & extruam, cùm totus hic mundus ejus opere fabricatus eum capere non poſſit: & cùm homo latius maneam, intra unam ædiculam vim tantæ Majeſtatis includam? Nonne meliùs in noſtra dedicandus eſt mente, in noſtro imo conſecrandus eſt pectore?* Ergo neque Templa tunc extrui Deo fas quidam arbitrati ſunt, quod nondum in Chriſtiano populo inſtitutum erat, nec dum per rerum potientes Ethnicos licebat, nefas & illicitum rati; & de Sacris etiam Imaginibus idem ſenſiſſe videntur, ne Idola & ipſos colere Gentibus & Paganis apparerent, quamvis hæc multum diſtare noſſent, ſed in privatis cœtibus preces, ſynaxes, & ſacra myſteria frequentabant, ut habetur Act. 2. v. 42. & cap. 20. v. 7.

VIII. Verùm procedente tempore idololatriâ ſenſim ruente; ac edocti, quantùm inter Gentilium Templa falſis Diis dicata, & Templa vero Deo ſacra, quantùm inter Idola, & Sacras Imagines intereſſet, & quantùm ad pietatem excitandam utrumque conferret, utrumque ſuſceperunt. Unde pace Eccleſiæ redditâ, & idololatriæ excuſſo periculo, ſicut Templa & Baſilicas, ac in eis Altaria magnificè in Dei cultum erigere cœperunt, ſic Imagines Chriſti, Crucis, & Sanctorum in eis, ad propagandam Chriſti, Martyrum & Sanctorum ejus gloriam, ac exemplo eorum conſtantiæ cæteros fideles animandos, collocare cœperunt. Hoc tamen non eodem tempore, nec omnibus in locis ſtatim factum eſt, ſed alibi citiùs, alibi tardiùs, prout nationum captus & indoles erat, & qui illis præc-

Digitized by Google

præerant expedire judicabant. Quæ diligenter obſervanda ſunt ad interpretanda ea, quæ contra Sacrarum Imaginum Ritum, quaſi à prioribus ſeculis generaliter, utpotè per ſe idololatricum rejectum, Binghamus cum ſuis nobis objectant. Quinto demùm ſeculo, poſtquam adeptâ libertate lacertos quodammodo ſuos explicare cœpit Eccleſia, pleriſque locis Imagines palam haberi cœptæ, atque in Templis & Oratoriis propoſitæ ſunt, cùm hactenus, etſi in uſu eſſent aliquo, non tamen promiſcuè ac frequenter publicè adhiberentur. Ita ex Petavio citato.

IX. Ne tamen putent Proteſtantes, nullum prorsùs apud antiquos fuiſſe Sanctarum Imaginum uſum, audire præſtat Euſebium Lib. 7. Hiſt. cap. 18. de Statua Chriſto erecta Paneade à muliere, quam à fluxu ſanguinis liberaverat ita loquentem: *Juxta januam domus illius ænea mulieris effigies ſtare dicitur, columnæ lapideæ impoſita, genibus flexis protenſiſque manibus inſtar ſupplicantis. Ex adverſo autem effigies viri ex eodem metallo conflata ſtantis, ac diploide decenter induta manumque mulieri porrigentis. Ad cujus pedes in ipſa baſi ignota quædam naſcitur planta, quæ ad fimbriam uſque æneæ diploidis aſſurgens depellendis omnis generis morbis præſentiſſimum remedium eſt. Hanc ſtatuam Jeſu Chriſti ſpeciem referre ajebant. Manſit porrò ad noſtra uſque tempora: noſque adeò urbem illam ingreſſi, ipſam conſpeximus. Nec verò mirandum eſt, Gentiles à Servatore noſtro beneficiis affectos hæc præſtitiſſe: cùm & Apoſtolorum Petri ac Pauli, Chriſtique ipſius pictas Imagines ad noſtram uſque memoriam ſervatas in tabulis viderimus. Quippè priſci illi abſque ullo diſcrimine de ſe benemeritos gentili quâdam conſuetudine tanquam ſervatores colere hujuſmodi honoribus conſueverant.* Habemus ergo Euſebio teſte de viſu Chriſti Statuam ab ipſis Chriſti temporibus formatam, & plantâ à pedibus illius ſurgente ſanatos morbos. Habemus Petri & Pauli & ipſius Chriſti pictas Imagines, & quidem in honore habitas.

X. Quid porrò de præfata Chriſti Statua evenerit, non abs re erit referre, quæ ex Sozomeno Lib. 5. cap. 21. narrat Caſſiodorus in Hiſt. Tripartita Lib. 6. c. 41. nimirùm *Cùm* (Julianus Apoſtata) *agnoviſſet in Cæſarea Philippi, Civitate Phœniciæ, quam Panæam vocant, inſigne Chriſti eſſe Simulacrum, quod mulier illa ſanguinis liberata profluvio conſtituerat, eo depoſito, ſuam ibi Statuam collocavit. Quæ violento igne de cœlo cadente, circa ejus pectus diviſa eſt, & caput cum cervice unâ parte dejectum, atque in terra fixum: reliqua verò pars hactenus reſtitit, & fulminis indicium reſervavit. Statuam verò Chriſti tunc quidem Pagani trahentes confregerunt; poſtea verò Chriſtiani colligentes in Eccleſiam recondiderunt, ubi hactenus*

reſer-

reſervatur. Hic nota Lector, primum Imaginis ſeu Statuæ Chriſti hoſtem fuiſſe, non virum Evangelicum zelo idololatriæ avertendæ excitatum, ſed perditiſſimum apoſtatam odio in Chriſtum, ne ſcilicet Chriſtiani in eo Simulacro Chriſtum venerarentur. Nota inſuper, injuriam hanc à Deo ſtatim vindicatam, & qui Statuam confregerunt fuiſſe Paganos: Chriſtianos verò diſciſſas partes colligentes, in Eccleſiam venerabundos recondidiſſe ac ſervaſſe. Hoc factum indicat quoquè cauſam, cur primis ſeculis in Eccleſiis Chriſtiani Imagines publicè non exponerent, ne ſcilicet ſimili Paganorum inſultus periculo paterent.

XI. His occurri poteſt Binghamio, qui citato loco, ut probet, prioribus ſeculis nullum in Eccleſiis fuiſſe uſum Imaginum, affert ex Baronio ad annum 303. num. 12., quòd perſecutores ingreſſi Eccleſiam Pauli Epiſcopi Cirtenſis in Numidia invenerunt in ea quidem calices duos aureos, ſex argenteos, cucumellam argenteam, lucernas argenteas ſeptem, cereoſala duo, candelas breves æneas cum lucernis ſuis ſeptem, item lucernas aureas undecim cum catenis ſuis; tunicas muliebres octoginta duas, maphertia (pallia) triginta octo, tunicas viriles ſexdecim, caligas viriles paria tredecim, caligas muliebres paria quadraginta ſeptem: quæ indumentorum genera illis diebus pro aſcetis, vel pro pauperibus videntur fuiſſe aſſervata. De Imaginibus autem ac picturis nulla penitùs mentio habetur: quod argumentum ſaltem negativum eſt, eo tempore nihil hujuſmodi in Eccleſia fuiſſe.

Dico enim, quòd nullius Imaginis in Eccleſia Cirtenſi repertæ mentio fit, vel quia ad eas rapiendas perſecutores non venerant, utpotè vilioris pretii; & ideò tantùm recenſentur calices, & alia vaſa aurea & argentea ac cætera veſtimenta, quæ pretioſitate ſuâ perſecutorum rapacitati ſatisfacere poterant. Vel ſi nullæ omninò in eâ Eccleſia extiterunt Imagines, hoc fuit quia durante adhuc Diocletiani perſecutione, eas publicæ expoſitas in Eccleſiis tenere non audebant, ſicut nec Sacros Libros; unde quærentibus à Paulo perſecutoribus: *Proferte Scripturas Legis, & ſi quid aliud habetis, ut juſſioni parere poſſitis*: Reſpondit Paulus, *Scripturas Lectores habent: ſed nos quod hìc habemus damus*. Addo quòd locus ille erat non publica Eccleſia, ſed domus, in qua Chriſtiani ad Synaxim conveniebant: dicitur enim *Cùm ventum eſſet ad domum, in qua Chriſtiani conveniebant*: unde non mirum, ſi nullæ ibi repertæ fuerint Imagines, ſed ſola vaſa Euchariſtiæ inſervientia, & veſtes: in quibus tamen vaſis aliquæ Imagines eſſe debebant ſecundum Africanæ Eccleſiæ uſum, quæ in ſacris calicibus Chriſtum ſub

ſub Paſtoris ovem geſtantis ſpecie pingere ſolebat, Tertulliano teſte Lib. de Pudicitia cap. 10.

XII. Hujus apertum teſtimonium prodiit Romæ, Baronio teſte ad ann. 57. num. 112., dum effoſſo ſepulcro Priſcillæ viâ Salariâ anno milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo octavo, tota Urbe vidente & admirante, in eo repertæ fuerunt plures Imagines tum Veteris, cùm Novi Teſtamenti. Cùmque Priſcilla iſta, ut idem Baronius obſervat in Notis Martyrol. ad diem 16. Januarii, fuerit Apoſtolorum diſcipula, & mater Pudentis Senatoris, clarum hinc conficitur argumentum pro uſu Imaginum, vel ab ipſa ætate Apoſtolorum. Prætereo Sudarium Imaginem Chriſti referens vulgò dictum S. Veronicæ. Duas Jeſu Chriſti Crucifixi Imagines cedro inciſas, quarum unam auctorem habere volunt Nicodemum, ante unum ex Principibus Judæorum, poſtea Chriſti Diſcipulum, quæ in urbe Lucenſi aſſervatur: alteram, S. Lucam Evangeliſtam, quæ Siroli propè Anconam oppidi extat: præter alias Dei Genitricis Imagines, quas ab eodem S. Luca pictas longæva fert traditio: quæ omnes, quidquid Iconomachi blaterent, antiquitatem uſus Imaginum teſtantur.

§. V.

Imaginum uſus & cultus probatur.

I. Porrò quantùm ceſſante perſecutione ſtatim uſus Imaginum publicè in Eccleſiis apparuerit, fidem faciunt ea quæ Conſtantinus in Baſilicis à ſe Romæ erectis collocavit. Refert enim inter alios Anaſtaſius Bibliothecarius in Vita S. Silveſtri, quòd in faſtigio Baſilicæ dictæ Conſtantinianæ poſuit Statuam argenteam Salvatoris ſedentis, duodecim item Apoſtolorum Statuas, & aliam à tergo Salvatoris itidem ſedentis, ac præterea alias quatuor Angelorum Cruces in manibus tenentium. In Baptiſterio etiam Agnum collocavit, ad ejus dexteram Salvatorem, ad lævam Joannem Baptiſtam tenentem titulum ſcriptum: *Ecce Agnus Dei* &c. Hæc Conſtantinus, non in foro, ſed in Eccleſiis publicè expoſuit. In hoc facto obſervandum cenſeo, quòd Silveſter & Chriſtiani Romæ tunc exiſtentes, videntes erigi Statuas in Eccleſiis, & quidem à Conſtantino Imperatore antea Pagano, ſuſpicati non fuerint, Imperatorem velle inter Chriſtianos idololatriæ ſpeciem intrudere, & Templa Paganorum potiùs, quàm Chriſtianorum erigere: & ideò zelo moti non obſtiterint, ſed potiùs ejus pietatem laudaverint, & Eccleſias ab ipſo ſic erectas religiosè frequentaverint. Diſtinguebant ergo ſtatuas Idolorum, quas videbant

debant à Conſtantino ubique everti, à Statuis Salvatoris, Apoſtolorum, Angelorum, quas ab illo erigi conſpiciebant, & illas execrabantur: iſtas verò religiosè venerabantur.

II. Hoc diſcrimen Veteres illos Chriſtianos hauſiſſe puto ex Veteri Lege, in qua Deus Exodi 20. v. 4. dicit: *Non habebis Deos alienos coram me. Non facies tibi ſculptile* &c. *non adorabis ea*, & Levitici 26. v. 1. *Ego Dominus Deus veſter: non facietis vobis Idolum, & ſculptile, nec titulos erigetis, nec inſignem lapidem ponetis in terra veſtra ut adoretis eum: Ego enim ſum Dominus Deus veſter.* Ab oppoſito autem Exodi 25. v. 10. Deus ipſe præcipit in cultum ſui fieri Sanctuarium, & in eo Arcam, cujus ipſe menſuram præſcribit: *Arcam de lignis Setbim compingite* &c. Ad latera Arcæ duos Cherubim aureos poni jubet, ac ſuper his ſe adfuturum ac reſponſa datùrum promittit, à v. 18. *Duos quoquè*, inquit, *Cherubim aureos & productiles facies ex utraque parte oraculi: Cherubim unus ſit in latere uno, & alter in altero. Utrumque latus propitiatorii tegant extendentes alas, & operientes oraculum, reſpiciantque ſe mutuò verſis vultibus in propitiatorium, quo operienda eſt Arca, in qua pones teſtimonium quod dabo tibi. Inde præcipiam & loquar ad te ſupra propitiatorium, ac de medio duorum Cherubim, qui erunt ſuper Arcam teſtimonii, cuncta quæ mandabo per te filiis Iſrael.*

III. Ad hæc reſpicientes veteres illi Chriſtiani, & quotquot ſeculis poſterioribus ſucceſſere, Divinum mandatum & exemplum ſecuti, non omnium prorsùs ſimilitudinem vetitam exiſtimarunt; ſed Simulacra quidem falſis Numinibus erecta, ut prohibita rejecerunt: ea tamen, quæ vel in honorem Salvatoris, vel Miniſtrorum Dei in Templis collocata, vel alicubi inſpexere cum veneratione amplexi fuere. Unde Sylvius in cap. 25. Exodi „ Ex his,
„ inquit, intelligi poteſt, non fuiſſe prohibitum ſculpere, pinge-
„ re, aut quocumque modo facere aliquam Imaginem, vel ſimi-
„ litudinem, quandoquidem hi Cherubini fuerint in Sancto San-
„ ctorum collocati, ac proinde ſicut Arca tanquam Sanctum prin-
„ cipale, ita ipſi deſuper extenſi, in eo loco honorati fuerint,
„ non ut pro Diis haberentur, ſed quòd Divinam præſentiam ac-
„ cedentibus repræſentarent „.

Porrò Arcam Fœderis Dei figuram ac ſedem fuiſſe, nemo qui Sacras Literas novit negare audebit. Huic propterea venerationem à Sanctis Veteris Teſtamenti fuiſſe exhibitam conſtat. Nam Joſue 7. v. 6. Joſue ſcidit veſtimenta ſua, & pronus cecidit in terram coram Arca Domini uſque ad veſperam, tam ipſe quàm omnes ſenes Iſrael, miſeruntque pulverem ſuper capita ſua. Quantâ autem veneratione, ſacrâ ſolemnique pompâ, ac religioſo apparatu

ratu

Digitized by Google

ratu David Rex & Propheta Arcam è domo Abinadab, & è domo Obededom Jeroſolymam reduxerit 2. Reg. c.6. habetur, ubi Oza, qui eam temerè attigerat, à Deo percuſſus & occiſus legitur, & Obededom, cujus in domo quievit, Divinis benedictionibus cumulatus. Veneratio autem iſta, quæ Arcæ exhibebatur, non erat merè civilis, ſed religioſa, nec illi ut Deo deferebatur, ſed ut repræſentanti Dei præſentiam, qui ex illa tanquam viſibili ſede populo ſe locuturum, eique adſuturum promiſerat. Dantur igitur in veneratione gradus, ut ſcilicet poſſit alicui religioſus cultus impendi, quin ei tanquam Deo impendatur, ſed purè ut Dei præſentiam referenti ac repræſentanti.

Similem fuiſſe honorem Arcæ delatum, confirmant verba Pſalmi 98. v.5. *Adorate ſcabellum pedum ejus quoniam ſanctum eſt*: quibus Arcam Dei indicari teſtatur David 1. Paralip. cap. 28. v.2. *Cogitavi ut ædificarem domum, in qua requieſceret Arca Fœderis Domini, & ſcabellum pedum Dei noſtri*. Scriptura etiam Veteris & Novi Teſtamenti proponit nobis Deum & Angelos ſe ſe viris ſanctis ſub forma ſenſibili conſpicuos præbuiſſe, qui in illa forma ſenſibili præſentiam illorum eos repræſentante eos coluerunt, & venerati ſunt.

IV. Dicant modò veteres & novi Iconomachi: Quod diſcrimen inveniunt inter apparentias illas ex aere, vel alia materia formatas, ſub quibus Deus & Angeli corporeis oculis ſe viſibiles præbuerunt, & inter eorum Imagines, vel ſculptas vel penicillo ex coloribus expreſſas? Si apparentias illas, quia Deum & Angelos referebant, venerari licebat; & qui eas venerabatur, non aerem vel aliam materiam ex quâ conſtabant, ſed Deum & Angelos in eis venerabatur, cur Imago ad Deum & Angelos ſub iiſdem apparentiis, quibus ſe conſpicuos præbuerunt, repræſentandum efformata, tanquam ſignum Deum & Angelos oſtendens venerabilis non erit, & qui eam veneratur non Deum in ipſa & Angelos, ſed materiam ex qua facta eſt, veneretur? Imaginem non materia conſtituit, ſed ſimilitudo rei quam repræſentat. Ex quacumque ergo materia imago conficta ſit, ſi id cujus eſt imago honorabile ſit, & ipſa imago relativè ad ipſum honorabilis eſt. Nec dicatur apparentias, ſub quibus Deus & Angeli ſe conſpicuos præbuerunt, fuiſſe à Deo efformatas, alias autem imagines eſſe opera manibus hominum facta. Nam etiam Arca fœderis & Cherubim erant opera hominum; & tamen ad ea volente Deo Iſraelitæ venerabundi procumbebant; & ratio eſt, quia honoratio vel inhonoratio imaginis, non ab eo à quo formata eſt, ſed ab eo ad quod repræſentandum formata eſt, penſari debet: & ideò eâdem ratione quâ

Digitized by Google

imagines Idolorum execramur, Imaginem Dei Chriſti & Sanctorum venerari debemus.

V. Confirmo hoc. Sicut voces & nomina rerum ſignificatarum ſigna ſunt, ita & imagines: voces quidem & nomina ſigna fluxa & tranſitoria, imagines verò ſigna ſtabilia & permanentia prototyporum. Atqui prioris generis aliqua veneramur: Quis enim ſanctum nomen Jeſu non honoret, prædicante Paulo ad Philipp. 2. v. 10. *In nomine Jeſu omne genu flectatur, cæleſtium, terreſtrium, & infernorum?* Igitur & imaginem Chriſti venerari cur non licebit? Si enim cùm audimus nomen Jeſu, non propter vocem proferentis, aut literas, aut ſyllabas illud veneramur, ſed quia ſignum eſt nobis revocans in memoriam ipſum Chriſtum Redemtorem noſtrum: Ita cum Jeſu Chriſti Imaginem videntes colimus, in ea non colores aut marmor, ex quibus compacta eſt, ſed ipſum Chriſtum, quem nobis repræſentat, adoramus. Ad eum modum quo regio nomini & ſigillo reverentiam præſtamus, non propter ſyllabas, vel plumbum, ſed quia Regiæ majeſtatis ſigna ſunt.

VI. Audiendus eſt Leontius Neapolios Cypri Epiſcopus in Synodo VII. Actione 4. omnia prædicta diſertè proponens: *Audi Deum dicentem ad Moyſen* „ Imaginem duorum Cherubim aureorum ſculptilium conſtrue obumbrantium propitiatorium „; *& iterum circa Templum quod Deus oſtendit Ezechieli* „ Facies, dixit, palmarum & leonum & hominum & Cherubim à pavimento ejus uſque ad laquear tecti „. *Verè terribilis ſermo, qui mandat Iſraeli non facere omne ſculptile, neque iconam, neque ſimilitudinem eorum quæcumque ſunt in Cælo, & quæcumque ſunt ſuper terram; & ipſe præcipit Moyſi facere ſculptilia animalia, Cherubim: qui & Ezechieli plenum imaginibus & ſimilitudinibus ſculptilium, leonum, palmarum & hominum templum oſtendit. Unde & Salomon ex Lege acceptâ figurâ plenum fecit Templum æneis & ſculptilibus & fuſilibus leonibus, & bobus, & palmis, & hominibus: & tamen non eſt in his reprehenſus à Deo. Si igitur me reprehendere vis ſuper Imaginibus, reprehende Deum, qui hæc facere juſſit, ut in recordationem ejus eſſent apud nos.*

Quia verò Judæus, cum quo diſputabat, dixit: *Sed non adorabantur illæ ſimilitudines ſicut Dii, ſed ad recordationem ſolam efficiebantur;* Reponit Leontius: *Benè dixiſti, quia & penès nos ſicut Dii non adorantur Sanctorum characteres & Iconæ vel formæ. Si enim ut Deum adorarem lignum Imaginis, poſſem profectò & ligna reliqua adorare. Nam ſi ut Deum lignum adorarem, minimè utique deleto charactere Iconam incenderem. Et ideò uſquequò compacta ſunt*

duo

duo ligna Crucis, adoro figuram propter Chriſtum, qui in ipſa crucifixus eſt, poſtquam autem ab invicem ſeparata fuerunt, projicio ea & incendo. Et ſicut is qui juſſionem Imperatoris ſuſcepit, & ſalutavit ſigillum, non lutum adoravit, aut chartam, aut plumbum, ſed Imperatori adorationem & cultum impendit: ita & nos Chriſtianorum pueri figuram Crucis adorantes, non naturam ligni adoramus, ſed ſignum & annulum & characterem Chriſti, eum aſpicientes, per eum illum qui in eo crucifixus eſt, ſalutamus & adoramus. Et ſicut pueri proprii patris cujuſdam, qui peregrè profectus eſt ad tempus ab illis, multo erga eum affectu ex anima flagrantes, ſive virgam ejus in domo videant, ſive ſedem, ſive chlamydem; hæc cum lacrymis deoſculantes amplectuntur, & non illa adorant, ſed patrem deſiderant & honorant: ita & nos omnes fideles, ut virgam Chriſti Crucem adoramus: ut ſedem verò & cubile, ipſius Sanctiſſimum Monumentum, ut domum Præſepe & Bethlehem .... Non locum neque domum, neque regionem, vel civitatem aut lapides honorantes, ſed eum qui in illis converſatus eſt, & illuxit, & in carne innotuit, atque ab errore liberavit, Chriſtum videlicet Dominum noſtrum; & per Chriſtum ea quæ ſunt Chriſti, paſſionem in Eccleſiis, in domibus, & plateis, & in imaginibus, & in ſindonibus, & in penetralibus, & in veſtimentis, & omni loco formamus, ut inceſſanter aſpicientes hæc, commoneamur & non obliviſcamur, ut tu (Judæe *) oblitus es Domini Dei tui.*

Et ſicut tu adorans Librum Legis, non naturam pellium vel atramenti, quæ in ipſo eſt, adoras; ſed verba Dei, quæ in illo continentur; ita & ego Imaginem Chriſti adorans, non naturam lignorum & colorum adoro (abſit) ſed inanimatum characterem Chriſti tenens, per eum, Chriſtum tenere mihi videor & adorare. Et ſicut Jacob acceptam à filiis ſuis tunicam variam & ſanguinolentam Joſeph, deoſculatus eſt cum lacrymis, & propriis oculis hanc circumpoſuit: & non veſtimentum amans vel honorans hoc fecit, ſed per id æſtimans, Joſeph oſculari & in manibus eum habere: ita & Chriſtiani univerſi Imaginem Chriſti, vel Apoſtolorum, aut Martyrum tenentes aut ſalutantes carne, Chriſtum ipſum, vel Martyrem ejus, animâ nos tenere exiſtimamus. His & aliis (quæ in Nicæna II. Synodo Act. 4. videre quis poterit) exponit modum, quo à Catholicis honorantur Chriſti & Sanctorum Imagines, Leontius Epiſcopus, qui circa finem ſeculi ſexti vixit.

VII. Juxta hanc doctrinam, uſum & cultum Sacrarum Imaginum Eccleſia Catholica ſuſcepit, & repugnantibus quovis tempore obſtitit. Unde cùm ſeculo ſexto decimo Novatores inter alia uſum etiam & cultum Sacrarum Imaginum ſuſtuliſſent, Concilium Tridentinum ſeſſ. 25. ita decernit: *Imagines porrò Chriſti, Deiparæ*

Virginis, & aliorum Sanctorum, in Templis præſertim habendas & retinendas, eiſque debitum honorem & venerationem impertiendam: non quòd credatur ineſſe aliqua in eis Divinitas, vel virtus, propter quam ſint colendæ, vel quòd ab eis ſit aliquid petendum, vel quod fiducia in Imaginibus ſit figenda: veluti olim fiebat à Gentibus, quæ in Idolis ſpem ſuam collocabant; ſed quoniam honos qui eis exhibetur refertur ad prototypa, quæ illæ repræſentant: ita ut per Imagines quas oſculamur, & coram quibus caput aperimus & procumbimus, Chriſtum adoremus, & Sanctos quorum illæ ſimilitudinem gerunt veneremur; id quod Conciliorum, præſertim verò ſecundæ Nicænæ Synodi decretis contra Imaginum oppugnatores eſt ſancitum.

Illud verò diligenter doceant Epiſcopi, per hiſtorias myſteriorum noſtræ redemtionis, picturis, vel aliis ſimilitudinibus expreſſas, erudiri & confirmari populum in articulis fidei commemorandis & aſſiduè recolendis: tum verò ex omnibus Sacris Imaginibus magnum fructum percipi, non ſolùm quia admonetur populus beneficiorum, & munerum quæ à Chriſto ſibi collata ſunt; ſed etiam quia Dei per Sanctos miracula & ſalutaria exempla oculis fidelium ſubjiciuntur; ut pro iis Deo gratias agant, ad Sanctorumque imitationem vitam moreſque ſuos componant, excitenturque ad adorandum ac diligendum Deum, & ad pietatem colendam. Si quis autem his decretis contraria docuerit, aut ſenſerit, anathema ſit.

§. VI.

Iconomachorum objecta ſoluta.

I. ICONOMACHORUM tum Veterum tum Recentiorum contra uſum & cultum Sacrarum Imaginum momenta, vel inania, vel calumniis eſſe contexta, oſtendi in Vera Eccleſia Tom. 2. p. 2. art. 16. & Tomo 16. Theol. q. 7. Dub. 5. Ea quoquè diſſipat Natalis Alexandre in Hiſt. Eccl. Seculi 8. Diſſert. 6. Quæ omnia videnda Studioſo relinquo. Paucis ergo hìc me expediam.

II. Duo præcipua ſunt, quæ contra uſum Sacrarum Imaginum in Eccleſiis à prioribus ſeculis excerpunt Proteſtantes, quæ Binghamus his verbis profert „ Poſitiva dantur argumenta ex quarto „ ſeculo, quòd in quibuſdam locis tunc temporis eas collocare „ non fuerit licitum „. Exempli cauſa in Hiſpania tempore Concilii Illiberitani anno 305. decretum poſitivum contra picturas legitur, nempè unus ex iſtius Concilii Canonibus (36.) in hunc modum: *Placuit picturas in Eccleſia eſſe non debere, ne quod colitur aut adoratur, in parietibus depingatur.* Atque ita omninò in Cypro Inſula

Digitized by Google

ſula ſub finem hujus ſeculi obtinuit, ut ex notiſſima illa Epiphanii ad Joannem Epiſcopum Jeroſolymitanum Epiſtola ab Hieronymo latinè reddita patet, in qua de tranſitu ſuo per villam Palæſtinæ, quæ dicebatur *Anablatha* loquens: *Inveni ibi*, inquit, *velum pendens in foribus ejuſdem Eccleſiæ tinctum atque depictum, & habens Imaginem quaſi Chriſti vel Sancti cujuſdam. Non enim ſatìs memini, cujus Imago fuerit. Quùm ergo hoc vidiſſem, in Eccleſia contra auctoritatem Scripturarum hominis pendere Imaginem, ſcidi illud, & magìs dedi conſilium cuſtodibus ejus loci, ut pauperem mortuum eo obvoluerent & efferrent.*

III. Ad primùm de Concilio Illiberitano jam dixi in Vera Eccleſia loco citato §. 10. unde ibi dicta videri poſſunt, ſicut & dicta Tom. 16. Theol. allegato loco §. 5. n. 34. Nunc addam, Concilium illud decem & novem tantùm Epiſcoporum Binghamio & ſuis non favere. Non enim loquitur de omnibus omninò Imaginibus, ſed ſolùm de Imaginibus Dei, ſive Sanctiſſimæ Trinitatis: Deus enim & Sanctiſſima Trinitas eſt, quæ propriè & per ſe colitur, & adoratur. Illius autem Imagines in Eccleſiis pingendi uſus & ritus nondum invaluerat, cujus rationem dat Origenes L. 7. contra Celſum versùs finem dicens: *Ut qui Deum incorporeum & inviſibilem nullâ figura circumſcribimus*. Quod magis exponit Albaſpinæus Aurelianenſis Epiſcopus in Comment. ad eum Canonem: *In picturis & tabulis, non verò de ſignis aut ſtatuis hoc agitur, & de picturis quidem, non quibus Sancti & Martyres, ſed quibus Deus ipſe, ipſaque Trinitas repræſentaretur, illi ſiquidem non adorantur. Vetant igitur Deum in parietibus depingi, ne ſcilicet quem Gentilibus & Catechumenis immenſum, omnipotentem, inviſibilem, æternum, incomprehenſibilem, ſpiritualem, corporis & materiæ expertem & immunem prædicarent, eum ipſi Gentiles & Catechumeni in ipſorum Eccleſiis lineis & coloribus circumſcriptum & comprehenſum cernerent. Ne igitur Divini Numinis majeſtas minueretur, & aliud de Deo depingeretur, quàm prædicarent; & quem ſupra homines extollerent, humanâ ſpecie depictum oculis objicerent; vetant, ne in Eccleſia Dei Imagines ſuſpendantur. Hæc ad Sanctorum Imagines nullatenus pertinent* &c. Ita exponunt etiam Schelſtratius Diſſert. de Diſciplina Arcani cap. 6. art. 3. Card. Bona Rerum Liturg. cap. 16. hunc Canonem fuiſſe editum *ex more*, inquit, *iſtius ſeculi ſollicitè caventis, ne religionis noſtræ arcana infidelibus proderentur*; quibus ſubſcribit Mendoza in Comment. ad dictum Canonem. Crederem quoquè dici poſſe, dictum Canonem in venerationem Sacrarum Imaginum editum eſſe: Obſervo enim abſolutè in eo non dici ne *pingatur*, ſed ne *in parietibus depingatur*, ne ſcilicet Imagines in parietibus

tibus pictæ cùm amoveri & abſcondi non poſſent, infidelium Eccleſias invadentium vel evertentium inſultibus, ac profanationi paterent.

IV. Peto tamen à Binghamio & ſuis: Si Illiberitana Synodus tantæ apud vos auctoritatis eſt, ut propter iſtum illius Canonem Imagines omnes à veſtris Eccleſiis ejiciatis: cur alios ejuſdem Canones non recipitis, ſed contemnitis? Canone 13. ſtatuit: *Virgines quæ ſe Deo dicaverint, ſi pactum perdiderint virginitatis, atque eidem libidini ſervierint, non intelligentes quid amiſerint, placuit nec in fine dandam eſſe communionem.* Vos virginitatis votum ſubſannatis, imò ab ejus violatione Lutherus, ejuſque diſcipuli veſtram Sectam inchoarunt. Canone 23. Jejunia ſeu abſtinentias ſuperpoſitas vult celebrari. Vos jejunia omnia, & abſtinentias, quas ab Eccleſia ſuperpoſitas inveniſtis, à veſtris cœtibus abrogaſtis. Canone 33. ita decernit: *Placuit in totum prohiberi Epiſcopis, Presbyteris & Diaconibus, vel omnibus Clericis poſitis in miniſterio, abſtinere ſe à conjugibus ſuis, & non generare filios: quicumque verò fuerit, ab honore clericatus exterminatur.* Vos veſtros Miniſtros conjugio & liberorum generationi vacare vultis, & noſtrorum Miniſtrorum continentiam maledicere non deſiſtitis. Si ergo Synodus Illiberitana alicujus auctoritatis eſt apud vos, cur ſolum ejus Canonem contra picturas ſuſcipitis, ac cæteros rejicitis? Ita Eccleſiaſticas Sanctiones, quæ vobis diſplicent pro libito repudiatis, quæ vobis placent extollitis. Quamvis, ut dixi, nec Canon ille vobis faveat, quia ſolùm pro circumſtantiis illius temporis editus: quibus ceſſantibus, poſteriora Concilia contrarium ſtatuerunt, & univerſa Eccleſia uſu continuo recepit, vobis ſolis contradicentibus.

V. Quod ſecundò additur de S. Epiphanio jam ſolvi in Vera Eccl. citato cap. *16.* §. *13.* Dato enim, quòd ſciſſio illa veli à S. Epiphanio facta non ſit ſuppoſita, de quo ut ibi §. *9.* num. *56.* oſtendi non pauci dubitarunt, non eſt contra nos; ut enim verba relata demonſtrant, S. Epiphanius velum illud non ſcidit, quia in eo picta eſſet Imago Chriſti, ſed quia ita indecenter formata erat, ut an Chriſti, an alterius hominis eſſet Imago: cùmque ut ipſe dicit: *In Eccleſia contra auctoritatem Scripturarum ſit hominis pendere Imaginem, ſcidi illud.* Quibus ipſemet Epiphanius exponit cauſam, quâ velum illud ſcidit. Hoc autem conforme eſt inſtituto Eccleſiæ, quæ noviſſimè in Tridentino ſeſſ. 25. ubi poſtquam præſcripſit, in Eccleſiis nihil poni quod profanum indecens inhoneſtum appareat, quia *domum Dei decet ſanctitudo* (Pſalm. *92.*) ſubjungit: *Hæc ut fideliùs obſerventur, ſtatuit Sancta Synodus, nemini licere ullo in loco, vel Eccleſia, etiam quomodolibet exemtâ, ullam inſolitam*

tam

tam ponere, vel ponendam curare Imaginem, niſi ab Epiſcopo approbata fuerit.

VI. De Imaginibus Dei, an formari poſſint, & quomodo, ac de earum cultu ſatis egi in Vera Eccleſia Tom.2. p.2. Art.16. §.1. & Tom.16. Theol. q.7. Dub.5. §. 4., ubi oſtendi licere Deum pingere ſub illis ſimilitudinibus, quibus Sacra Scriptura nos docet ipſum apparuiſſe. Si enim licuit Sacris Scriptoribus Deum ſub illis corporeis formis, ſub quibus ſe exhibuit mente concipere, & exteriùs in charta literis & ſyllabis deſcribere, cur non licebit eum ſic in tela coloribus pingere vel in marmore ſculpere, ut ex illa ſenſibili figura mens ad inviſibilem ejus naturam aſſurgat? Sanè inquit Paulus Rom. 1. v. 20. *Inviſibilia ipſius à creatura Mundi, per ea quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur.*

Fateor tamen, Imaginum Dei uſum in primitiva Eccleſia rarum fuiſſe, non quia primi fideles illicitum eum putarent, ſed prudenti quâdam œconomiâ: ne vel recèns ab idololatria converſi putarent, Dei naturam talem eſſe, qualis pingeretur, & qualis erat natura ſuorum Deorum, & ſic idololatriam eſſe non extinctam, ſed mutatam; vel ne Gentiles occaſionem calumniandi ſumerent, quaſi Chriſtiani Deum corporeum haberent, ut Anthropomorphitæ dicebant, & Manichæi exprobrabant. At procedente tempore, idololatriâ extinctâ, & hæreticorum erroribus ſepultis, edocti Chriſtiani illis Imaginibus non Dei naturam, ſed ſymbolum ſub quo apparuerat exprimi, uſus exprimendi talibus Imaginibus Deum frequens eſſe cœpit: cui licèt initio aliqui ex Patribus non aſſenſerint; cùm tamen à multis ſeculis receptus ſit in Eccleſia, utilis credendus eſt, alioquin illum Eccleſia non probaſſet, nec toleraſſet.

VII. De Angelis ſimiliter dico, poſſe repræſentari per Imagines ſub illis formis ſub quibus ſe viſibiles exhibuerunt in Veteri Teſtamento, eiſque adduntur alæ ad exprimendam eorum agilitatem, & quia Iſaiæ 6. v. 2. & 6. volantes deſcribuntur. Et apud Ezechielem alas habentes paſſim proponuntur.

Quæ contra Imagines earumque uſum & cultum ab antiquis & modernis Iconomachis objiciuntur, videri poſſunt à me citatis locis ſoluta, ſicut & alia multa in earum præſidium allata. De quibus omnibus etiam Alexandre tractat in Hiſtoria Eccl.Seculi 8. Diſſert. 6. Non enim expedit in hac controverſia diutiùs me detinere Lectorem.

CAPUT LXXXI.

De Aldeberto, & Clemente.

§. I.

Utriuſque errores.

I. DUm Eccleſia Chriſti Iconoclaſtarum hæreſi in Oriente vexaretur, non defuit Diabolus ad eam etiam in Occidente turbandam pernicioſa ſemina ſpargere, Aldeberto & Clemente tanquam Miniſtris uſus. Hi anno circiter ſeptingenteſimo quadrageſimo quarto turbas in Francia excitare, plebem Chriſtianam ſeducere, & Bonifacio Germanorum Apoſtolo negotium faceſſere cœperunt. De his Zachariam tunc Pontificem Maximum ſuis literis certiorem fecit Bonifacius: quæ literæ extant initio Concilii Romani II. anno 745. ſub eodem Zacharia coacti. In eis nomina eorum primò referens: *Unus*, inquit, *qui dicitur* Aldebert *natione generis Gallus eſt, alter qui dicitur* Clemens, *genere Scotus eſt: ſpecie erroris diverſi, ſed pondere peccatorum pares*. Subinde ipſum obſecrat, ut auctoritate ſuâ horum inſaniæ frænum imponat, vel mandando ut carceri mancipentur, vel ut ſibi placuerit; ipſumque adjuvet, ne populus iſtorum vanis prodigiis ac ſignis illuſus à vera doctrina deflectat, addens: *Propter iſtos enim perſecutiones & inimicitias & maledictiones multorum populorum patior, & Eccleſia Chriſti impedimentum fidei & doctrinæ rectæ ſuſtinet. Dicunt enim de Aldeberto, quòd eis Sanctiſſimum Apoſtolum abſtulerim, patronum & oratorem, & virtutum factorem, & ſignorum oſtenſorem abſtraxerim.*

II. Deinde tranſiens ad oſtendendam Aldeberti vitam & fallacias, ſubdit: *In primæva enim ætate hypocrita fuit, dicens, quòd ſibi Angelus Domini in ſpecie hominis de extremis finibus mundi miræ, & tamen incertæ ſanctitatis reliquias attulerit, & exinde poſſet omnia quæcumque à Deo poſceret impetrare: & tunc demum per illam ſimulationem, ſicut Paulus Apoſtolus prædixit, domos multorum penetravit, & captivas poſt ſe mulierculas duxit oneratas peccatis, quæ ducebantur variis deſideriis: & multitudinem ruſticorum ſeduxit, dicentium, quòd ipſe eſſet vir Apoſtolicæ ſanctitatis, & ſigna atque prodigia faceret. Deinde conduxit Epiſcopos indoctos, qui ſe contra præcepta Canonum abſolutè ordinarunt. Tumque demum in tantam ſuperbiam elatus eſt, ut ſe æquipararet Apoſtolis Chriſti: & dedigna-*

Digitized by Google

dignabatur in alicujus honore Apoſtolorum vel Martyrum Eccleſiam conſecrare; improperans hominibus etiam, cur tantoperè ſtuderent Sanctorum Apoſtolorum limina viſitare. Poſteà, quod abſurdum eſt, in proprii nominis honore dedicavit Oratoria, vel, ut veriùs dicam, ſordidavit. Fecit quoquè Crucicolas & Oratoriola in campis, & fontes, vel ubicumque ſibi viſum fuit: & juſſit ibi publicas orationes celebrari, donec multitudines populorum, ſpretis cæteris Epiſcopis, & dimiſſis antiquis Eccleſiis, in talibus locis conventus celebrarent, dicentes,, Merita Sancti Aldeberti adjuvabunt,,. *Ungulas quoquè & capillos ſuos dedit ad honorificandum & portandum cum Reliquiis Sancti Petri Principis Apoſtolorum. Tum demum, quod maximum ſcelus & blaſphemia contra Deum eſſe videbatur, fecit. Venienti enim populo & proſtrato ante pedes ejus, & cupienti confiteri peccata ſua, dixit: Scio omnia peccata veſtra, quia mihi cognita ſunt omnia occulta. Non eſt opus confiteri, ſed dimiſſa ſunt peccata veſtra: ſecuri & abſoluti redite ad domos veſtras cum pace.* Hæc de Aldeberto in hypocriſi loquente mendacia, & ſimplices impiè ſeducente, ſcribit Bonifacius.

III. De Clemente verò ſubjungit: *Alter autem hæreticus, qui dicitur Clemens, contra Catholicam contendit Eccleſiam, & Canones Eccleſiarum Chriſti abnegat & refutat: tractatus & ſermones Sanctorum Patrum Hieronymi, Auguſtini, Gregorii recuſat. Synodalia jura ſpernens proprio ſenſu affirmat, ſe poſt duos filios ſibi in adulterio natos, ſub nomine Epiſcopi eſſe poſſe Chriſtianæ Legis Epiſcopum. Judaiſmum inducens judicat juſtum eſſe Chriſtiano, ut ſi voluerit, viduam fratris defuncti accipiat uxorem. Contra fidem quoquè Sanctorum Patrum contendit, dicens: quòd Chriſtus Filius Dei deſcendens ad Inferos, omnes quos inferni carcer detinuit inde liberavit, credulos, & incredulos, laudatores Dei, & cultores Idolorum, & multa alia horribilia de prædeſtinatione Dei contraria fidei Catholicæ affirmat.* Hæc de Clementis erroribus Bonifacius: Zachariam enixè rogans, ut hiſce malis validè, etiam Carlomanni Ducis ope, occurrat, ne oves morbidæ totum corrumpant ovile. An ex hoc Clemente multa præſertim de contemtu Canonum & Patrum Eccleſiæ hauſerint Lutherus, & alii Pſeudo-Reformatores, eruditus Lector judicet.

Aldebertus vitam ſuam conſcriptam vel à ſe, vel ab aliquo ex ejus Diſcipulis, falſis miraculis & viſionibus populis imponentem, evulgabat. Epiſtolam quamdam ineptiſſimam, velut Jeſu Chriſti, è Cœlo tranſmiſſam mentiebatur. Tandem ignotorum Angelorum nomina in Oratione à ſe compoſita invocabat: de quibus §. ſequenti agam.

§. II.

Utriuſque damnatio.

I. DAmnatus primò fuit Aldebertus in Synodo Sueſſionenſi ab Epiſcopis 23. anno Chriſti 744. & ſecundo Childerici Regis, in quo Canone 2. ſic dicitur: *Et ut hæreſis ampliùs non reſurgat, ſicut invenimus in Aldeberto hæreſim, quem publicitùs unâ voce condemnaverunt viginti tres Epiſcopi & alii multi Sacerdotes cum conſenſu Principis & populi, ita condemnaverunt ipſum Aldebertum, ut ampliùs populus per falſos Sacerdotes deceptus non pereat*: & Can. 7. *Similiter conſtituimus, ut, illas Cruciculas quas Aldebertus per Parochiam plantaverat, omnes igne conſumantur*. Utriuſque, ſcilicet Aldeberti vel Adalberti & Clementis mentio fit in Concilio Germanico III. à S. Bonifacio ut Sedis Apoſtolicæ Legato anno 745. congregato his verbis: *Totius autem erroris, qui tum in Germania graſſabatur, præcipui auctores duo fuere hæretici Clemens & Aldebertus.*

II. Aldeberto & Clemente à Bonifacio damnatis, & in cuſtodiam redactis, ſed adhuc impœnitentibus & populum ſeducere tentantibus, Zacharias Romanus Pontifex anno 745. vel 746. Romæ in Patriarchico Lateranenſi 25. Octobris Concilium convocavit, quod eſt Romanum II. In eo lectâ Act. 1. præfatâ Bonifacii Epiſtolâ utriuſque errores continente. Act. 2. lecta fuit ejuſdem Aldeberti Vita ab ipſo evulgata, quæ talis eſt: *In nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti. Incipit vita ſancti & beati Dei famuli, & præclari atque per totum ſpecioſi, & electione Dei nati, ſancti Aldeberti Epiſcopi. De parentibus ſimplicibus fuit procreatus, & de gratia Dei eſt coronatus: quia dum in utero matris eſſet, ibi gratiam Dei accepit: & antequam perveniſſet beatiſſima nativitas ejus, vidit genitrix ejus, quaſi per viſionem, egredientem vitulum de dextero latere ſuo: qui vitulus deſignabat gratiam illam, quam ab Angelo acceperat, antequam exiret de vulva*. Ita impoſtor iſte quaſi alterum Jeremiam vel Baptiſtam ſanctificatum in utero ſimplicibus ſe venditabat. Quare meritò hanc inſanam blaſphemiam Synodus execrata fuit.

III. Eâdem Actione mandante Zachariâ relecta fuit Epiſtola Domino Jeſu Chriſto ab Aldeberto ſuppoſita, hiſce terminis concepta: *In Dei nomine incipit Epiſtola Domini noſtri Jeſu Chriſti Filii Dei, quæ in Jeroſolyma cecidit, & per Michaelem Archangelum inventa eſt ad portam Ephrem, & per manus Sacerdotis nomine Leoræ Epiſtola iſta relecta fuit & exemplata: & tranſmiſit eam ad Hieremiam*

miam civitatem ad alium Sacerdotem nomine Talaſiam : & ipſe Talaſius tranſmiſit eamdem ad Arabiam civitatem ad aliam Sacerdotem Leobanium ; & ipſe Leobanius tranſmiſit Epiſtolam iſtam ad Verſaviam civitatem , quam recepit Macherius Sacerdos Dei , & tranſmiſit in Montem Sancti Michaelis Archangeli . Et ipſa Epiſtola per manus Angeli Domini pervenit ad Romanam civitatem ad locum Sepulcri Sancti Petri , ubi claves Regni Cœlorum conſtitutæ ſunt : & duodecim Papati, qui ſunt in Romana civitate triduanas fecerunt vigilias , & in vigiliis & orationibus permanſerunt diebus ac noctibus & cætera uſque ad finem perlecta . Quibus auditis Zacharias Papæ dixit ,, Pro certo, Fratres cariſſimi, iſte Aldebertus in inſaniam eſt converſus : ,, & omnes qui hac utuntur ſcelerata Epiſtola , more parvulorum ,, abſque memoria mentium ſunt ; & muliebribus ſenſibus inſaniunt ,, . Quid autem in illa Epiſtola contineretur, Synodi Acta non exprimunt .

IV. Actione 3. in medium prolata eſt formula,quam ad Deum precandum Aldebertus ſibi confinxerat , in qua præter alia, ignotorum Angelorum nomina invocabat : *Precor vos , & conjuro vos , & ſupplico me ad vos , Angele Uriel , Angele Raguel , Angele Tubuel , Angele Michael , Angele Inias , Angele Tubuas, Angele Sabaoch, Angele Simiel* . Quibus lectis, petente Zachariâ à Patribus, quid ſentirent, reſponderunt : *Quid aliud agendum eſt , niſi ut omnia quæ nobis relecta ſunt , igni concrementur , auctores verò eorum anathematis vinculo percellantur ? Non enim nomina Angelorum , præter nomina Michaelis , ſed nomina Dæmonum ſunt , quæ in ſuis orationibus invocavit ad præſtandum auxilium ſibi . Nos autem ut à veſtro ſancto apoſtolatu edocemur , & Divina tradit auctoritas , non plus quàm trium Angelorum nomina cognoſcimus , ideſt Michael , Gabriel, Raphael : alioqui de myſterio , ſub obtentu Angelorum , Dæmonum nomina introduxit* . Zacharias Pontifex reſpondit : *Optimè proviſum eſt à veſtra Sanctitate , ut ſcripta illius omnia igne crementur . Sed opportunum eſt , ut in ſcrinio noſtro ad reprobationem , & ad perpetuam confuſionem ejus reſerventur* .

V. His peractis ad ſententiam contra Aldebertum & Clementem his verbis conceptam ventum eſt : *Aldebertus , cujus nobis actus & nefaria commenta relecta ſunt ; quia ſe Apoſtolum cenſuit nominare , & capillos atque ungulas ſuas populis pro ſanctuario exhibuit , ſeducens populos diverſis erroribus ; & quoniam ſub obtentu Angelorum in ſuo auxilio Dæmones invocavit , ab omni officio Sacerdotali deponatur , agens pœnitentiam pro commiſſis , & ampliùs jam populum minimè ſeducat . Sin autem in his erroribus perſeveraverit , & populum ampliùs ſeduxerit , ſit ei anathema , & æterno Dei judicio con-*

condemnetur ; omniſque qui ei conſenſerit, vel ejus ſecutus fuerit doctrinam, aut adjunctus illi fuerit.

Similiter autem & Clemens, qui per ſuam ſtultitiam Sanctorum Patrum ſcripta reſpuit, vel omnia Synodalia acta parvipendit, inferens etiam Chriſtianis Judaiſmum, dum prædicat fratris defuncti uxorem poſſe in matrimonio jungi: Inſuper & Dominum Jeſum Chriſtum deſcendentem ad Inferos pios & impios ſimul indè abſtraxiſſe, ab omni ſacerdotali officio deponatur, & anathematis vinculo obligetur, atque niſi reſipuerit, æterno Dei judicio condemnetur; vel etiam omnes, qui ejus ſacrilegis conſenſerint prædicationibus. Hâc ſententiâ Zacharias in Romana Synodo Aldeberti & Clementis inſanos errores diris devovit.

VI. De Actis Synodi per Epiſtolam Gemmuli Eccleſiæ Romanæ Diaconi certiorem fecerunt Patres S. Bonifacium his verbis: *Facta eſt Synodus Sacerdotum præſidente Domino Apoſtolico: & relecta eſt ſacrilega illius Aldeberti nefandiſſimi vita, & omnia opuſcula illius coram Synodo, pariter & Epiſtola Sanctiſſimæ Paternitatis veſtræ, ubi de illo & de Clementis dementia ſuggeſſiſtis: & ſic geſtis peractis, ſententia anathematis in eos promulgata eſt.* Quid autem de Adelberto & Clemente poſtea fuerit, an reſipuerint, an in erroribus pertinaces continuaverint, & qualis fuerit eorum exitus, apud neminem Scriptorum reperire potui.

CAPUT LXXXII.

De Felice & Elipando.

§. I.

Qui fuerint, & in quo primariò errarint.

I. Fuerunt ambo natione Hiſpani: Felix quidem Urgellæ, quæ Civitas eſt in Pyrenæi jugo ſita, Epiſcopus; Elipandus verò Toletanus Antiſtes. Porrò Felix cùm ſcientiâ celebris haberetur, ab Elipando Epiſcopo conſultus, quid de humana Chriſti natura ſentire deberet, utrum ſcilicet ſecundùm quòd homo, Naturalis ac proprius, an verò Adoptivus Filius dicendus eſſet, Adoptivum dicendum eſſe non ſolùm reſpondit, ſed & ſcriptis pertinaciter propugnavit. Ita refert Æginardus in Annalibus ad ann. 792. his verbis: *Orgellis eſt Civitas in Pyrenæi Montis jugo ſita; cujus Epiſcopus nomine Felix natione Hiſpanus ab Elipando Toleti Epiſcopo per literas conſultus, quid de humanitate Salvatoris*

ris Dei & Domini noſtri Jeſu Chriſti ſentire deberet, utrum ſecundùm id quod homo eſt, proprius an adoptivus Dei Filius credendus eſſet ac dicendus, valdè incautè atque inconſideratè, & contra antiquam Catholicæ Eccleſiæ doctrinam, adoptivum non ſolùm pronuntiavit, ſed etiam ſcriptis ad memoratum Epiſcopum libris perverſiſſimè pravitatem opinionis ſuæ defendere curavit.

II. Errorem ſibi à Felice inſinuatum Elipandus nedum ſuſcepit, ſed inito fœdere illum publicare uterque ſategit, eoque Provincias ſibi concreditas inquinare: Elipandus quidem Aſturiam & Gallæciam, Felix verò Septimaniam Galliæ Narbonenſis regionem. Quin & in Galliam & Germaniam ſuæ hæreſeos virus afflare Felix conatus fuit. Sed fruſtra, viris eruditis præſentiſſimum ex Sacra Scriptura antidotum ei opponentibus, & Carolo Magno ſui Regni Antiſtites ad novam hæreſim conterendam excitante, & auctoritate ſuâ hæreticos comprimente. Ita refert Jonas Aurelianenſis Lib. 5. adversùs Claudium Taurinenſem.

III. Palmaris ergo Felicis & Elipandi error fuit, Chriſtum ſecundùm humanitatem non eſſe Proprium Filium Dei, ſed Adoptivum. Ita præter Jonam Aurelianenſem Etherius Auxumenſis in Hiſpania Epiſcopus, & Beatus in Aſturia Provincia Presbyter L. 1. adv. Elipandum: *Duæ*, inquiunt, *quæſtiones in Aſturicenſi Eccleſia ortæ: & ſicut duæ quæſtiones; ita duo populi, & duæ Eccleſiæ, una pars cum altera pro uno Chriſto contendunt..... Una pars Epiſcoporum dicit, quòd Jeſus Chriſtus adoptivus eſt humanitate, & nequaquam adoptivus Divinitate. Altera pars dicit: Niſi ex utraque naturâ unicus eſt Dei Patris Filius proprius, non adoptivus: in tantum proprius, ut ipſe ſit Dei Filius Deus verus; & ipſe adoretur, & colatur, qui ſub Pontio Pilato eſt crucifixus. Hæc pars nos ſumus*, ideſt Etherius & Beatus, *cum cæteris ita credentibus*. Hoc zelo hi duo, licèt fremente Elipando, fidem ſuam ac veram proteſtabantur.

IV. Hic eorum error apertè eruitur ex libello Sacroſyllabo à Paulino Aquilejenſi, & Petro Mediolanenſi cæteriſque Italiæ Epiſcopis in Synodo Francofordienſi edito, in quo legitur: *Aſtruunt igitur, ſed falſis aſſertionibus, Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Adoptivum Dei Filium de Virgine natum, quod Divinis nequeunt approbare documentis. Hæc igitur dicentes, aut in utero Virginis eum ſuſpicantur adoptatum, quod dici nefas eſt, quia ex B. Virgine inenarrabiliter ſumſit, non adoptavit carnem, aut certè purum eum hominem ſinè Deo natum, quod cogitare impium eſt, neceſſe eſt fateantur.*

V. Alcuinus quoque initio Libri 4. contra Felicem ejus verba referens: *Secundo modo*, inquit, *nuncupativè Deus dicitur, ſicut ſupe-*

ſuperius dictum eſt de ſanctis prædicatoribus, de quibus Salvator Judæis ait: Si enim illos dixit Deos, ad quos Dei ſermo factus, qui tamen non naturâ ut Deus, ſed per Dei gratiam ab eo qui verus eſt Deus Deificati, Dii ſunt ſub illo vocati: in hoc quippè ordine Dei Filius Dominus & Redemtor noſter, juxta humanitatem, ſicut in natura, ita & in nomine, quamvis excellentiùs cunctis electus, veriſſimè tamen cum illis communicat, ſicut & in cætera omnia, ideſt, in prædeſtinatione, in electione, in gratia, in ſuſceptione, in aſſumtione nominis ſervi, ut idem, qui eſſentialiter cum Patre & Spiritu Sancto in unitate Deitatis verus eſt Deus, ipſe in forma humanitatis cum electis ſuis per adoptionis gratiam Deificatus fieret, & nuncupativè Deus. Ita Chriſtum ut hominem non verum Deum, ſed nuncupativè & per adoptionis gratiam ſicut cæteros Sanctos, altiùs quidem Deificatum, Felix impiè blaſphemabat.

VI. Hoc idem ex ſchedula ab ipſo edita per modum interrogationis & reſponſionis, & apud ipſum poſt mortem reperta detexit Agobardus Archiepiſcopus Lugdunenſis in Libro adversùs Felicem cap. 9. ubi ejus verba ita refert: *Dixit itaque Felix in ſupraſcripta ſua ſchedula poſt aliqua quæ promiſerat, quaſi interrogans:* Deus Pater Omnipotens, voluntate genuit Filium, an neceſſitate? *Et reſpondit:* Quantum ad Divinitatis ejus eſſentiam pertinet, neque voluntate, neque neceſſitate, ſed naturâ. In vero quippè Filio de ſubſtantia Patris genito, voluntas nativitatem præire non poteſt, ubi natura præcedit. Sed neque neceſſitate, quæ in Deo utique non eſt. Quantùm verò ad humanitatis ejus ſubſtantiam convenit, eundem Filium ſuum, quia non ex ſemetipſo genuit, ſed de ſubſtantia Matris Virginis creavit, & naſci voluit, ob hoc, voluntate propter redemtionem noſtram, non quâlibet neceſſitate ejus filius creditur. Ita tacitè ſuum errorem Fèlix inſinuat.

Unde ſubdit Agobardus: *In hac ſententia Felix primùm ex interrogatione ſuperfluâ & vanâ, quâ interrogat, utrum voluntate an neceſſitate genuerit Filium Pater, occaſionem ſibi parat perveniendi ad id quod malè ſentit, & loquendo explicare non audet. Dicendo namque* „ In vero quippè Filio de ſubſtantia Patris genito „ *ita dividit Divinitatem ab humanitate in Domino, ut eam in ſola Divinitate dicat Filium, in qua & de Patris ſubſtantia eſt genitus; juxta humanitatem autem, in qua & dicit illum de ſubſtantia Matris Virginis creatum, ſentiat eum non verum, licèt loquendo explicare non audeat. Apparet enim hæc fraus in eo, quòd ſic de ſubſtantia Divinitatis loquitur, quaſi de alia perſona præter humanitatem. Dicens namque de ſola Divinitatis ſubſtantia* „ In vero quippè Filio „ *vult de-*

demonſtrare , non eum eſſe in utraque ſubſtantia verum Filium. Ita Agobardus.

VII. Ex his conjicere quiſque poterit, Felicem & Elipandum, licèt non apertè, ſed ſub involucris verborum, non unam, ſed duas in Chriſto agnoviſſe perſonas; unam Divinitatis, quâ erat Filius naturalis Dei Patris, aliam Humanitatis, quâ non Filius Dei per naturam, ſed per gratiam adoptionis Filius eſſet: cùm eadem Perſona nequeat eſſe Filius verè & per naturam, & nuncupativè per gratiam adoptionis: ideòque hæreſiarchas iſtos Neſtorii impietatem jam ſepultam excitare tentaſſe.

VIII. Id agnovit Concilium Francofordienſe, cujus Patres in Epiſtola ad Epiſcopos Hiſpaniæ, Felicem & Elipandum eorumque ſectatores ita alloquuntur: *Nonne olim eadem hæreſis veſtra in Neſtorio ab univerſali Sancta Eccleſia refutata, & damnata? .... Neſtorius in ſuis expoſitionibus ſimulat ſe dicere unum Filium & unum Dominum, ſed refert filiationem ad ſolum Dei Verbum*. Et infra: *Dicendo enim, quia propterea Deus Verbum Chriſtus nominatur, habet copulationem ad Chriſtum, quomodo non apertum eſt duos docere Chriſtos, ſi Chriſtus ad Chriſtum conjunctionem habet, tanquam alter ad alterum? Videtur enim, Neſtorium dicere copulationem, quod vos dicitis adoptionem*. Multis hoc oſtendit Alexandre in Hiſt. Eccleſ. Seculi 8. Diſſert. 5.

IX. De facto eſtò B. Mariam Dei Genitricem eſſe apertè non negaret, Catholicam hanc veritatem tamen minùs catholicè exponebat. Unde Agobardus Lib. adv. Felicem cap. 13. ex ſupracitata Felicis ſchedula ait: *Interrogat Felix* „ Utrum Maria Virgo Deum & hominem, ſicut pariter, ita & ſimiliter genuit, an aliter genitrix Deitatis, & aliter Humanitatis eſſe credatur „. *Reſpondetque ſibi metipſi dicens* „ Licèt eadem glorioſa Virgo Dei & hominis genitrix fideliter credatur, aliter tamen Dei genitrix, aliter hominis profitetur „.

Ad hæc verba (ſubjungit Agobardus) *nos reſpondemus, quòd non ſolùm ſint blaſphema, & omni odio digna; verùm etiam nova & inaudita. Quomodo enim aliter Dei Genitrix, & aliter hominis eſſe potuit? Certè Deum genuit incarnatum, cui uni uno eſt modo genitrix, non duobus; eo ſcilicet quo Deus in illa, & ex illa natus eſt homo. Nec eſt uſus Catholicus, Hominis eam genitricem nominare, ſed ſemper Dei genitricem. Si Deus homo factus ex illa natus eſt, duobus utique modis non eſt natus. Nam ſi duobus modis naſceretur, duabus & vicibus naſceretur, quod dici nefas eſt. Imo ſi aliter Deus ex ea, & aliter homo natus eſt, duo ſunt, alter Deus, & alter homo, ideſt non idem Deus qui homo, nec idem homo qui Deus. Neſtorius hæreticus*,

cus, qui ita ſenſit, non dixit Deum ex Maria natum, ſed hominem ex ſemine David. Iſte autem ſi Catholicus eſſet, unum eundemque eſſe & Deum & hominem, & unum uno modo, & ſemel tantùm natum crederet. Si autem eſſet Neſtorianus, aut Priſcillianiſta, ſive Photinianus, ſolum hominem crederet ex ea natum, & ſemel tantùm. Nunc autem quia dicit, Sanctam Virginem aliter Dei eſſe genitricem & aliter hominis, ego puto, quia ſicut nec uſitato more loquitur, ita nec Catholico. Certè Catholici prædicant Dominum, nec in Divinitate habere Matrem, nec in Humanitate Patrem. Hæc & alia Agobardus. Hoc certum eſt, quòd ſicut Felix de Chriſti Divinitate ſacrilegè loquebatur: ita eum non minùs impiè de maternitate B. Virginis ſentire & loqui, conſequens erat, & in utroque Neſtorianiſmum involucris tegere.

§. II.

Præfati erroris Felicis & Elipandi damnatio & rejectio.

I. ELipandus in ſuo errore obſtinatiſſimus diù perſtitit, tandem tamen reſipuiſſe dicitur. Felix autem errorem ſuum retractaſſe viſus eſt, ſed quia ſpecie tantùm, non animo & corde, illum ſuſcepit. Hinc Agobardus citato loco cap. 18. de illo: *Dixerat*, inquit, *Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum ſecundùm humanitatem adoptivum eſſe Filium Patris. Et quia licèt & alia adhuc pejora diceret, & ſentiret, neſcio quâ exiſtente causâ de ſolo Adoptionis nomine diſcuſſus eſt, quod & compulſus eſt negare convictus, & non ſolùm ter aut quater, ſed multotiès de hoc convictus, coactus eſt ad negandum hoc quod pravè auſus fuerat docere. Sed quia ex intimo cordis ſui ſenſu & promtâ voluntate non fecit, arbitratus eſt apud ſemetipſum benè ſe priùs ſenſiſſe, & poſtea malè negaſſe. Ac per hoc quia illic trepidavit timore, ubi non erat timor, idcircò in his ſuis literis nunc elaborat, ut oſtendat Dominum ſecundùm humanitatem, nec verum Deum eſſe, nec verum Filium Dei, nec proprium.*

II. Contra hunc errorem plures Synodi coactæ ſunt. Prima Forojulii in Aquilejenſi Provincia anno 791. Caroli Magni 23. à Paulino Aquilejenſi congregata fuit, in cujus Symbolo ita ſtatuitur: *Non alter hominis Filius, & alter Dei: ſed unus idemque Dei hominiſque Filius, in utraque natura, Divina ſcilicet ac humana, Deus & homo verus. Non putativus Dei Filius, ſed verus: non adoptivus, ſed proprius; quia numquam fuit, propter hominem quem aſſumſit, à Patre alienus.*

III. Sequenti anno 792. habita eſt Ratiſponæ Synodus altera, in

in qua Feliciana hæreſis anathemate confixa eſt, & ab Hadriano I. Romano Pontifice condemnata. Ad eum ductus Felix ab Angilberto Abbate errorem ejuravit, ſed ad ſuam Civitatem reverſus illum reſumſit. Ita Alcuinus Lib. 1. contra Elipandum, ubi poſtquam dixit, hæreſim hanc Synodali auctoritate fuiſſe anathemate damnatam ſubdit: *Immo & à beatæ memoriæ Hadriano Papa, qui tunc temporis S. Romanæ Eccleſiæ Apoſtolicâ auctoritate rexerat Sedem, funditùs exterminata: donec idem Felix ad veſtras refugiens partes, ſopitos infidelitatis cineres, vobis exhortantibus reſuſcitare intendit*. Quibus oſtendit, Felicem in Hiſpaniam reverſum, Elipando adhortante, errorem reſumſiſſe.

IV. De hæreſis ejuratione à Felice Romæ facta teſtis eſt Eginhardus in Annal. ad ann. 792. ubi de Felice Urgellitano: *Congregato*, inquit, *Epiſcoporum Concilio auditus eſt, & erraſſe convictus, ad præſentiam Hadriani Pontificis Romam miſſus: ubi etiam coram ipſo in Baſilica S. Petri Apoſtoli hæreſim confeſſus eſt atque abdicavit. Quo facto ad Civitatem ſuam reverſus eſt*. Idem confirmat Poeta Saxonicus Lib. 3. Annal. ad ann. 792. his verbis:

A multis ibi Præſulibus Synodoque frequenti
Eſt auditus, & errorem docuiſſe nefandum
Convictus, poſt hæc Hadriano mittitur almo,
Sedis Apoſtolicæ fuit hoc qui tempore Præſul.
Quo præſente, Petri correctus in Æde Beati
Pontificum coram Sancto celebrique Senatu
Damnavit Felix priùs infeliciter à ſe
Ortam perfidiæ Sectam, meruitque reverti
Ad propriæ rursùs retinendæ Sedis honorem.

Ex his colligitur, Felicem ejuratâ hæreſi, fuiſſe ab Hadriano ſuæ Sedi reſtitutum. De ejus tamen relapſu, nihil dicitur.

V. Tertia Synodus contra Felicianam hæreſim convocata Francofordienſis fuit anno 794., promovente Carolo Magno: qui cùm probè noſſet, majores cauſas, quales potiſſimùm ſunt quæ fidem ſpectant, ad Summum Pontificem eſſe referendas, nihil niſi ipſo priùs conſulto ſe de hoc molitum eſſe teſtatur, in Epiſtola ad Elipandum cæteroſque Hiſpaniæ Epiſcopos, his verbis: *Immò & ad Beatiſſimum Apoſtolicæ Sedis Pontificem de hac nova inventione, noſtræ devotionis ter quaterque direximus Miſſos, ſcire cupientes, quid Sancta Romana Eccleſia Apoſtolicis edocta Traditionibus de hac voluiſſet reſpondere inquiſitione* &c.

Huic Francofordienſi Synodo affuere Eginhardo teſte in Annal. ad ann. 794. Romani Pontificis Legati: *Affuerunt etiam*, inquit, *in eadem Synodo Legati Romani Pontificis Theophilactus ac*

Digitized by Google

Stephanus Epiſcopi, vicem tenentes ejus, à quo miſſi fuerant, Hadriani Papæ. In quo Concilio & hæreſis memorata condemnata eſt, & Liber contra eum communi Epiſcoporum auctoritate compoſitus, in quo omnes ſubſcripſerunt. Liber iſte *Sacroſyllabus* appellatus eſt. Canon autem I. illius Concilii hæreſeos condemnatorius talis eſt: *In primordio Capitulorum exortum eſt de impia ac nefanda hæreſi Elipandi Toletanæ Sedis Epiſcopi, & Felicis Orgellitanæ, eorumque ſequacibus, qui malè ſentientes, in Dei Filio aſſerebant adoptionem. Quam omnes qui ſupra Sanctiſſimi Patres, & reſpuentes unâ voce contradixerunt, atque hanc hæreſim funditùs à Sancta Eccleſia eradicandam ſtatuerunt.*

Idem in Libello Sacroſyllabo ſtatuerunt: *Elipandum namque & Felicem novos hoſtes Eccleſiæ, ſed veternoſâ fæce perfidiæ pollutos, niſi ab hac ſtultitia reſipiſcant, & per rectæ fidei ſatisfactionem lamentis ſe abluant pœnitentiæ, indignos & ingratos eos à conſortio Catholicorum perpetuâ animadverſione eliminare decernimus, & à gremio Orthodoxæ Eccleſiæ cenſemus alienos.... Eos etiam qui poſt hanc ſaluberrimam definitionem, quam Plenaria Synodus Sancto afflata Spiritu concorditer ſubtili ſinceritate terminavit, falſiſſimis eorum aſſertionibus, ſive clam, ſive publicâ voce præbuerint aſſenſum, ſimili eos vindictâ ſancimus eſſe plectendos: reſervato per omnia juris privilegio Summi Pontificis Domini & Patris noſtri Hadriani Primæ Sedis Beatiſſimi Papæ.* Hic notandum primò, Synodum hanc *Plenariam* dici, non quia Œcumenicam, ſed quia frequentiſſimam, utpotè ex Epiſcopis univerſi Regni Francorum, Italiæ, Galliæ ac Germaniæ congregatam. Secundò, quòd Synodus hæc ultimam de hæreſi ſententiam ex officio ſervat Romano Pontifici, quam ipſi *juris* utique Divini *privilegio* vindicat.

VI. Quarta Synodus contra Felicianam hæreſim à Leonè III. Hadriani ſucceſſore celebrata Romæ fuit anno 799. Occaſio autem fuit hæc, ut ex Actione II. colligitur. Felix, qui jam errorem ſuum pluries ore ſed non corde retractaverat, primò quidem in Synodo Ratisbonenſi ſub Carolo Magno, deinde Romæ ſub Hadriano Pontifice ſolemniter ejuratâ ſuâ hæreſi, fidei confeſſionem Orthodoxam ſcripſit, eamque ſuper Corpus B. Petri Apoſtoli poſuit. Cùm tamen ad ſua reverſus ſacrilego perjurio errores ſuos revocaſſet, & contra Alcuini Epiſtolam ipſum ad ſaniorem mentem revocantis libellum oppoſuiſſet: idcircò Leo pro ſui paſtoralis officii zelo contra ipſum hanc ſententiam pronuntiavit: *Felici Orgellitanæ Eccleſiæ Epiſcopo, ſi noluerit declinare ab hæretico dogmate ſuo, in quo auſus eſt Filium Dei adoptivum aſſerere, anathema ſit: atque ante tribunal Dei Omnipotentis condemnatus, ſeu à Sancta*

Digitized by Google

ſta & Apoſtolica Dei Eccleſia extorris, noſtroque conſortio alienus.

VII. Quinta denique Synodus eodem anno 799. Aquiſgrani celebrata eſt, in qua Alcuinus Abbas S. Martini Turonenſis juſſu Caroli Magni cum Felice diſputans, ipſum adeò perſtrinxit, ut ſe victum profeſſus ſit, & errorem ſuum prolixâ fidei confeſſione, quæ in Actis ejuſdem Synodi legitur, deteſtatus ſit.

An verò in ſana mente & recta fide finaliter perſeveraverit Felix, dubium eſt, propter ſchedulam poſt ejus obitum inventam, de qua ut ſupra dixi Agobardus malè ſuſpicatur. Unde initio Libri quem edidit adversùs ipſum: *Poſt obitum*, inquit, *Felicis illius, qui fuerat quondam Epiſcopus in Sede Orgelletana, inventa eſt à nobis quædam ſchedula ab eo edita ſub ſpecie interrogationis & reſponſionis, quam cùm legentes conſideraremus, inſpeximus hominem diligenter & fraudulenter inſtauraſſe, quantum in ſe fuit, omnem pravitatem dogmatis ſui, in qua dudum fuerat detectus & convictus, & propter quam ab honore Epiſcopatus depoſitus. Qui licèt aliqua verba, quæ prius imprudenter efferebat, poſtea ſuppreſſerit, aliqua tamen nunc reddidit, quæ tunc reticuit.*

Suſpicionem hanc auget Ado Viennenſis in Chronico ita ſcribens: *Anno Incarnationis Domini 792. Felix Vrgellitanus Epiſcopus hæreticus deprehenſus, adoptivum, non proprium Filium Dei Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum dogmatizans: qui ad præſentiam Hadriani Pontificis Romani deductus, hæreſim verbis ſolummodo abdicavit. Synodus iterum facta contra ſupradictam hæreſim in Franconofurt, Legatis Sedis Apoſtolicæ præſentibus Theophylacto & Stephano Epiſcopis, & auctoritate Sanctorum Patrum convictus, & damnatus eſt iterum Felix cum errore ſuo, perpetuoque exilio apud Lugdunum relegatus eſt. Quem ferunt in eodem ipſo ſuo errore mortuum.*

VIII. Elipandus verò, ut dixi, diu quidem pertinaciſſimè reſtitit veritati: ſed ipſi tandem ceſſit, & Romanæ definitioni ſinceram obedientiam profeſſus in Eccleſiæ communione mortuus eſt, ſi fides aliqua ſit præſtanda, tum pſeudo-chronico Luitprandi, tùm Epiſtolæ Alcharichi Bracarenſis Epiſcopi ad Elipandum, necnon Legendario Eccleſiæ Aſturicenſis: Quæ monumenta in Vita Sancti Beati Presbyteri refert Tamajus. Oppoſitum tamen alii ſentiunt, cùm de ejus retractatione nullum authenticum, maximè in Synodis contra eum & Felicem celebratis, exhibeatur documentum, nec poſtea.

IX. Contra hunc errorem locutus ſum in Tomo 1. in 3. p. de Gratia Chriſti q.1. Dubio 2. Ideo paucis hìc me expediam. Multa Sacræ Scripturæ loca præcipuè ex Agobardo Lib. contra Felicem ad probandum in Chriſto unicam eſſe Filiationem Divinam, &

hanc naturalem, non adoptivam, affert Natalis Alexandræ in Hiſt. Eccleſ. Seculi 8. Diſſert. 7. quæ Lector videre poterit. Ex quibus conſtat, Chriſtum non eſſe naturalem ſimul & nuncupativum Deum aut Filium Dei, cùm non ſint in uno Chriſto duo Filii, aut duo Dii, ſed hominem illum Jeſum, qui natus eſt ex Virgine, eſſe verum Deum, teſtentur paſſim Evangelia, Paulus, Thomas, & Joannes Apoſtoli; imò & Pater ipſe voce è nube delapsâ ſemel atque iterum de hoc teſtimonium perhibeat: *Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui*, Matth. 3. v. 17. & Matth. 17. v. 5. ubi cùm ly *Hic* demonſtret Chriſtum hominem aſcendentem è baptiſmo, & transfiguratum in Monte, fit ut ipſe Pater agnoverit etiam Chriſtum ut hominem Filium ſuum naturalem & proprium.

X. Concordant in hac veritate Patres: S. Athanaſius in Epiſtola ad Epictetum: *Propterea taceant*, inquit, *qui aliquando dixerunt, eum qui ex Maria proceſſit, non ipſum eſſe Chriſtum, & Dominum & Deum. Niſi enim Deus eſſet, quinam ſtatim atque ex Maria prodiit, vocatus eſt Emmanuel, quod eſt interpretatum nobiſcum Deus?* S. Gregorius Nazianzenus in Epiſt. 1. ad Cledonium: *Si quis*, inquit, *duos induxerit Filios, alterum ex Deo & Patre, alterum ex Matre; non autem unum & eundem, is ab ea filiorum adoptione excidat, quæ rectè credentibus eſt promiſſa. Naturæ quippè duæ ſunt, Deus & homo: quemadmodum etiam anima & corpus: non tamen duo Filii, neque Dii: quemadmodum neque hic homines duo*. S. Auguſtinus Tract. 7. in Joann. *Oportebat*, inquit, *ut ille baptizaret, qui eſt Filius Dei unicus, non adoptatus. Adoptati filii miniſtri ſunt Unici: Unicus habet poteſtatem, adoptati miniſterium*. In hanc veritatem conſpirant omnes tum Græci, tum Latini Patres.

XI. Suffragantur etiam rationes validiſſimæ. Prima petitur ex eſſentia adoptionis, quæ poſtulat, ut adoptatus alienus ſit, & extraneus reſpectu ejus, à quo adoptatur: at Chriſtus nunquam alienus, & extraneus fuit à Deo Patre etiam quà homo: non ergo eſt Filius Dei adoptivus, aliàs Jo. 10. ipſe non dixiſſet: *Ego & Pater unum ſumus*: & rursùs, *Ego in Patre, & Pater in me eſt*. Hâc ratione Synodus Francofordienſis in Libello Sacroſyllabo utitur dicens: *Adoptivus dici non poteſt, niſi is qui priùs alienus eſt ab eo, à quo adoptari deſiderat. Dei ergo Filius quâ ratione credi poteſt adoptivus, qui inſeparabiliter aſſumto homine in una perſona coeunte utrâque naturâ, non duo filii, alius Dei & alius hominis, ut ſicut illi errando æſtimant, adoptivus ſit hominis filius, & ſinè adoptione Dei Filius?*

Secunda ratio ducitur ex unitate perſonæ in Chriſto. Filii namque ratio, ſive filiatio ex perſona ipſa & perſonali proprietate,

Digitized by Google

non ex naturâ præciſè conſideratâ ſequitur : cùm itaque una ſit in Chriſto perſona , cui filii adoptivi Dei ratio repugnat , licèt ſit duplex natura , Chriſtus nec eſſe nec dici poteſt filius adoptivus. Hanc rationem quam paſſim urget Paulinus Aquilejenſis in Libris contra Felicem Urgellitanum , adhibet etiam S.Thomas 3.p. q.23. art.4. ubi hæc habet : *Filiatio propriè convenit hypoſtaſi vel perſonæ , non autem naturæ . Unde & in prima parte dictum eſt* (qu. 33. art. 2. & 3.) *quòd Filiatio eſt proprietas perſonalis . In Chriſto autem non eſt alia perſona vel hypoſtaſis , quàm increata , cui convenit eſſe Filium per naturam . Dictum eſt autem ſupra* (art. præced.) *quòd filiatio adoptionis eſt participata ſimilitudo filiationis naturalis . Non autem recipitur , aliquid dici participativè , quod per ſe dicitur . Et ideò Chriſtus , qui eſt Filius Dei naturalis , nullo modo poteſt dici filius adoptivus . Secundùm autem illos , qui ponunt in Chriſto duas perſonas , vel duas hypoſtaſes , ſeu duo ſuppoſita , nihil rationabiliter prohiberet , Chriſtum hominem dici filium adoptivum .*

XII. Sed oppones . Qui eſt Filius Dei per naturam poteſt eſſe Filius Dei per prædeſtinationem : unde de Chriſto Filio Dei per naturam dicit Paulus Roman. 1. v. 4. *Qui prædeſtinatus eſt Filius Dei in virtute ſecundùm ſpiritum ſanctificationis* : cur ergo Chriſtus non poterit etiam dici Filius Dei per adoptionem ?

Reſpondeo , aliam eſſe rationem de adoptione, aliam de prædeſtinatione. Nam adoptio eſſentialiter requirit perſonam , quæ ſit aliena adoptanti : perſona enim eſt quæ adoptatur . At prædeſtinatio reſpicit perſonam , non ſolùm ſecundùm id quod eſt ei naturale , ſed etiam ſecundùm id quod poteſt ei convenire aliunde : & ideò Chriſtus dicitur prædeſtinatus Filius Dei , non ſecundùm quod ſubſiſtit in Divina , ſed ſecundùm quod ſubſiſtit in humana natura quam aſſumſit : *Unde* , ait S.Th. 3.p. q. 24. art.1. ad 2. *cùm dixiſſet Apoſtolus* ,, Qui factus eſt ei ex ſemine David ſecundùm carnem ,, *ſubjunxit* ,, Qui prædeſtinatus eſt Filius Dei in virtute ,, . *Ut daret intelligere , quòd ſecundùm hoc quòd eſt factus ex ſemine David ſecundùm carnem eſt prædeſtinatus Filius Dei in virtute . Quamvis enim ſit naturale illi perſonæ ſecundùm ſe conſideratæ , quòd ſit Filius Dei in virtute , non eſt tamen ei naturale ſecundùm humanam naturam , ſecundùm quam hoc ſibi convenit per gratiam unionis* . Et ideo idem S. Th. ibidem art. 2. hanc propoſitionem ut veram admittit : *Chriſtus ſecundùm quod homo prædeſtinatus eſt eſſe Filius Dei* , *Quia* , inquit , *humana natura non ſemper fuit Verbo unita , & ei etiam hoc per gratiam eſt collatum , ut Filio Dei in perſona uniretur* . (Additque Lect.3. in cap.1. ad Rom.) *Quamvis enim ipſa perſona Chriſti ſemper fuerit Filius Dei : tamen non ſemper fuit , ut exi-*

Digitized by Google

exiſtens in humana natura eſſet Filius Dei, ſed hoc fuit ineffabilis gratiæ.

XIII. Tertiam rationem ſumit Agobardus Lib. contra Felicem cap. 23. ex Auguſtino (veriùs ex Vigilio) Lib. contra Felicianum cap. 6. dicente: *Filiorum namque alii ſunt adoptivi, alii naturales. Hi quia geniti ab initio, filii ſemper ac proprii. Illi primò alieni, poſt filii, cùm per adoptionem in familiam videantur adſciſci. Quibus ergo comparandus eſt Filius Dei? Si adoptivis, erit apud Patrem ſimilis nobis. Si propriis; ex ſubſtantia extitiſſe dicendus eſt Genitoris.* Ex quibus contra Felicem ita diſcurrit: *Ecce Beatus Auguſtinus apertè docet, quia adoptari in filio non poteſt, niſi qui antea extitit alienus, nec poteſt quiſquam per adoptionem accipere Patrem, niſi qui habuit proprium. Tu qui duobus modis unicum Dominum prædicas eſſe Filium Patri, ideſt proprietate & adoptione, oſtende ex illa parte quá adoptivus eſt, quem habuit proprium, aut oſtende fuiſſe illum antequam adoptaretur, ſicut Beatus Auguſtinus adoptivos diſtinxit à propriis.*

XIV. Quarta ratio ex Alcuino Lib. 1. adversùs Felicem oſtendit, quòd ſi Chriſtus quatenus eſt hic homo eſt Filius adoptivus Patris, non erit Filius naturalis Virginis ſed adoptivus, hoc diſcurſu: *Si neceſſe eſt, adoptivum eſſe Chriſtum Dei Patris, propter quòd ex ſubſtantiá ſuá natus non eſt ſecundum carnem, quomodo non eſt adoptivus filius Virginis ille qui natus eſt ex Deo, quia de ejuſdem Virginis ſubſtantiá creatus non eſt? Ergo ſi neceſſe eſt hominem ex Virgine natum, Virginiſque filium, adoptivum eſſe Filium Dei: ipſo modo neceſſarium eſt, Deum Dei Filium adoptivè eſſe Filium Virginis, quia alia ſubſtantia eſt Dei Patris, de qua eſſentialiter natus eſt Dei Filius, alia Virginis, de qua corporaliter natus eſt Chriſtus. Aut ſi hoc non audetis dicere (quia Chriſtianum nomen habetis) ut Beata Virgo non ſit propriè Dei Genitricis, ſed per adoptionem: æquum eſt, ut non audeatis affirmare Filium Virginis adoptivum eſſe Dei Patris Filium. Quid igitur reſtat, niſi ut utriuſque parentis verus & perfectus in duabus ſubſtantiis Jeſus Chriſtus ſit filius, totus Dei proprius, totus Virginis Matris proprius, ut ſit unus Chriſtus, unus Filius, unus Deus?* Alias rationes ex eodem Alcuino percurrendas relinquo apud Alexandre Diſſert. 7. Secul. 8. citata, ubi etiam horum hæreticorum varia momenta diſſoluta videbuntur, præter ea quæ dixi Tomo 1. in 3. p. qu. 1. de Gratia Chriſti Dub. 2.

* * *

§. III.

Felicis errores alii.

I. Quamvis in præcitatis Conciliis de ſolo errore Filiationis Adoptivæ Chriſti Felix & Elipandus accuſati ſint & damnati, aliis tamen erroribus, ſaltem Felix infectus fuit Agobardo teſte Lib. adv. Felicem cap. 5. nimirùm: *Cæpit*, inquit, *aliquando quoſdam docere, ut crederent, Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum ſecundùm carnem veraciter neſciſſe ſepulchrum Lazari, cùm diceret ſororibus ejus* ,, Ubi poſuiſti eum ,, ? *& veraciter ignorare diem Judicii, veraciter etiam ignoraſſe quid conferretur à duobus Diſcipulis ambulantibus in via de his quæ facta fuerant in Hieruſalem, veraciter quoquè ignoraſſe utrum plus diligeretur à Petro, quàm ab aliis Diſcipulis, cùm diceret* ,, Simon Petre, amas me plus his ? ,,

Hæc inſana & impia de Chriſto effutiebat Felix, quare de his conſcius Agobardus: *Hoc ut cognovi*, inquit, *acceſſi ad eum coram ipſis quibus iſta ſuadebat, & interrogavi eum, utrum ita prorsùs ſentiret. Quod cùm confirmare tentaret, objurgavi eum & deteſtatus ſum pravos ſermones ejus, oſtendique ut potui, cæteris quâ cuſtodiâ iſta repudiarent, & quo ſenſu loca illa Scripturarum intelligere deberent; ipſique Felici ſumtas Sanctorum Patrum ſententias, quæ blaſphemiis ejus contrairent, legendas direxi. Quibus lectis, promiſit ſe omnis emendationis diligentiam ſibimet adhibiturum. Propter quam rem ſilenter eum dimittens, non putavi neceſſarium eſſe eaſdem blaſphemias ejus in exteros publicandas, quia nec ad me pertinebat*. His indicatur congreſſum hunc Agobardi cum Felice Lugduni contigiſſe, quò, teſte Adone, poſt damnationem Felix relegatus fuerat. Cumque Felix in aliena Provincia, nempè Narbonenſi, eſſet Epiſcopus: ideò Agobardus Archiepiſcopus Lugdunenſis jure dixit, quòd ultra ſecretam fraternam correctionem ulteriùs de hoc procedere ad ſe non pertinebat.

II. Alterum errorem in Felice poſt ejus mortem ſe detexiſſe addit Agobardus cap. 6. nempè ſolum Chriſtum hominem, non Dei Filium debere dici paſſum & crucifixum, in quo cum Neſtorio ſentire videbatur: *Poſt mortem verò ejus*, inquit, *cognovi per quoſdam fideles Fratres, qui ab illo audierant, quòd dixerit Deum Dei Patris Filium nullatenus dici debere paſſum aut mortuum, ſed ab eo hominem aſſumtum; confirmare hoc nitens exemplo Iſaac, qui à patre ductus ad immolandum, non ipſe ſed aries pro eo eſt immolatus, tanquam*

quam in Iſaac figuratus ſit Filius Dei, & in ariete filius hominis. Hæc autem faciebat ſæpedictus Felix, quia nullatenus acquieſcebat ſentire, nec ſuadere ſibimet ita valebat, ut crederet in uno Domino noſtro Jeſu Chriſto duarum naturarum unitionem ſubſtantialiter factam, & Deum Verbum ſecundùm ſubſiſtentiam carni unitum: ſicut liquidò in conſequentibus ex verbis illius apparebit. Quibus confirmantur ea quæ ſupra dixi, hæreſim hanc Neſtorianæ ſurculum eſſe.

III. Alium errorem tribuunt Felici Urgelitano non pauci, quòd ſcilicet de Imaginibus tollendis conſenſerit Iconomachis. Ita Platina in Vita Hadriani I. Bernardus Lutzemburgus in Catalogo Hæret. Alphonſus de Caſtro adverſ. Hæreſ. Tit. *Imago*. Prateolus Lib. 6. in Elencho Hæret. verbo *Felix*, & Concilium Senonenſe, anno 1528. cap. 14., ubi affertur etiam Concilium Francofordienſe, quod agens de iis qui Imaginum everſoribus ſe oppoſuere: *Carolus*, inquit, *ille cognomento Magnus, Francorum Rex Chriſtianiſſimus Francofordienſi Conventu ejuſdem erroris ſuppreſſit inſaniam, quam infeliciſſimus quidam Felix in Gallias & Germaniam invexerat.* Verùm cùm nec Concilium Senonenſe, nec præcitati Auctores dicant, hunc ſeminatum fuiſſe errorem à Felice Urgelitano, ſed ſolùm à quodam Felice; putarem, Imaginum everſorem fuiſſe alium Felicem ab Urgelitano, de quo hactenus ſermo habitus eſt, diverſum. Eò vel maximè, quòd Agobardus, qui alios hujus Felicis errores in Conciliis contra ipſum coactis accuratè recenſet, quòd contra Sacras Imagines pugnaverit, nihil dicit.

Finiam ergo cum eodem Agobardo. Maximum ſanctitatis nomen apud Hiſpanos ſibi comparaverat Felix Urgelitanus, ſed monitos velim eos, *qui cautè admirantes vitam prædicti Felicis, probanda putant cuncta quæ dixit; neſcientes quia non ex vita hominis metienda eſt fides, ſed ex fide probanda eſt vita. Quamvis enim multi benè credentes malè vivendo pereant; nullus tamen malè credens benè vivendo ſalvatur.* Et infra: *Qui autem verè placere Deo curat, ſubjiciat animam ſuam Deo cum omni humilitate. Fides eſt enim prima, quæ ſubigat animam Deo, deinde præcepta vivendi, quibus cuſtoditis, ſpes noſtra firmatur & nutritur caritas. Cùm ergo cognitio & actio beatum hominem faciant; ſicut in cognitione vitandus eſt error, ita in actione cavenda eſt nequitia.*

Digitized by Google

CAPUT LXXXIII.

De Bagnolenſibus & Sergiotis.

§. I.

Bagnolenſes, eorumque errores, & de Juramento.

I. BAgnolenses, dicti etiam Bajolenſes, & Concordenſes, vel Cozorenſes hæretici (Prateolo teſte) exorti ſunt Conſtantini VI. Imperatoris & Leonis III. Papæ temporibus circa annum Domini 796. Hi cum Manichæis & aliis conſtituebant duo prima principia, unum bonum & alterum malum. Peculiaris tamen error eorum fuit, quo dicebant, Chriſtianis omnibus eſſe interdictum juramentum, adeò ut eis nunquam jurare liceat. Cùm verò eis opponebatur, Deum ipſum conceſſiſſe per nomen ſuum jurare Deuteron. 6. v. 13. *Dominum Deum tuum timebis, & illi ſoli ſervies, ac per nomen ipſius jurabis*: quod repetit cap. 10. v. 20. *Dominum Deum tuum timebis, & ei ſoli ſervies, ipſi adhærebis jurabiſque in nomine ipſius*; reſpondebant, hoc Deum veteris Legis, Deum non bonum qui Legem non bonam dedit, conceſſiſſe Judæis; at Chriſtum à Deo bono miſſum, qui Legem perfectam condere venerat, in univerſum jurare ſuis prohibuiſſe Matth. 5. v. 33., ubi multa corrigens, quæ in Lege Veteri conceſſa vel permiſſa fuerant, inter alia dicit: *Audiſtis, quia dictum eſt antiquis: Non perjurabis, reddes autem Domino juramenta tua. Ego autem dico vobis, non jurare omninò*; & v. 37. *Sit autem ſermo veſter, eſt eſt, non non: quod autem bis abundantius eſt, à malo eſt.* Quibus apparet, Chriſtum in Lege ſua juramentum omninò prohibuiſſe tanquam malum, & in hoc Legem Veterem emendaſſe. Ita iſti.

II. Quòd ſi eis iterum objiciatur, Deum ipſum ſæpè juraſſe, ut Geneſ. 22. v. 16. *Per memetipſum juravi dicit Dominus* (Abrahæ) *quia feciſti rem hanc, & non pepercisti filio tuo unigenito propter me, Benedicam tibi* &c. In Exodo cap. 13. & alibi paſſim Moyſi Deum juraſſe daturum ſe filiis Iſrael terram promiſſionis. Pſalm. 88. v. 4. *Juravi David ſervo meo.* Pſalm. 109. v. 4. *Jurabit Dominus & non pœnitebit eum*; & alibi. Quod ſi juramentum eſſet per ſe malum, & ſolùm Judæis permiſſum, Deus certè qui eſſentialiter bonus eſt, non juraſſet: Qui Manichæis adhærebant, fortè reſpondebant, Deum qui toties juravit fuiſſe Deum Veteris Legis, Deum non bonum, ſed malum; ideoque non mirum, ſi malum quod aliis per-

Digitized by Google

permiſit, ipſe perpetravit. Sed hanc blaſphemiam ſupra non ſemel deteſtatus ſum, & oſtendi, Deum Veteris & Novæ Legis eumdem omninò eſſe, & proinde eſſentiàliter bonum. Reſpondebant proinde alii, jurare ſolum Deum poſſe, quia ſolus verax eſt, & mentiri non poteſt: omnis autem homo mendax eſt. At ſi hæc ratio valet, fiet, ut ſolus Deus loqui poſſit, quia ſolus Deus nec falſum nec mendacium dicere poteſt: homo autem etiam abſque juramento & mentiri & falſum dicere poteſt.

III. Jurare ergo etiam Chriſtianis eſſe licitum, fateri quiſque debet, niſi Paulum Apoſtolum, qui in ſuis Epiſtolis ſæpè juramento eſt uſus, damnare velit. Roman.1. v.9. *Teſtis enim*, inquit, *mihi eſt Deus, cui ſervio in ſpiritu meo in Evangelio Filii ejus, quòd ſinè intermiſſione memoriam veſtri facio*. 2. Cor.1. v.23. *Ego autem teſtem Deum invoco in animam meam, quòd parcens vobis, non veni ultra Corinthum*. Et Philip. 1. v.8. *Teſtis enim mihi eſt Deus, quomodo cupiam omnes vos in viſceribus Jeſu Chriſti*. Qui autem per Deum jurat, nihil aliud facit, quàm invocare Deum in teſtem eorum, quæ dicit. Cùm ergo audiverimus Paulum totiès Deum in teſtem invocantem, & ideò jurantem, ſi jurare eſſet peccatum Chriſtiano, totiès Paulus peccaſſet.

IV. Juramentum ergo, ſi adſint conditiones, quas infra referam, non eſt per ſe malum, imo bonum: quia eſt actus religionis & reverentiæ erga Deum, quo teſtamur nos credere Deum videre omnia, & mentiri non poſſe: ideoque invocamus illum in teſtem: qui enim rem non vidit & capax mendacii eſt, bonus & ſecurus teſtis eſſe non poteſt. Ita S. Thomas 2. 2. quæſt.89. art.4. ubi primò *in arg. ſed contra* obſervat, quòd Deuteron.6. & 10. quotiès de juramento fit mentio, ſemper ſubjungitur poſt præceptum de adoratione, & ſervitute ad Deum: *Illi ſoli ſervies, & per nomen ejus jurabis*: unde infert, juramentum eſſe actum latriæ, & ſervitutis erga Deum.

In corpore verò articuli: *Ille*, inquit, *qui jurat invocat Divinum teſtimonium ad confirmandum ea quæ dicit. Nihil autem confirmatur, niſi per aliquid quod certius eſt & potius. Et ideo in hoc ipſo quòd homo per Deum jurat, profitetur Deum potiorem, utpotè cujus veritas eſt indefectibilis, & cognitio univerſalis. Et ſic Deo aliquo modo reverentiam exhibet. Unde & Apoſtolus dicit ad Hebr. 6. quòd* „ homines per majorem ſe jurant „. *Et Hieronymus dicit ſuper Matth.5.* (*ſuper illud* „ Ego autem dico, non jurare „) *quòd* „ qui jurat, aut veneratur, aut diligit eum per quem jurat „. *Philoſophus etiam dicit in* 1. *Metaph. cap.* 3. *quòd* „ juramentum eſt honorabiliſſimum „. *Exhibere autem reverentiam Deo pertinet ad reli-*

gio-

gionem ſive latriam. Vnde manifeſtum eſt quòd juramentum eſt actus religionis, ſive latriæ. Hæc S. Thomas.

V. Addit tamen ibidem ad primum: *Quòd in juramento duo conſiderantur, ſcilicet teſtimonium quod inducitur, & hoc eſt Divinum: & id ſuper quod inducitur teſtimonium, vel quod facit neceſſitatem teſtimonium inducendi; & hoc eſt humanum. Pertinet ergo juramentum ad religionem ratione primi, non autem ratione ſecundi.* Addit verò ibidem ad tertium: *Quòd omnia quæ facimus debemus in Dei reverentiam facere. Et ideo nihil prohibet, ſi hoc ipſo quòd intendimus hominem certificare, Deo reverentiam exhibeamus. Sic enim debemus aliquid in Dei reverentiam facere, ut ex hoc utilitas proximi proveniat; quia etiam Deus operatur ad ſuam gloriam, & noſtram utilitatem.*

VI. Dixi, juramentum eſſe per ſe bonum, & actum religionis erga Deum; ſi tamen homo illo benè utatur; Nam ut ait idem S. Thomas dictâ qu. 89. art. 2. *Nihil prohibet aliquid eſſe ſecundùm ſe bonum, quod tamen cedit in malum ejus, qui non utitur eo convenienter: Sicut ſumere Euchariſtiam eſt bonum: & tamen qui* „ indignè ſumit, judicium ſibi manducat, & bibit „ *ut dicitur* 1. *ad Cor.* 11. *Sic ergo in propoſito dicendum eſt, quòd juramentum per ſe eſt licitum & honeſtum. Quod patet ex origine & ex fine. Ex origine quidem, quia juramentum eſt introductum ex fide, quâ homines credunt Deum habere infallibilem veritatem, & univerſalem omnium cognitionem, & proviſionem: Ex fine autem, quia juramentum inducitur ad juſtificandum homines & ad finiendas controverſias, ut dicitur ad Hebr.6. Sed juramentum cedit in malum alicui ex eo quòd malè utitur eo, ideſt ſinè neceſſitate & cautela. Videtur enim parvam reverentiam habere ad Deum, qui ex levi cauſa teſtem inducit, quod non præſumeret etiam de aliquo viro honeſto. Imminet etiam periculum perjurii, quia de facili homo in verbo delinquit, ſecundùm illud Jacobi* 3. „ Si quis in verbo non offendit, hic perfectus eſt vir „. *Vnde & Eccleſiaſtici* 23. *dicitur* „ Jurationi non aſſueſcat os tuum: multi enim caſus in illa „.

VII. Bonus ergo & licitus juramenti uſus debet habere tres comites, judicium, veritatem, & juſtitiam. Ita laudatâ qu. S. Thomas art. 1. & probat primò ex Hieremia cap. 4. v. 2. *Et jurabis: Vivit Dominus: in veritate, in judicio, & in juſtitia.* Quod exponens Hieronymus dicit: *Animadvertendum eſt, quòd jusjurandum hos habet comites, ſcilicet veritatem, judicium, & juſtitiam.*

Et meritò inquit S. Th. Nam *ſicut ſupra dictum eſt, juramentum non eſt bonum niſi ei qui benè utitur juramento. Ad bonum autem uſum juramenti duo requiruntur. Primò quidem, quòd ali-*

Digitized by Google

quis non leviter, ſed ex neceſſaria cauſa & diſcretè juret. Et quantùm ad hoc requiritur judicium, *ſcilicet diſcretionis ex parte jurantis. Secundò quantùm ad id quod per juramentum confirmatur: ut ſcilicet, neque ſit falſum, neque ſit aliquid illicitum. Et quantùm ad hoc requiritur* veritas, *per quam aliquis juramento confirmat, quod verum eſt*: & juſtitia, *per quam confirmat quod licitum eſt*. Judicio *autem caret juramentum incautum*. Veritate *autem juramentum mendax*. Juſtitiâ *autem juramentum iniquum, ſive illicitum*, ut ſi quis juret ſe facturum aliquod malum, vel impeditivum majoris boni.

VIII. Supereſt modò diſſolvere ea, quibus moti ipſi hæretici negabant, prorsùs licitum eſſe Chriſtianis jurare. Movebantur enim primò, quia, ut ſupra dixi, Chriſtus Matth. 5. jurare omninò vetuit, voluitque, quòd ſermo noſter *ſit eſt, eſt, non, non*: addens: *quod autem his abundantius eſt, à malo eſt*. Secundò, quia Jacobus Apoſtolus in Epiſtola ſua cap. 5. v. 12. ſecutus præceptum Chriſti: *Ante omnia*, inquit, *fratres mei, nolite jurare, neque per cœlum, neque per terram, neque aliud quodcumque juramentum: Sit autem ſermo veſter, eſt eſt, non non: ut non ſub judicio decidatis*. 3. Zachariæ 5. v. 3. dicitur, quod *Omnis fur judicabitur, & omnis jurans ex hoc ſimiliter judicabitur*: quibus jurantem in judicio Dei comparat furi. Sicut ergo furari, ita & jurare abſolutè malum eſt coram Deo.

IX. Quæ confirmari poſſunt. Tum quia Euſebius Lib. 1. Hiſt. cap. 8. narrat, Baſilidem ex milite factum Chriſtianum dixiſſe, ſibi non licere jurare, eò quod eſſet Chriſtianus. Tum quia Epiphanius Hæreſ. 19. ad præcitata Chriſti verba, dicit, eum *primùm ſtatuiſſe non eſſe jurandum penitùs, ne Dominum quidem ipſum, neque aliud ullum jusjurandi genus concipiendum. Mali enim eſt omninò jurare*. Idem ſentit S. Chryſoſtomus in cap. 5. Matthæi. Homil. 15. in Geneſ. Homilia 9. in Acta, Homil. 12. in Epiſt. ad Romanos, Homil. 19. 26. 27. 28. ad Populum Antiochenum inculcans à juramento prorsùs abſtinendum, velut à re ſimpliciter mala. Accedit S. Hieronymus in cap. 5. Matth. ubi poſtquam dixit, Judæis tanquam parvulis conceſſum fuiſſe jurare per Deum, ſubdit, Evangelica autem veritas non recipit juramentum, cùm omnis ſermo fidelis pro jurejurando ſit.

X. Verùm hæc omnia evincunt ſolùm, non eſſe temerè & ſinè neceſſitate jurandum, non verò ſi fides publica, vel etiam privata id exigat. Quare ad primum, dico Chriſtum non vetare ſimpliciter quodvis juramentum, & in quocumque caſu; ſed jubere ut abſtineamus ab omni juramento, quantum in nobis eſt, ſive per creaturas,

turas, Solem, Lunam &c. ut Judæi conſueverant, ſive etiam per Deum. Unde verborum ejus ſenſus eſt: Dico vobis, ut in communibus converſationibus, & colloquiis omninò non juretis, niſi neceſſitas, aut ſpecialis utilitas vos jurare compellat, ſed contenti ſitis nudè & ſimpliciter affirmare vel negare ore & corde, hoc eſt ſincerè id de quo agitur: Quod verò Chriſtus addit quod jurare *à malo eſt*, non eſt quia jurare per ſe malum ſit, ſed quia à malo jurandi neceſſitas oritur, nempè incredulitate eorum, qui dictis ſimplicibus fidem adhibere nolunt.

XI. Ita exponit S. Auguſtinus in Expoſit. ſuper Epiſt. ad Galatas, ubi loquens de Paulo dicente, *Quæ autem ſcribo vobis, Ecce coram Deo, quia non mentior*, ait: *Qui dicit* „ Ecce coram Deo, quia non mentior „ *jurat utique. Et quid ſanctius hac juratione? Sed non eſt contra præceptum juratio, quæ à malo eſt, non jurantis, ſed incredulitatis ejus, cui jurare cogitur. Nam hinc intelligitur, ita Dominum prohibuiſſe à jurando, ut quantum in ipſo eſt, quiſque non juret: quod multi faciunt in ore habentes jurationem tamquam magnum aut ſuave aliquid. Nam utique Apoſtolus noverat præceptum Domini, & juravit tamen.* Et infra: *Quantum ergo in ipſo eſt, non jurat Apoſtolus: non enim appetit jurationem cupiditate, aut delectatione jurandi. Amplius eſt enim quàm eſt eſt, non non: & ideo à malo eſt, ſed infidelitatis aut incredulitatis eorum, qui non aliter moventur ad Fidem.*

XII. Similiter Lib. de Mendacio cap.15. *Juravit autem*, inquit, *ipſe Apoſtolus in Epiſtolis ſuis. Et ſic oſtendit, quomodo accipiendum eſſet quod dictum eſt* „ Dico vobis, non jurare omninò „: *ne ſcilicet jurando ad facilitatem jurandi veniatur, ex facilitate ad conſuetudinem, atque ita ex conſuetudine in perjurium decidatur. Et ideò non invenitur juraſſe, niſi ſcribens, ubi conſideratio cautior non habet linguam præcipitem. Et hoc utique à malo, ſicut dictum eſt:* „ Quod autem amplius eſt, à malo eſt, „ *non tamen ſuo, ſed eorum infirmitatis, quibus etiam ſic fidem facere conabatur*. Inde concludit: *Sed quia præcepti violati reum Paulum, præſertim in Epiſtolis conſcriptis atque editis ad ſpiritualem vitam ſalutemque populorum, nefas eſt dicere; intelligendum eſt illud quod poſitum eſt* omninò, *ad hoc poſitum, ut quantum in te eſt, non affectes, non ames, non quaſi pro bono cum aliqua delectatione appetas jusjurandum*. Hæc S. Auguſtinus; & ex ipſo S.Th. 2. 2. q.89. art.2. ad 1.

XIII. Ex his ad ſecundum: Nam S. Jacobus ſolùm vult, ut ſummâ vigilantiâ attendamus, ne temerè, per impatientiam ex prava conſuetudine juremus abſque neceſſitate, ſed ſermo noſter ſit ſimplex affirmatio, vel negatio, ne à ſummo Judice condemnemur.

mur. Sed ut idem S. Auguſtinus ait Lib. 1. de Serm. Domini in Monte cap. 17. *Si jurare cogeris, ſcias de neceſſitate venire infirmitatis eorum quibus aliquid ſuades, quæ infirmitas utique malum eſt: unde nos quotidie liberari deprecamur, cùm dicimus* „ libera nos à malo „. *Itaque non dixit* „ Quod autem amplius eſt, malum eſt „; *tu enim non malum facis, qui benè uteris juratione, quæ etſi non bona, tamen neceſſaria eſt, ut alteri perſuadeas quod utiliter ſuades, ſed* à malo eſt *illius, cujus infirmitate jurare cogeris.*

XIV. Ad tertium dico, Zachariam ibi loqui de perjuro, ſtatim enim de eo ſubdit: *Et veniet ad domum furis, & ad domum jurantis in nomine meo mendaciter*. Ita exponit S. Hieronymus in hunc locum dicens: *Moneamus eos, qui parva putant crimina furtum atque perjurium, quòd inducatur maledictio ... in domum furis atque perjuri.*

XV. Ad ea quæ in confirmationem afferuntur. Dico, Baſilidem conſtanter jurare renuiſſe, quia cùm, ut ait Euſebius, *à contubernalibus ſuis ſacramento adigeretur, nefas ſibi eſſe affirmavit omninò jurare: quippè Chriſtianum ſe eſſe, idque palam profiteri*. Quibus verbis primò ſe Chriſtianum manifeſtavit, cùm antea paganus eſſet. Quia ergo qui eum ad jurandum adigebant, utpotè pagani, exigebant ut juraret more Gentilium, ut ante, nimirùm per Jovem, Martem, quo pacto ipſe tunc jurare non poterat, quia Chriſtianus; ideo dixit ſe jurare non poſſe, hoc ſcilicet modo, quia Chriſtianum.

Epiphanius verò poſt verba objecta indicat, in quo ſenſu Chriſtus prohibuerit jurare omninò, nempè abſque neceſſitate, & per alia nomina quàm Dei, ut docebat pſeudo-propheta Elxai: ſubdit enim: *Proinde malus eſt, qui per Elxai locutus eſt: qui non modò dejerare per Deum cogit, verùm etiam per ſalem, aquam, æthera, ventum, terram, atque cœlum.*

S. Jo. Chryſoſtomus rigidior in juramentum videtur, non quia ipſum in ſe malum putet, ſed quia à malo eſt, nempè ab infirmitate, & incredulitate hominum neceſſitatem jurandi inducente; vel quia ſuo tempore conſuetudo jurandi etiam ſinè cauſa apud populum adeò invaluerat, ut ad ſingula penè verba adderent juramentum: ideò contra talem abuſum toto zelo invehitur. Quòd autem malum ſit jurare, ſi juratur verum, & hoc in judicio & juſtitia neque dicit, neque ſentit Chryſoſtomus. Imo cum Homilia 15. ad populum Antiochenum conſtet, quòd ipſo præſente ejus diœceſani jurarent tactis Evangeliis, quando id ab eis exigebatur, ſi hoc judicaſſet naturâ ſuâ malum, & Chriſti præcepto ſimpliciter contrarium, modis omnibus impediviſſet, ne hoc in ſua ſaltem Eccleſia fieret.

S. Hie-

Digitized by Google

S. Hieronymus verò dum ait, quòd Evangelica veritas non recipit juramentum etiam per Deum, intendit excludere conſuetudinem jurandi per Deum etiam ſinè cauſa, non tamen ſi neceſſitas urgeat ex incredulitate ejus qui dubitat, an ſermo loquentis ſit fidelis. Dici etiam poteſt cum Ruperto Tuicienſi Lib. 5. de Glorificatione Hominis Chriſti. Nempè in verbis illis Chriſti contineri conſilium, & præceptum: dum enim dicit, non jurare omnino neque per Deum, eſt conſilium: non jurare autem per cœlum, terram &c. eſt præceptum.

XVI. Cæterùm juramentum juſtè exigi ad firmandam dicti veritatem, praxis Eccleſiæ confirmat, quæ ab hæreticis in teſtimonium ejurationis ſuæ hæreſis juramentum exigere conſuevit. Ideòque Concilium Epheſinum anno 433. illud à Neſtorio exigit per hæc verba „ Sed conſequens eſt etiam jurejurando fateri te, quòd „ anathematizes quidem tua polluta & profana dogmata, ſentias „ autem & doceas, quæ nos univerſi per Orientem, ſeu per Occi- „ dentem Epiſcopi & Magiſtri Præſuleſque populorum credimus „ & docemus „. Et in eodem Concilio Quartodecimani ad Eccleſiam reverſi, jurarunt per Sanctam Trinitatem, ſe die ab Eccleſia Catholica ſtatuto Paſcha celebraturos. Subditi etiam juramentum fidelitatis Regi præſtare conſueverunt. Et Concilium Conſtantienſe ſeſſ. 20. decrevit, ut ad confirmationem pacti initi inter Regem Romanorum & Regem Aragonum pro ſchiſmate tollendo, juramentum ab omnibus peteretur, & omnes poſtmodum in Concilio exiſtentes jurarunt. Quin & in contractibus civilibus & humanis juramentum præſtari Eccleſia probat. Unde idem Concilium ſeſſ. 8. damnat errorem Wicleffi dicentis: *Juramenta illicita ſunt, quæ fiunt ad roborandum humanos contractus, & commercia civilia*. Et Clemens XI. hanc Propoſitionem in Conſtit. *Unigenitus* num. 101. cenſurâ notavit: *Nihil ſpiritui Dei, & doctrinæ Jeſu Chriſti magis opponitur, quàm communia facere juramenta in Eccleſia, quia hoc eſt multiplicare occaſiones pejerandi, laqueos tendere infirmis & idiotis, & efficere, ut nomen & veritas Dei aliquando deſerviant conſilio impiorum*. De hoc egi ſupra cap. 28. §. 3. de Elceſeis.

§. II.

§. II.

Sergiotæ eorumque errores.

I. NOno ineunte ſeculo circa annum 810. novorum Manichæorum, ſeu Paulicianorum in Oriente graſſari cœpit hæreſis. A Sergio quodam vires ac nomen accepit, qui ſe *Tychicum* Pauli Apoſtoli diſcipulum, ac *lucidum ſydus* & *Paracletum* (ut olim Manes) mentiebatur. Ab eo diſſidens *Baanes*, qui ſe *Epaphroditi* diſcipulum gloriabatur, plurimos ejuſdem Sectæ in partes ſuas pertraxit, qui ex ejus nomine Baanitas ſe nuncuparunt: cùm alii *Aſtathi*, ſive Inſtabiles dicerentur. Fuit Sergius, teſte Petro Siculo, *ex locis Tiliæ civitati vicinis. Eſt enim in illo tractu locus Arnia dictus, in eoque vico Drynus quidam tunc erat, cujus filius fuit Sergius, ille Diaboli maximus propugnator* &c.

II. Quomodo autem Sergius iſte hæreſim ebiberit, idem Petrus Siculus ſubinde narrat: *Hic itaque Sergius cùm juvenis adhuc eſſet, in feminam quandam caſu incidit, moribus infamem, ſectâ Manichæam. Illa verò Diaboli ſectatrix, ut callida erat ac ſubdola, ſic juvenem eſt allocuta. Audio, Domine Sergi, te literarum ſcientiâ & eruditione præſtantem eſſe, ac bonum præterea virum uſquequaque. Dic ergo mihi: cur non legis Sacra Evangelia? Quibus ille verbis illectus, nec occultum potiùs intuens nequitiæ venenum, ita reſpondit. Nobis profanis iſta legere non licet, ſed Sacerdotibus dumtaxat. At illa: Non ita eſt, inquit, ut putas: nec enim perſonarum acceptio eſt apud Deum: Omnes ſiquidem homines vult ſalvos fieri Dominus, & ad agnitionem veritatis venire. At Sacerdotes veſtri, quoniam verbum Dei adulterant, & myſteria occulunt quæ in Evangelio continentur, idcircò vobis audientibus omnia non legunt quæ ſcripta ſunt, ne poſſitis pervenire ad agnitionem veritatis. Scriptum enim in illis eſt, quòd in illa die quidam dicent; Domine, Domine, nonne in nomine tuo Dæmonia ejecimus, & virtutes multas fecimus? Et reſpondens rex dicet illis: Amen Amen dico vobis, non novi vos. Scrutare, & vide, num ita ſcriptum ſit. Quoſnam ergo iſtos eſſe putas, quibus Dominus dicet, non novi vos?* Hucuſque femina illa (veriùs Diabolus per os illius) locuta eſt.

III. His Sergio hæſitante, ac utpotè qui imperitus & rudis eſſet, neſciente quid diceret, vaferrima mulier cœpit ei exponere, præfata Chriſti verba referri ad Chriſtianos, qui piè vivere videntur, & ſicut olim Scævæ filii Dæmones in nomine Chriſti ejicere per exorciſmos gloriantur. His in illa die dicet Dominus, non novi vos.

vos. Referri etiam ad eos, qui monaſticæ & inculpatæ vitæ formam ſuſcepere, ſed ignaviâ & imperitiâ ſuâ in errores prolapſi Regnum Cœlorum minimè conſequentur. His ne quid in illa die à juſto Judice ipſis debeatur, conceduntur dona curationum, & aliæ virtutes, ut quando clamabunt, Domine, Domine, nonne in nomine tuo virtutes multas fecimus? audiant pariter, Amice, non facio tibi injuriam: accepiſti quæ tua erant in vita tua, nunc tolle, quod tuum eſt, & vade.

IV. Rursùs perfida femina miſerum Sergium interrogavit: *Tu de quibuſdam illud à Domino dictum eſſe cenſes* Matth.8. „ Multi ab Oriente & Occidente venient, & recumbent cum Abraham Iſaac & Jacob in Regno Cœlorum, filii autem Regni ejicientur in tenebras exteriores „? *Quinam ſunt hi filii Regni? Ille verò cùm dicere neſciret, hos Iſraelitas eſſe, quorum adoptio propria fuerat & cultus & promiſſio, quos Chriſtus ipſe filios vocat, cùm Chananeæ dicit* Matth. 15. v. 26. „ Non eſt bonum ſumere panem filiorum „ *quique propterea ejecti ſunt, quia ipſum cruci affixerunt: Hæc, inquam, reſpondere neſciens infelix Sergius, & Manadem illam ſalutis ſuæ ducem, eſſe ratus, ſollicitè cœpit de his omnibus interrogare. Tum verò præclara exitii magiſtra, cujus os ſepulchri patentis inſtar erat, apertè auſa eſt adversùs Sanctos debacchari: Filii Regni, ait, Sancti tui ſunt, qui & Dæmones pellunt, & hominum ſanant infirmitates, quos tu tanquam Deos colis, relicto Domino vivente immortali; quibus utique die illâ juſtus Judex dicet; Numquam novi vos.*

V. Videant hìc Novatores, ex quo fonte hauſerint Lutherus & alii, qui ſe jactant Evangelicos, ea quæ apud ſuos ut dogmata Evangelica ſpargunt, nimirum lectionem Sacræ Scripturæ & Evangelii eſſe omnibus etiam feminis concedendam, ac omnibus adeſſe ſpiritum veram ejus interpretationem aſſequendi; Eccleſiam Catholicam proinde dicteriis lacerantes, quæ Sacram Scripturam doceri omnes quidem vult, ſed eam legere ac interpretari ſolis Sacerdotibus & viris doctis, ad quos eam populo proponere ſpectat legendam & ſervandam concedit. Videant, à quo didicerint viros pios & Monachos ac miracula à Chriſto per eos patrata aſpernari, ac unde hauſerint Hagiomachiam, quâ Sanctorum cultum deteſtantes nobis calumniantur, quòd eos colamus tanquam Deos. Si doctrina hujus mulieris Manichææ à Diabolo eſt, non à Deo, ſe eadem prædicantes diſcant tandem, ſe non à Deo afflatos, ſed à Diabolo loqui.

VI Hâc impiâ feminâ, velut alterâ Hevâ Serpentis Diaboli voce loquente, infelix Sergius, quaſi novus Adam ſeductus, ſuas cœpit

Digitized by Google

blaſphemias evomere. Tychici olim Pauli diſcipulo nomine aſſumto, percurrere ab ortu ad occaſum Civitates, ac ſuos ubique ſpargere errores, eoſque nequiſſimos, aggreſſus eſt. Multos nimirùm conjuges diſſocians, eorum thoros diſcipulis ſuis inquinandos tradidit; multos infantes ab uberibus matris rapiens, per diſcipulos ſuos partim occidit, partim à genitoribus abducens vendidit Agarenis. Formoſos adoleſcentes & adoleſcentulas unigenitas à parentibus ſejungens, barbarorum addixit ſervituti. Multos fratres, ſorores, conſanguineos, & amicos ſeparans, in remotas oras flentes ac gementes ablegavit. Monachos complures ac Moniales, quæ virginitatem pro Chriſto devoverant, per diſcipulos ſuos corrupit & à monaſtica vita revocans à Deo ſimul alienavit. Multos tandem Sacerdotes & Levitas ab Orthodoxa Religione avellens ex ovibus lupos fecit. Hæc & alia verè impia, quæ Petrus Siculus apud Baronium ad annum 810. narrat, feminæ ſeductricis fructus fuere. Quamquam ea tegere curaret, dicens, ſe inſcio imo nolente patrata fuiſſe, ovinam ſic pellem induens, verè tamen lupus.

VII. Qualem meruerat Sergius habuit exitum. Mortuo enim Nicephoro, ſub cujus Imperio Manichæorum & Paulicianorum ſemina per varias Orientis partes excreverant, Michael Curopalates, qui ei ſucceſſit, tantum malum ſuâ pietate ferre non valens, hortatu etiam Nicephori Patriarchæ, lege capitali omnes extirpari juſſit, ipſamque urbem Conſtantinopolitanam, non Manichæorum tantùm, ſed & Iconoclaſtarum, & aliorum hæreticorum colluvie fœdatam, morumque perverſitate laborantem, expurgare ac ſanare conatus eſt. Scribit hæc Theophanes. In hac Manichæorum cæde ex Imperatoris edicto comprehenſus fuit etiam Sergius, qui dum aſſeribus faciendis aliquando eſſet intentus, aſciâ ex ejus manibus ereptâ interemptus eſt. Rem ita narrat Petrus Siculus ſcriptor coævus: *Sergius porrò cùm in Argæo annis aliquot cum diſcipulis hæſiſſet, juſto tandem Dei judicio ſecuri diſſectus, ut qui Eccleſiam Dei diſſecuerat, in ignem miſſus eſt ſempiternum. Nam Tyzamio quidam è Nicopoli Caſtello, hominem nactus in monte, qui Argæo ſuperimminet, faciendis aſſeribus intentum, aſciâ ex ejus manibus extortâ, & in eum impactâ, ipſum interfecit. Atque in hunc modum erepta eſt vita noviſſimæ ac omnium teterrimæ belluæ, anno poſt Orbem conditum ſexies milleſimo trecenteſimo tertio*. Ita Petrus Siculus, addens, poſt ejus necem ſectam à diſcipulis continuatam abſque Magiſtro fuiſſe.

CA-

CAPUT LXXXIV.

De Claudio Taurinenſi, & Gotheſcalco.

§. I.

Claudii Taurinenſis error.

I. EODEM ſeculo nono ineunte vixit, ac turbavit Eccleſiam Claudius, natione Hiſpanus, teſte Jonâ Aurelianenſi, non Scotus, ut aliqui putant: fuit enim illis temporibus alter Claudius natione Scotus Ordinis S. Benedicti quondam Bedæ diſcipulus & Alcuini collega, qui ſcriptis tam carmine quàm ſolutâ oratione multa reliquit, diverſus tamen à Claudio, de quo hìc ſermo erit. Claudius ergò iſte magiſtrum habuit adhuc juvenis Felicem Urgelitanum, ſed eo in Synodo Francofordienſi (ut ſupra) damnato, errores quos ab eo ebiberat Claudius fortè non in totum dimiſit. Cùm ergo in Gallias veniſſet vir ingenio alacer, & eloquio promtus, necnon morum integritatem præferens, Carolo Magno vitâ functo à Ludovico Pio in aulam admiſſus fuit, ubi Presbyteratus & ſimul prædicationis munere tantâ laude functus fuit, ut ejuſdem Principis beneficio & communi acclamatione Taurinenſi Eccleſiæ in Subalpinis præfectus fuerit.

II. Factus ergo Taurinenſis Epiſcopus, & ad ſuam Eccleſiam appulſus, videnſque in ea Sacrarum Imaginum cultum frequentari, ſuperſtitioſum illum reputans, non ſolùm Imagines ipſas, ſed figuras omnes Dominicæ Crucis ab Eccleſia dejecit, & extirpavit. Vigebat quidem tunc apud Gallos quoſdam error, Sacras Imagines retinendas eſſe ad excitandam memoriam prototypi, non tamen ad cultum: omnes tamen figuræ Dominicæ Crucis cultum exhibendum eſſe conveniebant. Ac Claudius ſecum invicem pugnare exiſtimans, figuram Crucis Chriſti colere, Imagini verò Chriſti crucifixi cultum denegare, utrumque errorem amplectens, & Imagini & Crucis Chriſti figuræ cultum & honorem abſtulit; cùm potiùs utrumque errorem abjicens, & figuram Crucis & Sacram Chriſti Imaginem Crucifixi aliaſque Sacras Imagines cultu debito venerari debuiſſet.

III. Fama hujus facinoris, nedum Taurinenſem populum, ſed omnes etiam Galliarum Catholicos commovit, quorum aliqui eſtò non ad cultum, ſed ad excitandam memoriam Sacras Imagines retinerent, omnes tamen figuræ Crucis Chriſti venerationem

præſtabant; Claudius verò ſui erroris tenax, cùm à Theodemiro Abbate de hoc reprehenſus fuiſſet, Apologeticam cum erroribus ſuis adversùs eum ſcripſit Epiſtolam, quæ ad Ludovicum Pium delata, & ab Epiſcopis examinata, juſto judicio repudiata eſt. Ejus errores Jonas Aurelianenſis, & Dungalus Diaconus pariter confutarunt; ex quibus apparet, Claudium, nedum Sacrarum Imaginum Chriſti & Sanctorum, ac figuræ Crucis cultum ſuſtuliſſe, ſed & Sacrarum Reliquiarum, & Sanctorum invocationem, & peregrinationes Sacras ad Apoſtolorum limina impugnaſſe: ac proinde nedum Iconomachorum, ſed & Vigilantii hæreſi fuiſſe infectum.

IV. Contra hos errores egi ſuis locis. Pro veneratione Dominicæ Crucis afferam quæ ſtatuit Concilium Atrebatenſe anno 1025. (cujus Acta exhibet Dacherius Tom. 1. Specilegii) cap. 13. *Scimus*, inquit, *quia omnis ſubſtantia, quæ Deus non eſt, creatura eſt, & quæ creatura eſt, Deus non eſt. Ligno igitur nihil Divinum damus, ut illud adorandum judicemus, quia inter cæteras creaturas quæ Deus non ſunt, ſuæ naturæ ſubſtantiam ſumſit: ſed ſi rationem myſterii diligenter inveſtigemus, non ſolùm ab hominibus, ſed etiam ab Angelis Dominicæ Crucis vexillum honorandum videbitis, quæ quidem aperuit Sacramentum quod neſciebant. Primus itaque Adam inobedientiæ mucrone interfectus eſt à ligno ſcientiæ boni & mali, & nos ſecum traxit in mortem: ſecundus Adam per palmam obedientiæ à Cruce tranſivit in vitam æternam, & nos ſecum duxit. Verumtamen lignum ſcientiæ boni & mali non dicimus ſecundùm ſuam naturam in ſe mortem habuiſſe, ſed fuit in cauſa, ut in eo probaretur obedientia parentis noſtri, ſive vindicaretur inobedientia: quo contrà lignum vitæ in cauſa ſempiternæ vitæ eſt. Hoc lignum attulit nobis Dominus noſter Jeſus Chriſtus per lignum Crucis in Eccleſia noſtra, ut qui morti debitores eramus per lignum ſcientiæ boni & mali, faceret nos vitæ capaces per lignum Sanctæ Crucis. Et ſicut illud ex ſua natura non habuit mortem, ita lignum, unde nobis vita conceditur, non in ſe habuit hanc virtutem, ſed ex illius virtute, qui infirmus fuit ex nobis, vivit autem ex virtute Dei. Regnavit etiam mors & Diabolus ab inobedientia ligni ſcientiæ boni & mali, ſuperata eſt eadem mors & Diabolus per obedientiam ligni Sanctæ Crucis. Quis ergo negare audeat, jure ab hominibus venerari, per quam Diabolus victus, & Mundus Deo operante ſalvatus eſt?* His & aliis præfata Synodus Crucem Chriſti venerandam eſſe demonſtrat, ſicut & Imaginem Chriſti Salvatoris in Cruce cap. 14. ſequenti. Sed de his ſuo loco ſatis loquutus ſum.

§. II.

§. II.

Gotheſcalcus, ejuſque errores, & damnatio.

I. Gotheſcalcus, Germanica lingua *Dei ſervus* ſed geſta nomini non accommodans, ex Germania oriundus fuit, ortus tamen in Diœceſi Sueſſionenſi. In Monaſterio Augiæ ſub Tatonis diſciplina humanioribus literis inſtitutus, in Cœnobio Orbacenſi Eccleſiæ Rhemenſis monaſticam vitam profeſſus ſub Baccone Abbate, Sacris Literis & SS.Patrum, Auguſtini præſertim, doctrinæ navavit operam. Lupo Ferrarienſi Abbati, & Walafrido amiciſſimus fuit, ut patet ex Epiſtola 30. Lupi Ferrarienſis ad ipſum data, & ex gratulatorio Carmine, quod ipſi cecinit Walafridus. A Rigboldo Rhemenſis Eccleſiæ Chorepiſcopo contra Eccleſiæ regulas Presbyter ordinatus fuit anno circiter octingenteſimo quadrageſimo ſeptimo abſque licentia Rhotadi Sueſſionenſis Antiſtitis. Mox violatis monaſticis regulis, cœnobio relicto, gyrovagus primùm Romam peregrinationis causâ profectus, deindè diù multùmque divagatus ſpecie prædicandi barbaris & paganis Evangelium; abſque miſſione contra Pauli dictum Rom. 10. v. 15. *Quomodo verò prædicabunt, niſi mittantur?* evangelizare cœpit, non pacem non bona, ſed errore ſuo Eccleſiam turbare aggreſſus eſt.

II. Error itaque ejus fuit idem, ac olim Prædeſtinatianorum, contra quos ſupra egi cap. 73. *ſ.* 3., nempè Deum, ſicut quoſdam ad vitam æternam prædeſtinavit, ſic alios ad mortem æternam prædeſtinaſſe, & cogere homines interire: non eum velle omnes homines ſalvos fieri, ſed eos dumtaxat qui ſalvantur: & Chriſtum non pro omnium ſalute eſſe paſſum, ſed pro ſalute & redemtione Electorum tantùm. Ita Hincmarus Archiepiſcopus Rhemenſis Lib. de Prædeſtinatione Dei & Libero arbitrio cap. 2. *Quidam Gotheſcalcus*, inquit, *ex Metropolis Eccleſiæ Rhemorum Monaſterio, quod Orbacis dicitur, habitu Monachus, mente ferinus, quietis impatiens, & inter ſuos mobilitate noxiâ ſingularis. Quique à Monaſterio irregulariter exiens, peragratis regionibus plurimis, in Moguntina Civitate habitâ Synodo & Rabano Archiepiſcopo Libellum ſui erroris porrigens damnatus, cum literis Synodalibus ad Rhemorum Metropolim eſt remiſſus.*

III. Adversùs Gotheſcalci errores Rabanus Moguntinus Archiepiſcopus Opuſculum de Prædeſtinatione ad Nottingum Epiſcopum ſcripſit. Deinde convocatâ Moguntiam Synodo anno 848.

rem

rem diſcutiendam propoſuit. Adſuit Gotheſcalcus, qui profeſſionem ſuæ fidei de gemina Prædeſtinatione, ſive Electorum ad vitam æternam, ſive reproborum ad æternam mortem, Synodo & Rabano ſcriptam obtulit, unà cum Libello, quo Rabanum ipſum temerè arguebat ob Opuſculum contra eum editum, ejus ſententiam de libero arbitrio Semipelagiani erroris incuſans. A Rabano tamen Gotheſcalcus convictus, ſed pertinax, damnatus unâ cum errore fuit, & ad Hincmarum Metropolitam ſuum remiſſus, dato juramento, ſe in Regnum Ludovici numquam rediturum.

Placet hic ſubjicere Epiſtolam Synodicam Rabani ad Hincmarum, ex qua Gotheſcalci errores, pertinacia, & damnatio comprobantur: *Notum ſit*, inquit, *Dilectioni veſtræ. Quidam gyrovagus Monachus nomine Gotheſcalcus, qui ſe aſſerit Sacerdotem in veſtra Parochia ordinatum, de Italia venit ad nos Moguntiam, novas ſuperſtitiones & noxiam doctrinam de Prædeſtinatione Dei introducens, & populos in errorem mittens: Dicens quòd Prædeſtinatio Dei ſicut in bono ſit, ita & in malo; & tales ſint in hoc mundo quidam qui propter Prædeſtinationem Dei, quæ eos cogat in mortem ire, non poſſint ab errore & peccato ſe corrigere, quaſi Deus eos feciſſet ab initio incorrigibiles eſſe, & pœnæ obnoxios in interitum ire. Hanc ergo opinionem nuper in Synodo apud Moguntiam habita, ab eo audientes, & incorrigibilem reperientes, annuente atque jubente piiſſimo Rege noſtro Ludovico, decrevimus eum cum pernicioſa doctrina ſua damnatum mittere ad vos, quatenus eum recludatis in veſtra Parochia, unde primùm inordinatè receſſit, & non ſinatis, eum ampliùs errorem docere, & ſeducere populum Chriſtianum: quia jam multos ſeductos (ut audivi) habet, & minùs devotos erga ſuam ſalutem, qui dicunt: Quid mihi proderit laborare in ſervitio Dei? Quia ſi prædeſtinatus ſum ad mortem, numquam illam evadam: Si autem malè egero, & prædeſtinatus ſum ad vitam, ſine ulla dubitatione ad æternam requiem vado. Hæc ergo paucis vobis ſcripſimus, intimantes, qualem ejus doctrinam reperimus: Vos etiam valebitis de ore ejus quid ſentit pleniùs audire, & quid indè agendum ſit juſtè decernere.*

IV. Anno Domini 849. ſub Carolo Calvo Rege Francorum congregata eſt Synodus dicta Cariſiaca, quia in Cariſiaco Regis Palatio à præcipuis Galliarum Epiſcopis habita. In ea iterum auditus fuit Gotheſcalcus, & contra eum quatuor Capitula conſtituta fuere. Primum: Quòd una tantùm ſit Prædeſtinatio Dei. Secundum: Quòd liberum hominis arbitrium per gratiam ſanetur. Tertium: Quòd Deus velit omnes homines ſalvos fieri. Quartum: Quòd Chriſtus pro omnibus hominibus paſſus ſit. Tandemque contra Gotheſcalcum pronuntiata ſententia, quâ interdictum illi

illi prorsùs fuit Sacerdotii, quod irregulariter uſurpaverat, miniſterium. Rursùs verberibus caſtigari juſſus, quia contra Monachi inſtitutum Eccleſiaſtica & civilia negotia gyrovagus aſſumere auſus fuerat. Et tandem, ne de cætero falsâ doctrinâ populum auderet ſeducere, ergaſtulo fuit reclusus.

V. Adversùs hanc Synodi ſententiam temerè ac ſuperbè reclamavit Gotheſcalcus, & quod hæreticis ſolemne ſemper fuit, publicum in quo ſibi diſputare liceret, conventum poſtulavit. Tum, Eccleſiæ auctoritate poſthabitâ, ad judicium Dei temerè provocat, optans ad opinionem ſuam confirmandam ſibi concedi coram ipſo Rege, & frequenti Pontificum, Sacerdotum, & Monachorum cœtu, ut *Quatuor doliis uno poſt unum poſitis, atque ferventi ſigillatim repletis aquâ, oleo pingui, & pice, & ad ultimum accenſo copioſiſſimo igne, liceret ſibi in ſingula introire, & ita per ſingula tranſire, donec Deo dexteram præbente, valeret ſoſpes exire.* His animi ſui elationem & cæcam in errore pertinaciam Gotheſcalcus manifeſtavit, dum ad illum confirmandum Deum miraculo teſtem expetebat.

VI. Damnatus, & in carcere reclusus in ſua perfidia ſemper pertinax manſit Gotheſcalcus, pro ſe ſtare Auguſtinum & Proſperum jactans, & oppoſitum ſentientes hæreticos declarans. Et quamvis Hincmarus Rhemenſis Archipræſul datâ ad eum Epiſtolâ ex SS. præcipuè Auguſtini & Proſperi teſtimoniis manifeſtis oſtenderet, *Deum & bona præſcire & mala; ſed mala tantùm præſcire; bona verò & præſcire & prædeſtinare. Unde Præſcientia eſſe poteſt ſinè Prædeſtinatione: Prædeſtinatio autem eſſe non poteſt ſinè Præſcientia: & quia bonos præſcivit & prædeſtinavit ad Regnum; malos autem præſcivit tantùm, non prædeſtinavit, nec ut perirent ſuâ præſcientiâ compulit;* Nihilominus huic confeſſioni ſubſcribere Gotheſcalcus pertinaciſſimè recuſavit, Flodoardo teſte Lib. 3. Hiſt. Eccleſiæ Rhemenſis cap. 28. Hinc Mauguinus Præſes falsò patrocinium Gotheſcalci ſuſcipiens aſſerit, eum non aliter de Prædeſtinatione ſenſiſſe, quàm Auguſtinum & Fulgentium: Hos enim Patres in utraque ſua confeſſione laudavit, ſed eorum verba in alienos ſenſus detorquens, ſuis erroribus (quod Hæreticis omnibus ſolemne eſſe nemo non videt) accommodabat.

* * *

§. III.

Digitized by Google

§. III.

Quid in cauſa Gotheſcalci evenerit.

I. Cauſa hæc Gotheſcalci adeò commovit præſertim Gallorum animos, ut Eccleſia Gallicana in duas partes ſciſſa ſit, aliis Gotheſcalcum impugnantibus, aliis ejus patrocinium, non tamen erroris, ſuſcipientibus. De quo agit Alexandre in Hiſt. Eccl. Seculi 9. & 10. Diſſert. 5. §. 6. Et Eccleſia Lugdunenſis ut oſtendit ibidem §. 7. eidem errore facti, non tamen errori patrocinari viſa fuit. Errore inquam facti, quia exiſtimavit, ipſum ita prædeſtinationem reproborum ad pœnam admiſiſſe, ut eos ad culpam prædeſtinatos negaret, aut aliquam perditionis eorum cauſam in Deo eſſe, aut ipſis pereundi neceſſitatem Divinâ Prædeſtinatione ita imponi, ut ſalvari non poſſent. Exiſtimavit etiam, eum negaſſe dumtaxat in Deo voluntatem efficacem, & efficacem redemtionem omnium hominum. Non mirum itaque, ſi Eccleſia illa celeberrima Gotheſcalci commiſerata ex deceptione ita de eo ſcripſerit cap. 24. *In hac re dolemus, non illum miſerabilem ſed Eccleſiaſticam veritatem eſſe damnatam. In illa autem Apoſtoli ſententia, quá de Deo ait* „ Qui vult omnes homines ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire „ *putamus eum ſenſum Beatiſſimi Patris Auguſtini ab omni ſemper Eccleſia venerabiliter recepti, & uſque in finem ſeculi recipiendi, ſecutum fuiſſe.*

II. Sciſſio hæc, quæ in Eccleſiam Gotheſcalci damnatio induxit, prodroma fuit hujus, quæ noſtris temporibus Janſenii & Queſnelli juſtâ damnatione Eccleſiam in partes diſtraxit, quæ quidem puto atrocior illâ eſt: nam illa, ut dixi, patrocinium ſuſcipiebat perſonæ, non erroris, hæc & perſonæ & erroris ſuſcipit defenſionem. Gotheſcalci damnatio à Synodis particularibus prodierat, Sedes Apoſtolica nondum locuta erat: & ideò eas Gotheſcalci damnando doctrinam, Auguſtinum & Patres damnaſſe aliqui cenſebant, & Gotheſcalcus ipſe publicum Concilium poſtulabat. Modò pluries Sedes Apoſtolica contra Janſenii & Queſnellii doctrinam locuta eſt: & adhuc aliqui refragantur, ac ſi in illis Auguſtinus damnatus eſſet, & ad generale Concilium pro veritate appellant: imo ſicut Gotheſcalcus pro ſui erroris confirmatione judicium Dei per miraculum poſtulabat, iſti miracula jam à Deo in Diacono Paris patrata falsò venditant. Janſenii, Queſnellii, & ſequacium errores, ſi rectè perpendas, Gotheſcalci ſoboles ſunt. Iſti quoquè, ut ille, de voluntate Dei erga omnium ſalutem, de Chri-

Chriſti redemtione pro omnibus, de libero arbitrio poſt peccatum, de potentia ad benè operandum omnibus datâ malè loquuntur, ac Magiſtros ſuos injuſtè damnatos pronuntiant: quod indicat Propoſitio 100. in Queſnellio proſcripta, quæ talis eſt: *Tempus deplorabile, quo creditur honorari Deus perſequendo veritatem ejuſque diſcipulos! Tempus hoc advenit .... Haberi & tractari à Religionis Miniſtris tamquam & indignum omni commercio cum Deo, tamquam membrum putridum capax corrumpendi omnia in ſocietate Sanctorum, eſt hominibus piis morte corporis mors terribilior. Fruſtra quis ſibi blanditur de ſuarum intentionum puritate, & zelo quodam Religionis, perſequendo flammâ ferrâque viros probos, ſi propriâ paſſione eſt excæcatus, aut abreptus alienâ, propterea quod nihil vult examinare. Frequenter credimus ſacrificare Deo impium, & ſacrificamus Diabolo Dei ſervum*. His tacitè pingit Queſnellius eos qui Janſenianam doctrinam ejuſque auctorem damnant. Gotheſcalci patroni tandem veritatem agnoverunt. Utinam & Janſenii Dei gratia illuminet defenſores. Quare eis cum Paulo ad Philipp. 2. v. 2. dicam: *Implete gaudium meum, ut idem ſapiatis, eamdem caritatem habentes, unanimes idipſum ſectantes*.

§. IV.

De Gotheſcalco aliqua, exitus, & de Thiota.

I. Alium errorem Gotheſcalco tribuit Hincmarus Epiſt. ad Nicolaum I, quòd nempè aſſereret *Deitatem Sanctæ Trinitatis triplicem eſſe*. Immeritò tamen ut infra dicam. Cùm eo tempore, quo de Gotheſcalco diſceptabatur, Hymnus qui in ſolemnitate Martyrum jam ante canebatur variationem in poſtrema ſtrophe ſubiiſſet, dum alii canerent *Te trina Deitas unaque poſcimus*, alii verò *Te ſumma Deitas*; prohibuit Hincmarus in ſua Provincia, ne *Trina Deitas* ampliùs diceretur, quia cùm in Deo qui unus eſt, numerus ſit quidem in Perſonis, ſed non in Deitate, dicere *Trina Deitas* hæreſis eſſet. Ratramnus tamen Corbejenſis Monachus contra Hincmari prohibitionem ſcripſit ad Hildegarium Meldenſem Epiſcopum, in quo ex Libris SS. Hilarii & Auguſtini probavit, ſicut trinum, & unum Deum, ita trinam & unam Deitatem eſſe, quia una in tribus perſonis eſt: Eodem Hincmaro teſte in Libro De non trina Deitate.

II. Cùm hujus controverſiæ fama ad aures Gotheſcalci in Altivillarenſi Monaſterio carcere incluſi perveniſſet, ſchedulam illicò conſcripſit, quâ Trinam Deitatem dici poſſe contendebat,

& qui id negarent fore Sabellianos, quia etſi naturaliter Deitas una ſit, perſonaliter tamen ſecundùm fidem Catholicam trina eſt. Hanc ſchedulam infelicis hujus Monachi, & alias confutandas ſumſit Hincmarus in Lib. de non Trina Deitate, Arianum eſſe contendens, qui id aſſereret. Meliorem tamen in hoc fuiſſe Ratramni & Gotheſcalci cauſam, quàm Hincmari, Eccleſiæ univerſæ judicio conſtat, quæ in Hymno *Sacris ſolemniis* ab Angelico Doctore S. Thoma edito ubique canit in feſto Corporis Chriſti

Te trina Deitas unaque poſcimus,
Sic nos tu viſita, ſicut te colimus,
Per tuas ſemitas duc nos quò tendimus
Ad lucem quam inhabitas.

III. Quamquam Hincmarus boni Paſtoris partes agens ſollicitè pro Gotheſcalci emendatione & ſalute laboraret, tanto tamen odio ipſum proſequebatur Gotheſcalcus, ut, ſi vera ſunt quæ Hincmarus in Lib. de non Trina Deitate circa finem refert, non hæreticus modò, ſed & amens dicendus ſit. Dicebat enim, ſe ſcripſiſſe ad Deum, ac Deum ipſi locutum præcepiſſe, ne pro Hincmaro oraret. Poſteà Filium in eum intraſſe, deinde Patrem, & tandem Spiritum Sanctum, qui in illum intrans, ei circa os barbam uſſit. Inſuper addebat, quibuſdam familiaribus ſuis ſcripſiſſe, ſibi ante aliquot annos revelatum, quòd poſt tres dimidios à revelatione annos, velut alter Antichriſtus uſurpans ſibi poteſtatis potentiam Hincmarus eſſet moriturus, & ipſe in Epiſcopatu eſſet ei ſucceſſurus, ac poſt ſeptennium foret ipſe veneno interficiendus, ac Martyribus adæquandus. Hæc & alia, referente Hincmaro, deliria eructabat Gotheſcalcus, qui & Hincmari mortem à Deo rogabat, ut conſtat ex ejus Oratione ibidem deſcripta, in qua orat Chriſtum *pro ſolis electis crucifixum*, ut hinc evellat *mœchum, cæcum, pervicacem, hæreticum Hincmarum.*

IV. His tamen non obſtantibus nihil prætermiſit Hincmarus, ut Gotheſcalcum ad ſaniorem mentem revocaret; & tunc maximè, cùm læthali correptus ægritudine vergere ad interitum cœpit. Miſit ad ipſum formulam ejus erroribus contrariam, cui ſubſcriberet, illum obteſtatus eſt, ut pravas opiniones ejuraret, communione alioquì etiam in obitu, & Eccleſiaſticâ ſepulturâ privandus: ſed pertinax in erroribus manſit, & ſecum eſſe S. Auguſtinum procaciter jactans, abſque Sacramentis obiit anno Chriſti 867. & Eccleſiaſticâ ſepulturâ privatus eſt. Rem narrat Hincmarus in Lib. De non Trina Deitate ita concludens: *Et cùm jam finis ejus appropinquaret, Fratribus qui aderant, ut à pravo ſuo ſenſu, & perverſa ſententiá ſe revocaret, & Communionem ſacram perciperet ſuadentibus*

tus reſpondit: *A ſuo ſe ſenſu revocare, & Communionem per auctoritatem non poſſe accipere. Sicque indignam vitam dignâ morte finivit, & abiit in locum ſuum.* Non tamen, ut ſupra dixi de Gotheſcalco eadem omnium ſententia fuit; cùm plures etiam poſt mortem viri Catholici ab errore Prædeſtinatianorum ipſum alienum fuiſſe cenſuerint, ipſumque tanquam Auguſtinianæ doctrinæ ſtrenuiſſimum defenſorem laudaverint. Sed judicio Eccleſiæ ſtandum eſt.

V. Dum Gotheſcalcus errores ſuos ſpargere cœpit anno 947. Diabolus omni ſtudio decipiendis fidelibus ſemper intentus, quique ſicut à femina fraudem exorſus fuit, ac per feminas obtrudere variis temporibus non infeliciter perſequutus fuit, feminam nomine Thiotam excitavit. Rem ad annum 947. Annales Francorum Fuldenſes ita narrant: *Mulier quædam de Alamanniæ partibus, nomine Thiota, pſeudo-prophetiſſa Moguntiacum venit, quæ Salomonis Epiſcopi Parochiam ſuis vaticiniis non minimè turbaverat. Nam certum conſummationis ſeculi diem, aliaque perplura Dei ſolius notitiæ cognita, quaſi divinitùs ſibi revelata, ſcire ſe fatebatur, & eodem anno ultimum diem mundo imminere prædicabat. Unde multi plebeii utriuſque ſexus timore perculſi ad eam venientes munera illi ferebant, ſeque illius orationibus commendabant: &, quod gravius eſt, Sacri Ordinis viri doctrinas Eccleſiaſticas poſtponentes, illam quaſi magiſtram cœlitùs deſtinatam ſequebantur. Hæc in præſentiam Epiſcoporum apud Sanctum Albanum deducta, & diligenter de ſuis aſſertionibus requiſita, Presbyterum quemdam ſibi ea ſuggeſſiſſe, & ſe talia quæſtus cauſâ narraſſe profeſſa eſt. Quapropter Synodali judicio publicis cæſa flagellis, miniſterium prædicationis, quod irrationabiliter abripuit, & ſibi contra morem Eccleſiaſticum vindicare præſumſit, cum dedecore amiſit, ſuiſque vaticiniis tandem confuſa finem impoſuit.*

CAPUT LXXXV.

De Photii ſchiſmate, & Joanne Erigena.

§. I.

Photii ſchiſma.

I. DUODECIMUM in Patriarchatu Conſtantinopolitano inchoaverat annum Ignatius, vir ſummæ pietatis ac zeli, qui cùm Bardam Patricium, penès quem ſub Michaele ſumma erat adminiſtrationis Imperii, poſt ſæpè fruſtra iteratas mo-

monitiones, à Sacratiſſimi Corporis Domini Communione repuliſſet, ob innocentis uxoris repudium, & cum cognata ſibi deſponſata infame commercium, ejuſdem Bardæ conſpiratione calumnioſè accuſatus, quòd adversùs Imperatorem conſpiraret, è throno impiè depoſitus eſt, atque in Inſulam Terebinthum relegatus. Ubi cum perſuaderi numquam potuiſſet, ut libellum daret renuntiationis Sedi Patriarchali, poſt multas vexationes & varios cruciatus, ad extremum in Copronymi ſepulchro incluſus eſt ſub crudeliſſimorum hominum cuſtodia. Sed inde furtim à pio quodam viro ſublatus, iterumque captus, multiplices paſſus eſt locorum mutationes: compluresque alii Epiſcopi ſimilia pertulere, eo quòd alium Patriarcham nollent recipere. Attamen cedentes plurimi minis, multi pollicitationibus illecti, obſecuti ſunt Bardæ, & in locum Ignatii Photium, quem ipſe proponebat, acceptarunt.

II. Erat Photius Eunuchus & laicus nobilitate inſignis, quòd Imperatoris ſoror Irene nupta eſſet Sergio Patricio Photii germano, Protoſpatharius dignitate, munere à Secretis Imperatori, divitiis pollens, in ſcientiis ſecularibus diſertiſſimus, ſacrarum verò literarum ignarus, homo gloriæ cupidiſſimus, & Bardæ ſumma familiaritate conjunctus. Sex dierum ſpatio (referente Niceta in Vita Ignatii) ex laico in Patriarcham transformatus fuit. Primâ die Monachus effectus, ſecundâ Anagnoſtes, ideſt Lector, tertiâ Subdiaconùs, quartâ Diaconus, quintâ Presbyter, ſextâ denique Patriarcha, & conſecratus à Gregorio Syracuſano Epiſcopo excommunicato ipſo die Natalis Domini. Ita ejecto Paſtore, fur iſte in ovile ad diſpergendas oves intravit.

III. Poſt duos ab intruſione exactos menſes ſæviſſimam perſecutionem in Ignatium, quaſi exul res novas in Imperium moliretur, in ejuſque amicos juvante Bardâ movere cœpit, alios exilio, alios verberibus affligendo. Videns autem, hoc ſe nihil proficere, ſuaſit Imperatori, ut convocaret Synodum ſibi communicantium Epiſcoporum, quâ Ignatium damnaret, ut hâc arte Epiſcopos atque populum ab ejus affectione divelleret. Verùm, cùm & hoc peracto, permulti nihilominus Ignatio adhærerent, ſuggeſſit Imperatori, ut ad Nicolaum I. Romanum Pontificem miſsâ legatione ſcriberet. Scripſit Imperator, & per Legatos dona ad Sanctum Petrum miſit, ſcripſit quoquè Photius. Literæ Imperatoris pro reſtitutione Sacrarum Imaginum, quas aliqui Conſtantinopoli abjiciebant, ſcriptæ videbantur; re verâ tamen Ignatii à S. Sede damnationem, & Photii ſubrogationem poſtulabant. Nicolaus peſſimæ Imperatoris cogitationis ignarus Legatos miſit, qui quæſtionem quidem de Imaginibus Synodicè definirent, ſed de cauſa

ſa Photii inquirerent ſolùm, & ad ſe renuntiarent. At Legati Conſtantinopolim appulſi, & pecuniâ corrupti, contra mandatum, non ſolùm Photio communicarunt, ſed ei & conſecrationi ejus faventes convocatâ Synodo Patriarcham Ignatium denuò depoſuerunt. His auditis Nicolaus vix credidit, iterumque tum ad Imperatorem, tum ad Photium literas dedit: ſed monitus poſteà de iis, quæ contra ejus præſcriptum Legati egerant, convocatâ Romæ Synodo, ac conſtito in Ignatii depoſitionem Nicolaum Pontificem minimè conſenſiſſe, & Legatos in hoc deviaſſe; Zacharias unus ex illis cum aliis communione privatus eſt. Hæc ex Anaſtaſio Biblioth., qui cuncta oculis ſpectabat, deſumpta ſunt.

IV. Hæc initia ſchiſmatis, quod maximè turbavit Eccleſiam, & de quo plura videri poſſunt, maximè apud Alexandre in Hiſt. Eccl. Seculi *9.* & 10. Diſſet. 4. Nunc breviter dicam. Photius à Nicolao I. excommunicatus vices ipſi rependit, eumque, ut alter Dioſcorus, excommunicare tentavit: Literaſque Encyclicas contra Romanam Eccleſiam ſcripſit, Nicolao I. vitâ functo, ac Michaele Græcorum Imperatore Divinâ ultione percuſſo, in Synodo Œcumenica VIII. præſidentibùs Hadriani II. Legatis anno Chriſti *869.* damnatus eſt Photius, & à Baſilio Imperatore miſſus in exilium, & Sedi ſuæ Ignatius reſtitutus. Sed mortuo Ignatio poſt decennium ab eodem Baſilio Photius revocatus, & in gratiam receptus, in Sedem reſtituitur, quam ipſi Joannes VIII. confirmavit. Sed cùm Pontificis literas falſaviſſet, Legatos Apoſtolicos ſeduxiſſet, ac pſeudo-Synodum celebraſſet, quam Octavam Œcumenicam nominavit, reſciſſis Octavæ ac verè Œcumenicæ decretis, rursùs ab eodem Pontifice damnatus eſt. Quæ ſententia mortuo Baſilio, à Leone Sapiente ejus filio executioni mandata eſt. Unde Photius è Sede, quam tyrannicè uſurpaverat ac retinuerat, anno Chriſti *886.* dejectus, & in Monaſterio recluſus fuit, ubi, quando, & quomodo obierit, incertum eſt. Eum juſſu Leonis Cæſaris obcæcatum rebellionis machinatæ ſuſpicione ſcribit Cedrenus in Annalibus.

V. Doctrinam Catholicam de Proceſſione Spiritus Sancti à Patre & Filio Photius ſcriptis impugnavit. Quem errorem Græci ſuſceperunt, & quamvis in variis Conciliis Œcumenicis damnatum ejurare promiſerint, Græci qui in ſchiſmate perſeverant, adhuc retinent. Præter errorem de Spiritus Sancti Proceſſione à ſolo Patre, alium particularem profeſſus, dicebat, ſingulis hominibus duas ineſſe animas. Liber ejus in Romana Synodo rejectus & extra fores flammis projectus, denſo licèt imbre in ignem delabente, ſtupentibus omnibus exuſtus eſt. Idem factum fuit in Octava Synodo Œcu-

Œcumenica, ejuſque patroni dum Romam navigarent, in mari perierunt, ut Anaſtaſius citatus refert. Photii & Græcorum errorem de Proceſſione Spiritus Sancti à ſolo Patre latè impugnavi Tomo 4. in 1. p. Quæſt. 6. De Perſona Spiritus Sancti Dubio 1. per totum.

§. II.

Joannes Scotus Erigena ejuſque errores.

I. JOannes iſte, dictus Scotus, quia in Scotia natus, vel è Scotia oriundus, dictus eriam fuit Erigena, quia ex Irlandia, lingua nationis dicta *Erin* originem traxiſſe aliqui exiſtimarunt. Vixit Carolo Calvo in Galliis regnante, cùmque ſingulari ſcientiæ opinione gauderet, in Palatio Regis honorificè verſabatur. Hinc falli creduntur aliqui, putantes eum fuiſſe Monachum vel Presbyterum, cùm nemo auctorum illius ætatis hoc dicat, nec ipſe in ſuorum Operum inſcriptione Monachi aut Presbyteri nomina uſurpet. Eum vel ſponte è Galliis in Angliam trajeciſſe, quòd infamiam nomini ſuo ob errores aſperſam ferrre diutiùs non poſſet, putant aliqui: Alii volunt à Rege Ælfredo è Gallia in Angliam honorificè vocatum. Ita Matthæus Weſtmonaſterienſis: ſed hunc non fuiſſe Joannem Scotum, de quo hìc ſermo eſt, ſed Joannem Saxonem, poſtea Æthelingiæ Abbatem, multis oſtendit inter alios Alexandre in Hiſt. Eccl. Sec. 9. & 10. Diſſert. 14. §. 1., ubi §. 2. demonſtrat, hunc Joannem Scotum non fuiſſe Bedæ diſcipulum, nec condiſcipulum Alcuini.

II. Magis decipiuntur, qui Joannem Erigenam martyrem prædicant. Id primus tradidit Willelmus Malmesburienſis (quem alii poſtea ſecuti ſunt) Lib. 2. de Geſtis Regum Anglorum c. 4. ubi: *Hoc tempore*, inquit, *creditur fuiſſe Joannes Scotus, vir perſpicacis ingenii, & multæ facundiæ, qui dudum concrepantibus undique bellorum fragoribus in Franciam ad Carolum Calvum tranſierat ..... Succedentibus annis munificentiâ Alfredi allectus venit in Angliam, & apud Monaſterium noſtrum, à pueris quos docebat, graphiis, ut fertur perforatus, etiam martyr æſtimatus eſt*. Et in hujus teſtimonium adducit ejus ſepulchrum à ſiniſtro latere altaris, & epitaphium ſequentibus carminibus:

Clauditur hoc tumulo ſanctus ſophiſta Joannes;
Qui ditatus erat jam vivens dogmate miro,
Martyrio tandem Chriſti conſcendere Regnum
Quo, meruit, ſancti regnant per ſecula cuncti.

III. Non inficior vetus illud epitaphium Joannis tanquam mar-

martyris tumulo affixum ; ſed quod Willelmus Joanni Scoto Erigenæ illud accommodet, probare non poſſum. Scio, Cave in Hiſt. Literaria Joannem Scotum Erigenam impensè celebrare & martyrem facere, ſed hac in re cauſam agit ſuam, & ideò fidem non facit. Dicam ergo utrumque in æquivoco laborare, tribuendo Joanni Erigenæ, quod Joanni Malmesburienſi convenit. Hic enim ſapiens, ſive ſophiſta nuncupatus eſt, hic etiam inter Martyres conſcriptus eſt, ut conſtat, tum ex ſupra relato epitaphio, tum ex Gozelino in Catalogo Sanctorum in Anglia ſepultorum. Quare ſicut Willelmus lapſus eſt, cùm Joannem Scotum Æfredi Regis præceptorem fecit, ut ſupra, ita & cùm eundem martyrem facit ; unde jure & ipſe dubitanter loquitur, dum ait, *creditur*, *fertur*.

IV. Hoc magis confirmatur. Quia nemo ante Willelmum Malmesburienſem Joannis Scoti Sanctitatem & Martyrium prædicavit: nec ipſe Berengarius, qui ipſum ſui erroris magiſtrum agnovit. In Epiſtola enim ad Richardum, ſcribit quidem rogandum eſſe Regem, ut Joannis *viri eruditi* memoriam à calumniis tueatur, non tamen viri ſancti & martyris, quod certè non prætermiſiſſet. Extat hæc Epiſtola Tom. 2. Spicilegii. Imo Aſcelinus ad Berengarium ſcribens non dixiſſet, Joannem Scotum hæreticum fuiſſe, & ut hæreticum ſe ſemper habiturum: ſi enim eum martyrem exiſtimaſſet, damnaſſet quidem doctrinam, ſed perſonæ peperciſſet.

V. Certè in nullo ex Martyrologiis à Catholica Eccleſia probatis Joannis Scoti nomen reperitur. Sed dato etiam quòd Joannes ille, quem Willelmus dicit à pueris quos docebat graphiis perforatum & occiſum, fuerit Joannes Scotus, numquid proinde dicendus erit martyr? *Martyrem non facit pœna, ſed cauſa*, inquit S. Auguſtinus. Oſtendatur ergo, cauſam, quâ à pueris fuit occiſus, fuiſſe quia eos fidei veritatem doceret, ut S. Caſſiano Imolenſi accidit ; & non potiùs, quia nimiâ aſperitate, non verbis ſolùm, ſed flagris in docendo uteretur.

VI. Sed qualis verè fuerit Joannes Scotus Erigena, ejus errores manifeſtabunt. Primò: Librum ſcripſit de Euchariſtia, quo Berengario, ac cæteris Sacramentariis præluſit. Docuit nimirùm teſte Hincmaro Lib. de Prædeſtinatione cap. 31. *Quòd Sacramenta Altaris non verum corpus & verus ſanguis ſit Domini, ſed tantùm memoria veri corporis & ſanguinis ejus*. Hoc libro tamquam ſui erroris clypeo Berengarius utebatur. Unde ad Lanfrancum ſcribens conqueritur, eum, ut adhæreat Paſchaſio, *hæreticas habuiſſe ſententias Joannis Scoti de Sacramento Altaris*: concludens: *Si hæreticum habes Joannem, cujus ſententias de Euchariſtia probamus: habendus tibi*

tibi eſt hæreticus Ambroſius, Auguſtinus, ut de cæteris taceam. Unde cùm præfatus Joannis Scoti liber in Concilio Vercellenſi fuiſſet lectus, ac tanquam contraria fidei Eccleſiæ continens, Lanfranco teſte, ſententiâ omnium *qui ex diverſis hujus mundi partibus illuc convenerant*, damnatus (quod ante in Concilio Romano factum fuerat) Berengarius ad Richardum ſcribens, ait: *Injuſtiſſimè damnatum Scotum Joannem in Concilio Vercellenſi*. Hanc tamen damnationem tanti fecit Aſcelinus, ut Berengario ſcripſerit: *Pudeat te patrocinari librum, quem Vercellis in plenaria Synodo damnatum, te quoquè propter eum hæreſis maculâ notatum audivimus.* Damnatus etiam fuit Scoti liber in Concilio Pariſienſi anno 1050.

VII. Librum quoquè de Prædeſtinatione Joannes Erigena edidit, in quo 36. capita inſcitiæ vel erroris S. Prudentius & Florus Magiſter reprehendunt; & præſertim quòd errores Pelagii excitaverit, ac de damnatorum pœnis non catholicè ſit locutus. Super quo Prudentius ita præfatur: *Blaſphemias tuas, Joannes, atque impudentias, quibus in Dei gratuitam gratiam juſtitiamque inflexibilem procax inveheris, pernicioſo tuæ perverſitatis libro, quem ſub nomine cujuſdam Gotheſcalchi adversùs omnes Catholicos effutiſti, eò moleſtiùs accepi, quò te familiariùs amplectebar, peculiariùs diligebam.* Et infra exaggerans, quid in eo libro damnabile repererit: *Deprehendi*, inquit, *quantùm divinitùs inſpiratus potui, Pelagii, Cœleſtii, eorumque ſequacis ac defenſoris Juliani per omnia ſectatorem, Joannem videlicet Scotum, tantâ impudentiâ Orthodoxæ fidei, Patribuſque Catholicis oblatrantem, ac ſi unus ſpiritus Julianum Joannemque docuerit, unus idemque ſpiritus in eis fuerit, nec diſpar ſpiritus per eorum linguas, tot tantaſque blaſphemiarum nauſeas vomuerit. Nam & gratuitam Dei gratiam pariliter impugnant, & Dei juſtitiam ſimiliter denegant, & originale peccatum, quod naſcentes trahimus, quoquè nonniſi Cœleſti gratiâ per myſterium baptiſmatis ſolvimur, indiſſimili garrulitate diſſuadent* &c. Hoc & alia Prudentius, qui ſingulas propoſitiones cenſurâ dignas eo in libro recenſet, quas videre quiſque poterit apud Alexandre Diſſert. 14. citata §. 4.

VIII. In eumdem librum Eccleſiæ Lugdunenſis nomine ſcripſit Florus Magiſter. Unde Lugdunenſis Eccleſia Lib. de Tribus Epiſtolis in reſponſione ad ſecundam, dolet quòd Hincmarus cæterique Antiſtites Joannem Scotum ad ſcribendum de Prædeſtinatione elegerint, hominem in Scripturis Sanctis hoſpitem & peregrinum; quique *ſcriptis ſuis, niſi corrigere & emendare feſtinet, vel ſicut demens ſit miſerandus, vel ſicut hæreticus anathematizandus.* Propterea librum Joannis Scoti præfatum Valentina III. Synodus Can. 4. damnavit tanquam *commentum Diaboli, potiùs quàm argumen-*

mentum aliquod fidei, & Canone 6. monet fideles, ut ab anilibus fabulis in eo contentis abſtineant. Hanc damnationem Concilium Lingonienſe, cujus Decreta in Concilio Tullenſi XII. Provinciali relata & confirmata ſunt, ita ſanxit Can. 4. *Porrò Capitula numero 19. ſyllogiſmis ineptiſſimè ac mendaciſſimè à quodam Scoto concluſa, ubi non argumentum fidei, ſed potiùs commentum perfidiæ patet, nullâ omnino Philoſophiæ arte, ut arroganter à quibuſdam jactatur, conſtructum, ſed inani fallaciâ & deceptione ineptiſſimè confuſum, à pio fidelium auditu penitùs explodimus* &c.

IX. Verſionem inſuper Joannes Scotus edidit de Græca in Latinam linguam Operum S. Dionyſii. Hanc ad Sedem Apoſtolicam mitti juſſit examinandam Nicolaus I. Pontifex Maximus, tùm quòd librorum cenſura juris ſit Pontificii, tum quòd ſuſpectæ fidei eſſet illius Auctor. Ita enim ſcribit: *Relatum eſt Apoſtolatui noſtro, quòd Opus B. Dionyſii Areopagitæ, quod de Divinis Nominibus, vel Cæleſtibus Ordinibus, Græco deſcripſit eloquio, quidam vir Joannes genere Scotus nuper in Latinum tranſtulerit. Quod juxta morem nobis mitti, & noſtro debuit judicio approbari; præſertim cùm idem Joannes, licèt multæ ſcientiæ eſſe prædicetur, olim non ſanè ſapere in quibuſdam frequenti rumore diceretur. Itaque quod hactenus omiſſum eſt, veſtra induſtria ſuppleat, & nobis præfatum Opus ſinè ulla cunctatione mittat: quatenus dum à noſtri Apoſtolatus judicio fuerit approbatum, ab omnibus iucunctanter noſtrâ auctoritate acceptius habeatur*. Hæc Nicolaus, à quo vocatum etiam fuiſſe Romam ipſum Joannem Scotum, auctores quidam dicunt, ſed morte præventum huic mandato non paruiſſe.

X. Aliæ ſeculo decimo hæreſes quaſi extumulatæ ſurrexerunt. Tempore enim Photiani ſchiſmatis Teopaſchitarum hæreſis, de qua ſupra, in Oriente ſuſcitata graſſabatur, quam Nicolaus I. in Romana Synodo anno 962. duplici Canone confixit; Chriſtum carne tantummodò paſſum, Deitate verò impaſſibilem eſſe definiens, ut ex Epiſtola ipſius 7. ad Michaelem Imperatorem, cui Canones illi inſerti ſunt.

XI. Anthropomorphitarum quoquè hæreſis corpoream formam Deo tribuentium anno circiter 939. Italiam infeſtabat, quam Ratherius Veronenſis Epiſcopus verbo & ſcripto validè impugnavit; teſte Sigeberto in Chronico ad illum annum. Contra hos egi ſupra cap. 46.

XII. Medio eodem ſeculo Walfredus quidam Animæ Mortalitatem in Occitania prædicare cœpit, quem Durandus Caſtrenſis Abbas Ordinis S. Benedicti ſtrenuè confutavit, ut teſtantur verſus fronti majoris januæ Eccleſiæ S. Benedicti Caſtrenſis inſcripti, &

in lucem editi poſt Chronicon Epiſcoporum Caſtrenſium Tomo 7. Spicilegii Dacheriani qui tales ſunt:

—— Valfredus ſpargit doctrinæ ſemina falſæ,
Corpus & unà Animam morte perire docet.
Inſurgit contra vero ſermone Durandus,
Et gladio linguæ dogmata falſa ſecat.

Hunc errorem ab Epicureis ortum alii, de quibus ſupra, ſuſceperunt; ac utinam quidam noſtrorum temporum hæretici huic errori non ſubſcribant, nec dicant cum impiis illis Sap. 2. qui omne bonum in hac fugaci vita collocantes dicebant: *Coronemus nos roſis antequam marceſcant: nullum pratum ſit, quod non pertranſeat luxuria noſtra.*

CAPUT LXXXVI.

De novis Manichæis Stephano, & Liſojo, & de Gandulfo.

§. I.

Stephani, & Liſoji errores ac damnatio.

I. TRANSEUNTI ad ſeculum XI. prima hæreſis quæ mihi occurrit hæc eſt, quæ Roberto Rege Chriſtianiſſimo, à muliere quadam Itala in Gallias invecta, Urbem Aurelianenſem non parum infecit; quæ tamen pietate Regis ibi coactâ Synodo, ut dicam, unà cum ejus auctoribus extincta fuit anno 1017. Primi qui à muliere præfata ſeducti hæreſim ſuſceperunt, fuere Stephanus Sancti Puellaris Scholaſticus, & Liſojus Sanctæ Crucis Canonicus, viri religionis & ſapientiæ opinione celebres, ac per iſtos plures alii, cum è Clero tum è populo infecti fuerunt.

II. Errorum capita hæc erant. Primò: Vetus & Novum Teſtamentum rejiciebant, velut figmenta carnalium hominum, ſolamque Legem in cordibus ſcriptam ſe admittere gloriabantur. Secundò: Chriſtum de Virgine Maria non eſſe natum, neque pro hominibus paſſum, nec verè in ſepulchro poſitum, nec à mortuis reſurrexiſſe, effutiebant. Tertiò: In Baptiſmo nullam eſſe peccatorum ablutionem. Quartò: Sacramentum Corporis & Sanguinis Domini conſecratione Sacerdotis non fieri, nec panem & vinum in Corpus & Sanguinem Chriſti poſſe converti. Quintò: Sanctorum invocationem nihil prodeſſe. Sextò: Bona opera eſſe inania (videant Lutherani & Calviniſtæ, ex quo cœnoſo fonte hæc tria ſuæ

ſuæ doctrinæ capita hauſerint). Septimò: Iis qui ſuæ ſectæ myſteriis eſſent initiati, viſiones Angelicas pollicebantur, quarum ſolatio recreati, cum ipſis Angelis quòvis ſinè mora vel difficultate pro arbitrio ire poſſint. Octavò (quod infame & horrendum eſt) Nocturnos agebant conventus, in quibus ſinguli lucernas tenentes, nomina Dæmonum Litaniæ inſtar recitabant, donec Dæmonem ſub forma cujuſdam beſtiolæ conſpicerent. Tum extinctis lucernis promiſcuam libidinem accendebant, exercebantque, nullo conſanguinitatis aut voti habito reſpectu: matrem etiam, vel ſororem, aut ſanctimonialem, ut primùm occurrebat, conſtuprabant. Ex fœdo concubitu natus infans, octavâ die cremabatur. Cineres ſtudioſè colligebant, nec minori religione ſervabantur, quàm Chriſti Corpus dandum fidelibus morituris in Viaticum ſervat Eccleſia: ex quibus qui vel tantillum prælibaverant, ita confirmabantur in hæreſi, ut ex ipſa unquam emergere vix poſſent. Infanda hæc eruuntur ex veteri Commentario, quem Aganorum vocant cœnobii S. Petri in Valle à Luca Dacherio Tom. 2. Spicilegii edito, & extant Tom. 6. Concil. Harduini de Concilio Aurelianenſi ad ann. 1017. & ex Glabio Rodulpho Hiſt. Lib. 3. c. 8.

III. Non diù infamis hæc ſecta latere potuit. Qui primus eam prodidit fuit Areſaſtus vir nobilis è ſtirpe Ducum Normanniæ, vir morum integritate ſpectatiſſimus. Hic Clericum quemdam ſuum nomine Herbertum, ad Aurelianenſem Urbem ſtudiorum causâ miſerat, qui commercio cum Stephano & Litojo hæreſis auctoribus ſeductus, dum veritatis magiſtros quærere ſatageret, in errorum barathrum dilapſus fuit. Reverſus in patriam Clericus Areſaſtum Dominum ſuum, quem impensè diligebat, de omnibus quæ Aureliani didicerat, tamquam de ſublimibus myſteriis, certiorem fecit. Exhorruit ad hæc Areſaſtus, & citò Comiti Richardo Normanniæ Duci rem nuntiavit, rogavitque eum, ut Roberto Galliarum Regi peſtem in Regno ſuo adhuc latitantem, antequam propagaretur, literis patefaceret. Quod præſtitit Richardus, deprecans Regem, ut eidem Areſaſto ad eam depellendam opportunum auxilium non denegaret.

Itaque Rex inſperatâ re attonitus mandavit, ut idem vir cum Clerico ſuo ad Aurelianum Urbem citò greſſum dirigeret, pollicitus omnimodis in hac re ſuum auxilium. Igitur Areſaſtus iter agens Carnutum divertit, conſilium ad tanti momenti negotium à S. Fulberto Epiſcopo rogaturus. Sed eo abſente (Romam enim orationis causâ profectus fuerat) conſuluit Ebrardum religioſiſſimum Clericum, & Carnotenſis Eccleſiæ Sacroſcriniarium, qui ipſum docuit, ut quotidiè primo mane Omnipotentis opem quæſiturus,

Eccleſiam devotus adiret, orationi incumberet, atque Sacroſanctâ Communione Corporis & Sanguinis Chriſti ſe muniret: deindè fidenter ſignaculo S. Crucis protectus ad audiendam hæreticam pravitatem ſe conferret, nihil eorum quæ ab eis audiret contradicens, ſed ſimulato diſcipuli vultu, omnia tacitus ſecum conferret.

IV. Igitur Aurelianum deveniens, quotidiè Sacrâ Communione & aſſiduâ oratione, ut doctus fuerat, ſe ſe muniens, ad eorum conventus accedere cœpit, & inſtar rudis diſcipuli, quæ ab eis dicebantur audiens, ultimo loco aſſidebat. Cumque primùm variis Scripturarum exemplis, ac rerum ſimilitudinibus eum informarent, ac ſubditâ aure intentum viderent: Tractandus es, inquiunt, ut arbor ſilveſtris, quæ translata in viridarium nihil niſi ſpinas producit, donec terræ truncata meliori ramuſculo inſeratur. Ita tu translatus de iniquo ſeculo in noſtrum Sacrum Collegium, niſi excisâ à tui pectoris antro profanâ Eccleſiæ doctrinâ ſurculo noſtræ ac S. Spiritus doctrinæ inſeraris. At ille de omni verbo quod dicebant, ſemper Deo gratias agere ſimulabat. Quare illi ad ſuam ſectam converſum ipſum exiſtimantes, nequitiæ ſentinam incipiunt ſecuri aperire dicentes: *Chriſtum de Virgine Maria non eſſe natum, neque pro hominibus paſſum, nec verè in ſepulchro poſitum, nec à mortuis reſurrexiſſe*. Addentes: *In Baptiſmo nullam eſſe ſcelerum ablutionem: neque Sacramentum Corporis & Sanguinis Chriſti in conſecratione Sacerdotis, Sanctos Martyres atque Confeſſores implorare pro nibilo ducebant*. Petente autem Areſaſto, in quo, ſi non in præfatis ſperanda eſt ſalus? Sperandam eſſe reſpondebant, per impoſitionem manum noſtrarum, quâ omni labe mundaberis, & Spiritus Sancti dono repleberis. Deindè Cœleſti Cibo recreatus videbis perſæpè nobiſcum viſiones Angelicas. Ita nefarii illi, cibum Cœleſtem appellantes infantis combuſti cineres, de quo ſupra.

V. Interea Rex Chriſtianiſſimus Robertus, & Conſtantia Regina uxor ejus caſtiſſima cum conventu Epiſcoporum ad Synodum peragendam Aurelianum ſe contulere. Hæretici, Areſaſto ſuggerente, à Regiis ſatellitibus comprehenſi in Eccleſiam Sanctæ Crucis adducti coram Rege & Synodo ſtetere. Rationem fidei reddere juſſi, diſſimulabant; quam cum Areſaſtus expoſuiſſet, Guarinus Bellovacenſis Antiſtes à Stephano & Liſojo, qui primi inter illos videbantur, petiit, an ita planè ſentirent ac crederent; quibus reſpondentibus vera eſſe memorata, ac ita ſe ſentire & credere, Præſul dixit: *Voluiſſe Chriſtum naſci de Virgine quia potuit, & pro noſtra ſalute pati in humanitate, ut tertiâ die devictâ morte reſurgeret in ſua Deitate, noſque docere eſſe ſurrecturos in reformatione*.

At

At illi reſponderunt dicentes: *Nos neque interfuimus*, *neque hæc vera eſſe credere poſſumus*. Tunc Præſul: *Carnales parentes vos habuiſſe*, *creditis*, *an non?* Cùmque ſe credere aſſererent, Præſul, ad eos: *Si*, inquit, *ex parentibus vos eſſe procreatos creditis*, *cùm non eratis*; *ante ſecula Deum de Deo genitum ſinè matre*, *in fine temporis Sancti Spiritus obumbratione de Virgine natum*, *cur credere reſpuiſtis?* At illi dixerunt: *Quod natura denegat*, *ſemper à creatione diſcrepat*. Quibus Præſul reſpondit dicens: *Antequam quidquam fieret per naturam*, *non creditis per Filium Deum Patrem feciſſe omnia ex nihilo?* Cui veritatis & fidei hoſtes dixerunt: *Iſta illis narrare potes*, *qui terrena ſapiunt*, *atque credunt figmenta carnalium hominum ſcripta in membranis animalium*: *nobis autem qui legem ſcriptam habemus in interiori homine à Spiritu Sancto*, *& nihil aliud ſapimus*, *niſi quod à Deo omnium conditore didicimus*, *incaſſum ſuperflua*, *& à Divinitate devia profers*: *idcircò verbis finem impone*, *& de nobis quidquid velis facito*. *Jam Regem noſtrum in Cœleſtibus regnantem videmus*, *qui ad immortales triumphos dexterâ ſuâ nos ſublevat*. Ita à Diabolo obcæcati infelices loquebantur.

VI. Diù, ſed fruſtra, laboratum eſt ab Epiſcopis, ab hora ſcilicet prima uſque ad nonam, ut eos à ſuo errore revocarent. Sed cùm ferro duriores non reſipiſcerent, juſſi ſunt ſinguli ſacris veſtibus indui in ſuo ordine, ſtatimque ab Antiſtitibus à proprio honore ſunt depoſiti, & Rege jubente Conſtantia Regina ante valvas Baſilicæ ſtetit, ne populus eos intra Eccleſiam interficeret: & ſic de gremio Sanctæ Eccleſiæ ejecti ſunt. Qui cùm ejicerentur, Regina Stephani,ſui olim Confeſſoris,cum baculo quem manu geſtabat, oculum eruit. Deindè extra Civitatis educti muros, in quodam tuguriolo copioſo igne accenſo, præter unum Clericum & unam Monacham, cum nefario pulvere, quo ut dixi in myſteriis utebantur, cremati ſunt. Clericus enim & Monacha Divino nutu reſipuerunt. Hæc conſtant ex ſupra citata Synodo Aurelianenſi, in quo geſta ſunt, & habentur in Tomo 6. Concil. Harduini, & in Spicilegio Dacherii Tomo 1. noviſs. editionis. In hac hæreſi confutanda non immoror. Eam enim narraſſe, confutaſſe eſt.

§. II.

Gandulſi errores.

I. ANno Chriſti 1025. in diœceſi Cameracenſi altera hæreſis detecta eſt, auctore quodam Gandulpho ex Italiæ finibus eam illuc aſportante, quæ à Gerardo Cameracenſi & Attrebatenſi Epi-

Epiſcopo in Synodo Attrebate coacta diſſipata fuit, ac extincta, ut patet ex ejuſdem Synodi Attrebatenſis Actis,quæ Spicilegium Dacherii Tomo 1. ad ann. 1025. integra exhibet. Cùm Attrebatum veniſſet Gerardus, relatum eſt ei, quoſdam ex Italiæ finibus viros eò loci adveniſſe, qui quamdam novæ hæreſeos ſectam introducentes, & quamdam juſtitiam præferentes, hâc ſolâ purificari homines aſſerebant, nullumque in Sancta Eccleſia aliud eſſe Sacramentum, per quod ad ſalutem pervenire potuiſſent. His auditis, Epiſcopus perquiri homines jubet, & inventos ſibi præſentari. Qui auditâ inquiſitionis causâ fugam occultè parabant, ſed præventi à quæſitoribus trahuntur ad Epiſcopum,qui tunc aliis cauſis occupatus, pauca quidem de illorum fide ſciſcitatus eſt; at ſentiens eos pravo errore teneri, recludi in cuſtodiam jubet uſque ad diem tertium.

II. Interea Clericis & Monachis indicto jejunio, ut eis Divina gratia ab errore reſipiſcentiam donaret, tertiâ die, quæ Dominica fuit, Epiſcopus cum ſuis Archidiaconis circumfusâ totius Cleri ac populi multitudine Pontificalibus paratus inſignibus, Synodum celebraturus in Eccleſiam Sanctæ Mariæ progreſſus eſt: ibique eo reſidente unà cum Abbatibus, Archidiaconis & aliis ſecundùm Ordinationis ſuæ gradum,homines è cuſtodia introducuntur. Qui ab Epiſcopo interrogati. Quæ eſt doctrina veſtra? quis auctor? Reſponderunt: *Se eſſe auditores Gandulfi cujuſdam ab Italiæ partibus viri, & ab eo Evangelicis mandatis & apoſtolicis informatos, nullamque præter hanc Scripturam ſe recipere, ſed hanc verbo & opere tenere.* Verùm quia ad notitiam Epiſcopi pervenerat, illos Sacri Baptiſmatis myſterium abolere, Dominici Corporis & Sanguinis Sacramentum reſpuere, negare lapſis pœnitentiam poſt profeſſionem proficere, Eccleſiam annullare, legitima connubia execrari, nullum in Sanctis Confeſſoribus donum virtutis ſpectare, præter Apoſtolos & Martyres nullum debere venerari: Inſuper quod nullam Dominicæ Cruci, Sanctorum Imaginibus, Templis, Altaribus venerationem tribuebant, Purgatorium negabant, nihil prodeſſe Chriſtianis ſepulturam effutiebant, ſed in ſola juſtitia ſalutis ſpem collocabant; Ideò præfatus Epiſcopus ſingulos hos errores confutare aggreditur.

III. Et primò quidem eos redarguit, quòd Baptiſmum negarent ſic,,, Quomodo conſequens eſt, vos Evangelica & Apoſtolica ,, inſtituta tenere, & contraria iſtis prædicare? Narrat Evange- ,, lium, Nicodemo ex ſignis & prodigiis jam confitenti dixiſſe, ,, Chriſtum Joan. 3. v. 5. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ,, Sancto non poteſt introire in Regnum Dei.* Quòd aliis præcepit, exem-

„ exemplo ſuo confirmavit, dum ipſe licèt gratiâ & juſtitiâ plenus, à Joanne Baptiſta adhuc reluctante voluit in Jordane baptizari, & hoc primum mandatum dedit Apoſtolis: *Ite docete omnes gentes baptizantes eos*. Cur ergo vos, qui evangelica præcepta tenere dicitis Baptiſmum reſpuitis?

IV. Reſpondebant, doctrinam ſuam Evangelicis non repugnare præceptis: Docet enim mundum relinquere, carnem à concupiſcentiis frænare, de laboribus manuum ſuarum victum parare, nulli læſionem quærere, caritatem cunctis exhibere. Hæc eſt noſtræ juſtificationis ſumma, ad quam nihil eſt, quod Baptiſmi uſus ſuperaddere poſſit: cùm in hoc tota evangelica doctrina contineatur. Si quis autem in Baptiſmate aliquod dicat latere Sacramentum, hoc tribus ex cauſis evacuatur. Una, quia vita reproba miniſtrorum baptizandis nullum præbere poteſt ſalutis remedium. Altera, quia quidquid vitiorum in fonte renuntiatur, poſtmodum in vita repetitur. Tertia, quia ad parvulum non volentem, neque currentem, fidei neſcium, ſuæque ſalutis ignarum, aliena fides, aliena confeſſio nequaquam pertinere videtur. His pro ſua inſania dementes iſti pugnabant.

V. Quibus ſtrenuè ſe ſe oppoſuit Gerardus Antiſtes, dicens: Quis enim ea omnia, quæ vos ſervare fingitis, veriùs ſervavit, & alios ſervare docuit, quàm Chriſtus? Ipſe juſtus, & juſtificans omnia, ipſe ſubſtantialiter juſtus, nec aliunde accepit, ut eſſet juſtus. Et tamen ipſe ut ſupra voluit baptizari, ac præter ea, quæ vos ſervare dicitis, & doctrinâ exemploque ſuo omnibus ſervanda propoſuit: adjecit Baptiſmum; ab omnibus tamquam fidei initium & fundamentum ſalutis ſuſcipi voluit. Hoc Evangelia paſsim & Scripturæ clamant. Cur ergo rejicitis? Sacramentum dicitur, quia licet viſibiliter adminiſtretur, inviſibiliter tamen in eo Spiritus Sanctus operatur ſanctificationem; ideoque in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti jubente ipſo confertur. Et ſic ſivè per bonos, ſivè per malos miniſtros diſpenſetur; tamen quia Spiritus Sanctus myſticè illud vivificat, nec bonorum meritis amplificatur, nec malorum vitiis attenuatur. Nam etiam Judas proditor baptizaſſe legitur, nullum tamen quem ipſe baptizaſſet iteratò ablutum reperimus: quia aliud eſt, quod inviſibiliter efficitur per Spiritum operantem, aliud quod viſibiliter exhibetur per miniſtrum obſequentem.

Porrò quòd vitia, quibus in Baptiſmo renuntiaverat, in vita quis repetat, culpa Baptiſmi non eſt, ſed illius: ſicut, quòd Adam in originali juſtitia, & in immortalitate, in qua Deus illum condidit, non perſeveraverit, non Dei, ſed Adami inobedientiæ culpa fuit;

fuit ; qui ſi Dei præcepto obedire voluiſſet, in utraque perſtitiſſet.

Quod de infantibus dicitis, eis ſcilicet alienam offerentium fidem prodeſſe ad ſalutem non poſſe, falſum eſſe convincit fides afferentium paralyticum, de qua Matth. 9. v. 2. dicitur: *Videns Jeſus fidem illorum dixit paralytico: Confide fili, remittuntur tibi peccata tua*. Fides Chananææ quæ ad impetrandam ſalutem filiæ profuit Matth. 15. v. 28. & fides Centurionis, quæ puero obtinuit ſanitatem Matth. 8. v. 13.: & Marci 10. v. 13. cùm offerrentur ei parvuli, benedicebat eis ; & Apoſtolos, qui offerentibus comminabantur, increpavit dicens: *Sinite parvulos venire ad me, & ne prohibueritis eos: talium eſt enim Regnum Dei*. Non ergo parvulorum fides, quæ adhuc nulla erat, ſed offerentium credulitas eis profuit. Cur ergo non in Baptiſmo prodeſſe poterit?

VI. Quia verò Sacramentum Corporis & Sanguinis Domini rejiciebant, eos validè perſtringit oſtendens cap. 2. illud eſſe Sacramentum, & ſimul Sacrificium, quo verum Chriſti Corpus & Sanguis offertur, his verbis: *Quod quidem Sacrificium, dum de pane & vino cum aqua mixto, ineffabili ſanctificatione, cruce & verbis illius in altari conſecratur, dumque Paſſionis & Reſurrectionis ejus, atque in Cœlum Aſcenſionis ibidem ſalutifera memoria agitur, verum ac proprium Corpus ipſius Domini noſtri Jeſu Chriſti, & Sanguis verus ac proprius efficitur, quamvis aliud eſſe videatur. Videtur namque panis materialis, ſed veriſſimè efficitur Corpus Chriſti, ſicut eádem Veritate atteſtante didicimus* (Matth. 26. 27. Marci 22. 19. 23. 24. Lucæ 22. 19. 20.). . . . *Quod verò ſubdit*,, Hoc facite in meam commemorationem,, *ad hoc retulit, quod per miniſterium Sacerdotum quotidiè à fidelibus fieri mandavit, dum Paſſionis ſuæ memoria agitur, & ſub Sacramento communicandæ Carnis & Sanguinis, panis ſanctus & calix conſecratur*. Et huc ſpectare dicit verba Chriſti Jo. 6., ubi ſe daturum dixit carnem ſuam ad manducandum, & *Si quis manducaverit ex hoc pane vivet in æternum, & panis quem ego dabo, caro mea eſt pro mundi vita*.

VII. Subinde variis miraculis in hujus veritatis confirmationem patratis illud oſtendit. Inter quæ illud de S. Gregorio, ad quem cùm mulier quædam, ut communionem acciperet, acceſſiſſet, dum illi portionem corporis porrigeret dicens: *Corpus Domini noſtri Jeſu Chriſti proſit tibi in remiſſionem peccatorum & vitam æternam*, illa ſubriſit. Quod vir Dei intuens, communionem retraxit, & ſeparatim ſuper altare repoſitam Diacono ſervandam, dum cæteri communicarent, tradidit. Expletis ſacris myſteriis, mulierem requiſivit, cur ad riſum dum ei particulam porrigeret excitata fuerit? At illa reſpondit: quia dum illi offerret particulam, Corpus Do-

Domini eam dixerat, ideò ſe riſiſſe. Tunc Pontifex facto verbo ad populum orationem ad confutandam mulieris incredulitatem indixit. Quâ completâ Epiſcopus corporalem palam revelat, & univerſo ſpectante populo, ac muliere contuente, partem digiti auricularis ſanguine cruentatam invenit: & converſus ad mulierem: Vel nunc, inquit, experta Divinæ virtutis miraculum, ne differas credere Veritati dicenti: *Panis quem ego dabo caro mea eſt*: quod illa præſtitit, & conſequuta Dominici Corporis participationem, in fide permanſit.

VIII. Talibus Gerardi Epiſcopi dictis omnes qui circumſtabant fideles, lacrymis obortis, Dei virtutem & Dei miſericordiam laudabant. Tunc converſus ad eos, qui adſtabant hæreticâ pravitate ſeducti: Dicite, inquit, ſi quid habetis, quo hæc refellenda arbitremini. At illi gravitate verborum, & cœleſtium virtute magnalium ſtupefacti, ac vultibus demiſſis, &ex alto ſuſpirantes, gemitum unà dedere dicentes, nihil ſe hìc niſi Divinum audire, & quod ſe mutos, ac penè elingues faceret: corruenteſque in terram culpam tunſis pectoribus fatentur. Elevanteſque vocem dicunt, Dei ſe patientiam admirari, ac nullam ab eo veniam ſperare poſſe, qui non ſolùm ſe ipſos necaverunt, ſed & alios ad mortem traxerunt. Quibus Epiſcopus ait: Vos qui lapſis veniam hucuſque interdixiſtis, ſperare tamen eam à Deo poteritis, ſi erroribus correctis, ac verâ fide imbuti pœnitentes ad eum acceſſeritis, qui gaudet potiùs ſuper uno pœnitente, quàm ſuper nonaginta novem juſtis: & hanc, ſi verè reſipueritis, vobis promitto.

IX. Deinde ad alios errores tranſiens, inter quos unus erat, quo Eccleſias & Templa aſpernabantur, dicentes, in Templo Dei nihil eſſe quod aliquo religionis cultu ſit dignum magìs, quàm in proprio cubiculo, nec aliud in Templo eſſe præter cæmenta & lapides artificum opere digeſtos: Cap. 3. tum ex Veteri, tum ex Novo Teſtamento probat honorem Templo Dei ſervatum, tamquam domui, ac ſedi ſuæ, è qua petentibus gratias largitur, & in qua ad communionem corporis ſui fideles ſuos admittit. Eâdem ratione Sacrum Altare venerandum eſſe cap. 4. oſtendit, in quo Chriſtus quotidiè immolatur. Idem de Thymiamate, & Sacro Oleo, & Chriſmate, quo Eccleſia utitur in Ordinationibus, & Conſecrationibus. Cap. 6. invictè pugnat pro Sacris Ordinibus. Poſtea cap. 7. agit de ſepultura Eccleſiaſtica, quam iſti contemnebant, aſſerentes nihil differre, utrum mortui in atriis domus Domini, an aliis quibuslibet in locis ſepeliantur, præter quod de ſepultura in Eccleſia pecuniam ſibi coacervant Sacerdotes. Oſtendit ergo eis, quòd cùm fideles Chriſtiani temporalem vitam in hac temporali

Eccleſia in unitate ſpiritus agant, ut per hanc ad Cœleſtem gloriam perveniant; ubi quæſò poſt reſolutionem eorum corpora rectiùs quàm in ſinu matris Eccleſiæ debent tumulari? Sicut enim temporali Eccleſiæ temporaliter vivendo per fidem adhæſerunt: ita & temporaliter moriendo in ſinu ſuo requieſcunt, diem videlicet reſurrectionis, & intemporalis Eccleſiæ gloriam expectantes.

X. Quia verò ex dictis ob hanc cauſam Baptiſmum rejiciebant, quia quidquid ex operibus Satanæ baptizandus abdicare ſe profitetur, poſtmodum in vita reſumere non timet, ex quo pœnitentiæ locum non ampliùs fore dicebant, Novatianos in hoc imitantes eos cap. 8. redarguit, tum ex Evangelio, quod ipſi amplecti gloriabantur, ubi Lucæ 15. v. 17. poſtquam dixit, Deum magis gaudere ſuper uno peccatore pœnitentiam agente, quàm ſuper nonaginta novem juſtis, qui non indigent pœnitentiâ, explicat hoc in filio deſertore, quem pœnitentiâ redeuntem Pater amplexus eſt, eum indui juſſit ſtolâ primâ, quâ peccando exutus fuerat, nimirùm juſtitiâ, ac majori gaudio ſuſcepit, quàm antea filium fidelem; ac propterea Matth. 9. v. 13. dixit *Non veni vocare juſtos ſed peccatores*: tum exemplis; Petri ſcilicet, qui dum pœnitendo fleret culpam negationis, non ſolùm priorem gratiam impetravit, ſed inter omnes totius Eccleſiæ, quæ in Cœlis & in terris eſt, primatum accepit; Pauli, qui fornicantem fratrem compulit ad pœnitentiam 1. Cor. 5.; & Joannis qui Apoc. 2. v. 5. Angelo Eccleſiæ Epheſi ſcribit *Memento, unde excideris: & age pœnitentiam, & prima opera fac*; & aliis exemplis pœnitentiæ fructum comprobat.

XI. Pœnitentiam autem non ſolùm vivis, ſed & defunctis fidelibus (quod iſti negabant) probat cap. 9. facto Judæ Machabæi 2. Machab. 12., qui pro peccatis occiſorum in prælio juſſit Sacrificium offerri, addens: *Sancta ergo & ſalubris eſt cogitatio pro defunctis exorare, ut à peccatis ſolvantur*. Nam ipſa Veritas dicit Matth. 12. v. 32. *Si quis in Spiritum Sanctum* blaſphemiam *dixerit, neque in hoc ſeculo remittetur ei neque in futuro*. In qua ſententia, ait B. Gregorius in Dialogo, datur intelligi, quaſdam culpas in hoc ſeculo, quaſdam verò in futuro poſſe relaxari; quod enim de uno negatur, de quibuſdam concedi conſequens eſt. Sed hoc de parvis minimiſque peccatis; quæ in vita non plenè purgata purgatorio igne purgantur, ſi in hac vita poſitus, hoc bonis actibus, ut illic obtineat, aliquis promereatur.

XII. Pro connubiis, quæ illi improbabant, dicentes, conjugatos in ſortem filiorum nequaquam computandos, Cap. 10. ait: Falluntur, qui conjugatos à Regno Dei exterminandos affirmant; præſertim cùm in Evangelio hujuſmodi teſtimonium habemus, &

Evan-

Evangelica traditio talem humanæ conſuetudinis legem multis in locis confirmet. Et ad hoc affert ea quæ dixit Chriſtus Matth. 19. & Paulus 1. Cor. 7., ſubjiciens; ſi conjugalis ſocietas homini cauſa eſſet perditionis, qui venit perditos reparare, nullum daret hujus copulæ documentum, nullum præceptum. Paulus denique, qui tanto caritatis igne flagrabat, nullum ſuper hujuſmodi daret conſilium, ſi hoc ad detrimentum animæ ſpectare intellexiſſet.

XIII. Apoſtolis & Martyribus venerationem tribuebant, ſed hanc Confeſſoribus negabant. Hunc errorem cap.1. refutat. Tum quia etſi eis defuit martyrium, quia ratio temporum præſtare illud non potuit, gloriâ tamen Martyrum non carent, quia eis non defuit animus: parati enim erant ad vitam tradendam pro Chriſto. Tum quia nec B. Virgo Deipara martyrium in corpore paſſa eſt; quia tamen ejus animam doloris gladius pertranſivit, eam veneramur. Rursùs ex duobus Zebedæi filiis; unus Jacobus gladio vitam finivit, alter Joannes in pace quievit. Philippum etiam Apoſtolum, & Lucam Evangeliſtam non per paſſionis certamen, ſed per pacem à ſeculo migraſſe legimus: Tot inſuper ſanctitate celebres, per quos non ſolùm dum viverent, ſed & ad eorum ſepulchra, dignatus eſt Deus miracula facere; quia Martyres non fuerunt, cultu honorandi non erunt?

XIV. Pſallendi Officium deteſtabantur. Eis ergo oſtendit cap.12. hanc modulandi formam, & Veteris & Novi Teſtamenti Patribus acceptam in Eccleſia cuſtodiri. Cui exemplo prævivit Rex David, qui Pſalmos edidit. Angeli etiam,& Superni Cives Apoc.5. v.8. deſcribuntur habentes ſinguli cytharas, & cantantes canticum novum, auditæ ſunt etiam voces Angelorum & omnis creaturæ ſimiliter canentium. Et ad hoc omnes invitat David Pſal. 148. & Pſalmo 150. concludit: *Omnis ſpiritus laudet Dominum*. Qui ergo pſallendi Deo ritum abjiciunt, norint, à conſortio omnis creaturæ ſe eſſe abjectos.

XV. Dominicæ Crucis vivifico ligno venerationem negabant, dicentes nullam in ſe virtutem continere magìs quàm cætera ligna ſilvarum. Contra eos cap.13. prælatus Epiſcopus: Ligno, inquit, nihil Divinum damus, ut illud in ſua natura adorandum judicemus, ſed ſi rationem myſterii conſideremus, non ſolùm ab hominibus, ſed & ab Angelis Crucis vexillum honorandum videbimus. Quia ſicut primi Adæ inobedientia per lignum ſcientiæ nos traxit in mortem, ita ſecundi Adæ obedientia nos à morte per lignum Crucis ſecum traxit ad vitam: ſicut autem lignum ſcientiæ ſecundùm ſuam naturam in ſe non habuit mortem; ſic nec lignum Crucis ſecundùm ſuam naturam in ſe non habuit vitam, ſed ex vir-

Digitized by Google

tute illius, qui in eo ſuffixus eſt eam traxit; & hoc modo S. Andreas eam veneratus fuit, & S. Paulus Galat. 6. v.14. *Mihi*, inquit, *abſit gloriari, niſi in Cruce Domini mei Jeſu Chriſti*. Glorificamus igitur Crucem Dominicam, Chriſtum quaſi pendentem in ea mente invocantes. Quem verò invocamus, ipſum adoramus. Proſternimur corpore ante Crucem, mente ante Deum: veneramur Crucem, per quam redemti ſumus, ſed illum deprecamur qui nos redemit.

XVI. Eodem modo loquitur de Imagine Salvatoris in Cruce, & de Imaginibus Sanctorum, quas pariter iſti contemnebant. Etenim cap. 14. comparat ſerpentem æneum à Moyſe Dei juſſu exaltatum, in quem aſpicientes à morſibus ſerpentum ſanabantur, cum Chriſto exaltato in Cruce, in quem aſpicientes per fidem à morſu antiqui ſerpentis ſanamur, Chriſto ipſo teſtante Joan. 3. v.14. *Sicut exaltavit Moyſes ſerpentem in deſerto, ita exaltari oportet filium hominis.* Sicut ergo Judæi intuentes ſerpentem exaltatum, non in figuram, ſed in Chriſtum cujus figura erat aſpicere tenebantur, ſic & nos aſpicientes Chriſti Imaginem crucifixi, in ea non opus manuum hominum, ſed Chriſtum in Cruce paſſum adoramus, dum ab ea viſibili imagine mens noſtra excitatur, ut quiſque in ſe recognoſcat, quanta ſuo Redemtori debeat, & ſic quæ poſtulat imago Cæſaris, Cæſari, & quæ Imago Dei, Deo reddat. Simili modo de Imaginibus Sanctorum loquitur, quæ nobis viſibiliter proponuntur, non ut eas adoremus, ſed ut ab eis excitetur mens noſtra ad Sanctos venerandos, & eorum virtutes imitandas.

XVII. Quia verò Ordines Eccleſiaſtici regiminis penitùs tollere ab Eccleſia conabantur, contra eos cap. 15. ita diſcurrit: In Cœlis Ordo hierarchicus eſt inter Angelos, ut ſicut in poteſtate, ita & in Ordine alter ab altero differat. In Veteri Eccleſia Synagogæ fuerunt à Deo per Moyſen Ordines & gradus diſpoſiti in miniſterio Templi, quorum unus ſuperior erat altero, nec omnes in miniſterio pares erant. In regimine etiam politico Ordo hierarchicus eſt, ſupremus, medius, infimus. Cur ergo in ſola Chriſti Eccleſia non erunt, qui Ordine & poteſtate cæteris emineant ac præſint, ſed omnes omnia poterunt? Sunt quidem omnes Chriſtiani ejuſdem corporis membra, *omnia autem membra non eundem actum habent*. Ita S. Paulus ad Rom. 12. v.4., qui ſubinde deſcribit varios actus, quos membra Eccleſiæ habent.

XVIII. Demùm, quia in ſua falſa juſtitia gloriabantur, quam Divinæ gratiæ præponentes ſuis meritis adſcribebant, vanam imò impiam præſumtionem evertere aggreditur cap. 16., ubi multis demon-

Digitized by Google

monſtrat, quòd *omne datum optimum & omne donum perfectum de ſursùm eſt deſcendens à Patre luminum* (Jacobi 1.v.17.) unde Paulus 1. Cor. 15. v. 10.) *Gratiâ Dei*, inquit, *ſum id quod ſum... abundantiùs illis omnibus laboravi, non ego autem, ſed gratia Dei mecum.* Ex quibus infert, quòd quæcumque in cordibus noſtris, aut in noſtro arbitrio ſancta cogitatio eſt, aut pium conſilium, aut quilibet motus bonæ voluntatis, ex ſuæ gratiæ dono deſcendit, dicente Chriſto Joan. 15. v. 5. *Sinè me nihil poteſtis facere*. Quin homo per ſemetipſum non ſolùm perfectionem, ſed nec initium poteſt contingere, ſed univerſi qui boni fiunt, Divinâ gratiâ præveniuntur. Bonam namque in hominibus voluntatem ipſe gratis præparat, gratìs donat, ipſe adjuvat, ipſe conſummat, *ut abnegantes impietatem, & ſecularia deſideria, ſobriè, juſtè, & piè vivamus in hoc ſeculo* (ad Titum 2. v. 12.)

XIX. His, quæ compendio perſtrinxi, Gerardus Epiſcopus in Synodo Atrebatenſi pro confutandis à Gandulfo ſparſis erroribus laboravit: & quidem gratia Dei cum illo fuit. Nam cùm ferè ad Solis occaſum ſermonem protraxiſſet, adſtantes ibi hæreticos, quid ſentirent interrogavit. Ac illi gratiâ Dei permoti, non aliam eſſe Catholicæ fidei ſummam, quàm eam quæ Epiſcopus expoſuerat, unanimes confeſſi ſunt, ac errores, quos antea ſecuti fuerant, deteſtati. Quare Synodus decretum pronuntiavit, quo hæreſim hanc, quæ Baptiſmum ad abluenda peccata nihil proficere contendit, quæ per pœnitentiam peccata non poſſe relaxari profitetur: quæ Sanctam Dei Eccleſiam, & Sacroſanctum Altare atque Dominici Corporis & Sanguinis Sacramentum, nihil eſſe aliud, quàm quod corporeis oculis intuemur, blaſphemat; & quæ legitima connubia damnat, aliaque execranda profitetur: damnat & anathematizat. Cui damnationi omnes qui aderant hæretici, ejuratis priùs erroribus verbo, & ſcripto editâ veræ fidei confeſſione adhæſerunt. Sicque omnes Deo gratias in commune reddentes, & à Domino Epiſcopo benedictionis munere donati, redierunt feliciter in ſua.

XX. Ne mireris Lector, quòd in referenda hujus hæreſis confutatione diutiùs te detinuerim. Cùm enim, ut obſervabis, in multis conveniat cum dogmatibus, quæ moderni Acatholici contra Catholicam Eccleſiam ſpargere non ceſſant, ex hactenus dictis colligere poteris: Primò, Fidem Eccleſiæ illius ſeculi eſſe eandem, ac eam quam hiſce temporibus Eccleſia Catholica Romana profitetur; & damnaſſe ut hæreticam doctrinam, quam hodierni Heterodoxi promulgant. Secundò: hanc ut hæreſim damnari, quia contraria doctrinæ Romanæ Eccleſiæ, cui omnes adhærere debent, docebat. Ita enim Synodus prælaudata concludit: *Quid autem*

aliud

aliud Sancta Eccleſia tenet, niſi quod à Beato Petro, & cæteris Apoſtolis accepit? Quis autem neſciat, aut non advertat, quod à Principe Apoſtolorum Petro Romanæ Eccleſiæ traditum eſt, ac nunc uſque cuſtoditur ab omnibus, debere ſervari, nec ſuperduci aut introduci aliquid, quod aut auctoritatem non habeat, aut aliundè accipere videatur exemplum? Præſertim cùm ſit manifeſtum, in omnem Italiam, Gallias, Hiſpaniam, Africam, atque Siciliam, Inſulaſque interjacentes nullum inſtituiſſe Eccleſias, niſi quos venerabilis Petrus, aut ejus Succeſſores conſtituerunt Sacerdotes. Aut legant ſi in his Provinciis alius Apoſtolorum invenitur, aut legitur docuiſſe: qui ſi non legunt, quia nuſquam inveniunt, oportet eos hoc ſequi quod Romana Eccleſia cuſtodit, à qua eos principium accepiſſe non dubium eſt, ne dum peregrinis aſſertionibus ſtudent, caput inſtitutionum videantur amittere. Ita Synodus Atrebatenſis, ſeu Gerardus Epiſcopus in illo anno 1025. Recogitent hæc moderni Novatores, & cùm invenerint, ſe contraria doctrinæ Eccleſiæ Romanæ docere, ſentiant, etiam antequam naſcerentur, ſe ut hæreticos eſſe damnatos.

CAPUT LXXXVII.

De Berengario.

§. I.

Ejus ingenium, patria, conditio.

I. Berengarius hæreſis Sacramentariorum parens, vel anteſignanus, patriâ Turonenſis fuit, natus ut creditur paulò ante annum milleſimum. Adoleſcens ad ſcholam Carnotenſem miſſus in Fulberti, qui iſtius poſtea Eccleſiæ Epiſcopus creatus eſt, diſciplinam traditus eſt, ubi condiſcipulum habuit Adelmannum qui Brixienſis poſtea Epiſcopus fuit. Qualis ingenii eſſet, deſcribit Guitmundus Lib. 1. de Corporis & Sanguinis Domini veritate in Euchariſtia: *Cum juveniles*, inquit, *in ſcholis ageret annos, elatus ingenii levitate, ipſius Magiſtri ſenſum non adeò curabat: condiſcipulorum pro nihilo reputabat. Sed cùm per ſe attingere Philoſophiæ altioris ſecreta non poſſet.... novit ſaltem verborum interpretationibus ſingularis ſcientiæ laudem ſibi arrogare, & cujuſdam excellentiæ laudem venari, qualitercumque tunc poterat, affectabat*. Ingenii petulantiam, & ad novitates propenſionem frequentibus admonitionibus cohibere conatus eſt ſanctus præceptor, adhortans eum, ne à via regia, hoc eſt ab Apoſtolica fide, & San-

& Sanctorum Patrum doctrina deflecteret. Hunc Fulberti zelum Berengario in memoriam revocat Adelmannus condiſcipulus in Epiſtola ad ipſum datâ poſt Fulberti mortem ſcripta, dicens, quòd vir ſanctus caritatem, quâ dum in vivis eſſet ſicut filios eos amplectebatur, non extinxit: *Sed abſque dubio memor noſtri, diligens pleniùs, quàm cùm in corpore mortis hujus peregrinaretur, invitat ad ſe votis & tacitis precibus, obteſtans per ſecreta illa & veſpertina colloquia, quæ nobiſcum in hortulo ... ſæpiùs habebat, & obſecrans per lacrymas, quas interdum in medio ſermone prorumpens, exundante ſancti ardoris impetu emanabat, ut illuc omni ſtudio properemus viam regiam directim gradientes, Sanctorum Patrum veſtigiis obſervantiſſimè inhærentes, ut nullum prorsùs in diverticulum, nullam in novam & fallacem ſemitam deſiliamus, ne fortè in laqueos & ſcandala incidamus.* His magiſtri Fulberti monitis in memoriam Berengario revocatis, ad ſaniora illum reducere Adelmannus conatur.

II. Præviderat Berengarii exitium antequam moreretur Fulbertus, ac de eo funeſta vaticinatus eſt. *Nam cùm in extremis* (Fulbertum) *poſitum multi viſitarent, & ædium capacitas vix confluentibus ſufficeret, ille inter oppoſitas catervas oculo rimatus Berengarium, niſu quo valuit expellendum cenſuit, proteſtatus immanem draconem propè eum conſiſtere, multoſque ad eum ſequendum blandiente manu, & illice anhelitu corrumpere.* Ita Willelmus Maſmesburienſis Lib. 3. de Geſtis Reg. Anglorum. Quæ prophetico ſpiritu à Fulberto pronuntiata comprobavit eventus.

III. Poſt S. Fulberti obitum Turones Berengarius rediit, ubi ſcholæ S. Martini præfectus eſt, ac in magna literaturæ opinione apud multos fuit. Re verâ tamen eruditionis tenuitatem, & ſuperbiæ tumorem in eo detexit Lanfrancus in diſputatione, quam cum ipſo habuit. Eum ita deſcribit Guitmundus Lib. 1. ſupra citato: *Factum eſt*, inquit, *ut pompatico inceſſu, ſublimi præ cæteris ſuggeſtu, dignitatem magiſtri potiùs ſimulans, quàm rebus oſtendens, profundâ quoquè incluſione inter cucullum, ac ſimulatione longæ meditationis, & vix tandem ſatìs deſideratæ diù vocis, lentiſſimo quaſi plangore incautos decipiens, Doctorem ſe ſe artium penè inſcium profiteretur: ſed poſtquam à Domino Lantfranco in dialectica de re ſatis parva eſt confuſus; cùmque per ipſum D. Lantfrancum virum æquè doctiſſimum liberales artes Deus recaleſcere, atque optimè reviviſcere feciſſet, deſertum ſe iſte à diſcipulis dolens, ad eructanda impudenter Divinarum Scripturarum Sacramenta, ubi ille adhuc adoleſcens, & aliis eatenùs detentus ſtudiis, nondum adeò intenderat, ſe ſe convertit. Sed & ibi inſipiens, & ea quorum novitate omnium corda permoveret, atque ad ſe omnium oculos traheret, ſtudiosè perquirens, ma-*

maluit eſſe ſub aliqua admiratione hominum hæreticus, quàm ſub oculis Dei privatè vivere Catholicus. His Berengarii indolem ad vivum pingit Guitmundus, hominem inceſſu, habitu ac voce hypocryſim præferentem, ſed ambitione elatum, qui videns, ſi Eccleſiæ doctrinam ſequeretur, ſe fore nomine obſcurum; novitate erroris ſe celebrem reddere cogitavit. Is ſanè eſt omnium hæreſiarcharum ſpiritus. Quis enim omiſſis veteribus, Lutheri, Zwinglii, Calvini modò nomen audiret, niſi hæreſes ab ipſis excogitatæ notos omnibus effeciſſent. Omnes hi Babelicæ turris fabricatores imitati dixerunt (Gen. 11. v. 4.) *Venite faciamus nobis Civitatem, & Turrim, cujus culmen pertingat ad Cœlum, & celebremus nomen noſtrum*. Sed non adverterunt, quod ſubjungitur, nempè *Deſcendit Dominus ut videret, & confudit linguas eorum*. Hoc demonſtrant tot ſectæ, quæ jam emerſerunt, & adhuc in dies emergunt, quarum unaquæque diverſâ adeò linguâ loquitur, ut non intelligat vocem proximi ſui. Eccleſia autem Catholica ſemper fuit, eſt, & erit *Terra labii unius & ſermonum eorumdem* (Gen. 11. v. 1.)

IV. Berengarius in Eccleſia S. Martini Turonenſis Camerarii ac Theſaurarii dignitates geſſit. Turonibus relictis, Andes (Andegavum) adiit, ubi ab Euſebio Brunone illius Urbis Epiſcopo peramanter ſuſceptus, Archidiaconus & Theſaurarius illius Eccleſiæ creatus eſt. Conſtat hoc ex veteribus chartis Eccleſiæ Sancti Mauritii Andegavenſis, in quibus legitur ſubſcriptio *Ego Berengarius* annis 1049. & 1055. Ibi hæreſim vulgavit, connivente Euſebio Epiſcopo, qui propterea in ejuſdem hæreſeos ſuſpicionem adductus eſt cum Berengario, quem impensè fovebat. Quo anno hæreſis hæc evulgari cœperit? anno 1035. cenſet Baronius. Natalis tamen Alexandre in Hiſt. Eccl. Seculi 11. cap. 4. art. 2. ejus ortum protrahit ad annum 1047. vel 1048., motus ex eo, quòd ipſo etiam Baronio aſſerente, Euſebius Bruno Epiſcopus in illius hæreſis ſuſpicionem venit. Is autem ante annum 1047. non eſt conſecratus Epiſcopus.

§. II.

Berengarii errores.

I. Necromanticum fuiſſe Berengarium fama vulgavit; hanc tamen fuiſſe mendacem evincit omnium Scriptorum, qui ei fuerunt coævi, altum de hoc ſilentium. Quinque errorum capita ei tribuuntur. Primum: quòd Baptiſma parvulorum everterit. In hoc eodem ſeculo Gandulfi aſſeclæ conveniebant, quos

Cap.

Digitized by Google

Cap. præced. §.2. confutavi. Secundum: Quòd legitima conjugia deſtruxerit, licitam eſſe cum feminis omnibus ſcortationem impudenter aſſerens. In hoc errore præter antiquos fuere etiam mox dicti hæretici. Tertium: Quòd Chriſtus januis clauſis ad diſcipulos non intraverit. Hunc errorem moderni Sacramentarii amplexi ſunt. Quartum: *Euchariſtiam non eſſe verè & ſubſtantialiter Corpus & Sanguinem Domini, ſed ſolá voce ſic appellari, pro eo quòd tamquam umbra & figura ſignificativa ſit Corporis & Sanguinis Domini.* Quintum: *Panem & vinum, quæ ponuntur in Altari, per myſterium ſacræ orationis & verba noſtri Redemtoris, ſubſtantialiter non converti in veram & propriam Carnem & Sanguinem Chriſti.* Ita de Corpore & Sanguine Domini in Euchariſtia ſenſiſſe Berengarium colligitur ex contrariis fidei confeſſionibus, quas in Synodis contra ipſum convocatis edere coactus fuit.

II. Quare falsò eidem nonnulli affingunt, eum ſenſiſſe in Euchariſtia ſimul cum ſubſtantia panis & vini eſſe ſubſtantiam Corporis & Sanguinis Chriſti, ſivè Chriſtum ibi ſub pane latere, ſeu ut alii volunt, Chriſtum in Euchariſtia eſſe per impanationem, ſicut Deus in carne perſonaliter eſt per Incarnationem. Is enim fuit quidem quorumdam ſectatorum ejus error, Berengarii doctrinam emollire, & ad Catholicum ſenſum apparenter trahere conantium; vera tamen Berengarii mens fuit, in Euchariſtia Carnem & Sanguinem Chriſti eſſe ſolùm ut in umbra & figura.

De hac inter Berengarianos diviſione loquitur Guitmundus auctor coævus Lib. 1. de Corp. & Sangu. Domini veritate in Euch. *Non omnes*, inquit, *qui de iſtis Sacramentis errant, uná incedunt viá erroris. Nam Berengariani omnes quidem in hoc conveniunt, quia panis & vinum eſſentialiter non mutantur; ſed ut extorquere à quibuſdam potui, multum in hoc differunt, quòd alii nihil omninò de Corpore & Sanguine Domini Sacramentis iſtis ineſſe, ſed tantummodò umbras hæc & figuras eſſe dicunt. Alii verò rectis Eccleſiæ rationibus cedentes, nec tamen à ſtultitia recedentes, ut quaſi aliquo modo nobiſcum eſſe videantur, dicunt, ibi Corpus & Sanguinem Domini re verà ſed latenter contineri, & ut ſumi poſſint, quodammodo (ut ita dixerim) impanari.* Et Lib. 4. eadem repetit.

Algerus quoquè in Prologo Lib. de Sacram. Corporis & Sanguinis Domini: *Nec ſolùm*, inquit, *de veritate Corporis Chriſti, ſed de Sacramento ipſius varii errores, variæque proveniunt hæreſes. Alii enim panem & vinum non mutatum, ſed ſolùm Sacramentum, ſicut aquam Baptiſmatis, vel Oleum Chriſmatis, Corpus Chriſti non verè ſed figuratè vocari dicunt* (qui Berengarii proprius error fuit) *Alii autem dicunt, panem non ſolùm Sacramentum, ſed in pane Chri-*

ſtum quaſi impanatum, ſicut Deum in carne perſonaliter incarnatum. Diſſidium hoc ad hæc noſtra tempora inter Berengarii ſectatores præcipuè Calviniſtas & Lutheranos pertranſiit. Licèt enim in neganda converſione, ſeu tranſubſtantiatione panis & vini in Corpus & Sanguinem Chriſti conveniant, Calviniſtæ tamen Berengarii rigidiores diſcipuli volunt, Corpus & Sanguinem Chriſti eſſe in Euchariſtia ſolùm ut in typo & figura: Lutherani verò, Luthero magiſtro, admittunt quidem Corpus & Sanguinem Chriſti in Euchariſtia re verâ eſſe dum ſumitur, per conſubſtantiationem, non per tranſubſtantiationem, ideſt unà cum panis & vini ſubſtantia manente, adeſſe in actu ſumtionis Corpus & Sanguinem Chriſti, utrique à vera & antiqua Eccleſiæ fide recedentes.

III. Berengarius igitur, etſi, ut dixi, alios errores initio profeſſus ſit, illis tamen dimiſſis, in hoc ſolo perſtitit, quo veritatem præſentiæ Corporis & Sanguinis Chriſti in Euchariſtia negabat: ideòque in Conciliis contra ipſum celebratis de hac una hæreſi quæſtio fuit. Unde Guitmundus Lib. 1. ſcribit: *Cùm igitur ſuperiores blaſphemias, primam quidem* (quâ nuptias negabat) *propter injurias matrum, cæterorumque affectuum; ſecundam verò* (qua Baptiſma puerorum tollebat) *propter damnationem parvulorum ſuorum, nec aures etiam peſſimorum ſuſtinere poſſent: Ipſe verò in Scripturis Sacris locum tuendi eas nullum penitùs inveniret, maximè diſputante contra eas copioſiſſimè Beato Auguſtino, in hanc ſe defendendam totum contulit: ubi & quodam velut teſtimonio ſenſuum niti videbatur, nec tam copioſiſſimè ab aliquo SS. Patrum (quippè non indigente adeò temporibus illorum Eccleſiâ, cùm tamen quid indè tenerent perſpicuè & lucidiſſimè ſapientiſſimi eorum multi ſcripſerunt) contra hanc diſputatum ſentiebat. Aucupatis ergo nonnullis velut ratiunculis (neque enim ulla unquam hæreſis ſinè aliqua veriſimilitudine rationis invaleſcere potuit) adbibitis quoquè paucis malè intellectis à ſe capitulis Scripturæ Sacræ, quæ multis errantibus laqueus eſt mortis, per egenos ſcholaſticos, jam per alimoniam, quâ ſuſtentabat eos, per ſuos dulces ſermones deceptos, quaquâ versùm potuit, clanculò hujus tanti mali nefandiſſimum virus effundit.* His artibus in ſua inſinuanda hæreſi Berengarius utebatur.

IV. Non tamen ipſe primus eam cogitavit. Gandulfi ſequaces, ut ſupra dixi, iiſdem temporibus illam profitebantur, cujus ſemina jecerat Joannes Scotus Erigena, ejuſque libris ut cap. 85. ſ. 2. n. 6. dixi, Berengarius maximam dabat operam. Erroris tamen hujus parens vulgò cenſetur Berengarius, quia ab ipſo propagatus Eccleſiam valdè commovit, & ad cogenda adversùs illum Concilia illam excitavit, ut infra dicam.

ſ. III.

§. III.

Hæreſis Berengarii impugnatio & damnatio.

I. HÆreſis ferè nulla fuit, quæ vix audita viros doctos ad ei reſiſtendum excitarit, ut iſta. Berengario adhuc in vivis agente adversùs eam ſcripſere Adelmannus ejus olim ſub S. Fulberto condiſcipulus, Brixienſis poſtea Epiſcopus, Epiſtolâ ad ipſum datâ; Hugo Lingonienſis Antiſtes; Lantfrancus Cantuarienſis demum Archiepiſcopus; Durandus & Guitmundus ex Monacho Averſanus Archiepiſcopus. Poſt illos, & ab obitu Berengarii annis circiter quadraginta, contrà hanc hæreſim ſurrexit Algerus Leodienſis Scholaſtico-Monachus Cluniacenſis, qui Libros tres de Sacram. Corporis Domini ſcripſit.

II. Particularium doctorum zelo acceſſit Eccleſia. Primò: In Concilio Romano ſub Leone IX. anno 1050., ubi lectâ Berengarii ad Lantfrancum Epiſtolâ, damnatus fuit Berengarius, & communione privatus; & Lantfrancus, qui ob Epiſtolam Berengarii ad ipſum ſcriptam in ſuſpicionem venerat, purgatus. Eodem anno (quamvis aliqui mendosè ad annum 1053. pertrahant) habitus fuit Conventus Brionenſis. Cùm enim in Neuſtriæ fines Berengarius irrepſiſſet, ibique ſuæ hæreſis venenum effundere cœpiſſet, eo inficere conatus eſt Guillelmum Nothum Normanniæ Ducem, annos dumtaxat viginti tres tunc agentem. Sed iſte avitæ fidei vindex acerrimus conventum virorum ſapientum Brionam, quod Neuſtriæ oppidum eſt, convocavit. Adfuit Berengarius cum Clerico, in cujus eloquentia victoriæ ſpem repoſuerat; ſed uterque convictus & confuſus obmutuit. Indè non abſque pudore Carnotum reverſus, & ibi de ſua fide circa Sacramentum Altaris interrogatus, reſponſum ſe daturum datâ opportunitate promiſit. Nec multò poſt literas ad eos dedit, inquit Durandus: *In quibus multa abſurda, fideique Catholicæ aliena anhelus declamavit; inter quæ Romanam Eccleſiam, caput videlicet totius Chriſtianitatis, multâ temeritate hæretico vocabulo denotavit: cum qua Rectorem ejus, Dominum ſcilicet Papam Leonem, cujus fides Catholica, ſpectabilis ſapientia, laudabilis habebatur induſtria, quem non excepit, pariter infamavit, ſeque ad utrumque convincendum, dum reſpondere differret, interrogantibus intendiſſe retulit. Tunc quippè inſtabat conſtituta dies Concilii poſtmodum Vercellis habiti.* Is mos hæreticorum ſemper fuit Eccleſiam Romanam cum ſuis Pontificibus, quos ſuis erroribus habuere contrarios, calumniis proſcindere; quem mo-

M 2 der-

dernos Hæreticos impudentiſſimè imitari, eorum verba & ſcripta in dies produnt.

III. Indictam igitur Vercellis Synodum Leo IX. Pontifex Maximus Kalendis Septembris ejuſdem anni 1050. celebravit. Ei non interfuit Berengarius, quamvis, ut mox dicebam, ſe in ea victoriam reportaturum gloriatus eſſet: citatus tamen duos Clericos miſit, qui pro ſe cauſam dicerent; ſed hi ut ſcribit Lantfrancus Lib. de Corpore & Sanguine Chriſti cap.4. *in primo ſtatim aditu defecerunt, & capti ſunt*. In ea Synodo Joannis Scoti Erigenæ Liber de Euchariſtia lectus eſt ac damnatus, & Berengarii ſententia rursùs expoſita & anathemate confixa. Auditâ libri Joannis Scoti in errore magiſtri damnatione, infremuit Berengarius, ut conſtat ex literis ad Aſcelinum datis, quibus tamen Aſcelinus reſpondens, poſt multa eum adhortatur, ut ad ſaniorem mentem redeat: *Pudeat te*, inquit, *patrocinari librum, quem Vercellis in plenaria Synodo damnatum, te quoquè propter eum hæreſis maculâ notatum audivimus. Redi ergo, precor, ad Catholicam & Apoſtolicam Traditionem*. Extant utriuſque literæ Tomo 6. p.1. Concil. Harduini.

IV. Verùm cùm Berengarius contumax Vercellenſi Concilio parere nollet, Henrico I. Regi Chriſtianiſſimo è re Eccleſiæ ad eum frænandum viſum eſt Synodum Pariſiis haberi: de qua licèt aliqui dubitent, an re verâ celebrata fuerit, Theoduino Leodienſi Epiſcopo Regem diſſuadente, re verâ tamen celebratam fuiſſe plerique ſentiunt 17. Kalendas Novembris anno 1050. Synodo interfuere Præſules magno numero, ac ſecundi Ordinis Sacerdotes, nobiles laici, ac ipſe Rex, cujus juſſu contumax Berengarius ſe præſentavit. In Synodo communi ſententiâ Vercellenſium Patrum judicium tam contra Librum Joannis Scoti, quàm contra Berengarii perſonam confirmatum eſt: additâ *conditione, ut niſi reſipiſceret ejuſmodi perverſitatis auctor cum ſequacibus ſuis, ab omni exercitu Francorum, præeuntibus Clericis cum Eccleſiaſtico apparatu, inſtanter quæſiti, ubicunque conveniſſent, eò uſque obſiderent, donec, aut conſentirent Catholicæ fidei, aut mortis pœnas luituri caperentur*. Ita refert Durandus Lib. de Corpore & Sanguine Chriſti Parte 9. De geſtis in hac Synodo tamquam injurioſis & injuſtis Berengarius conqueſtus eſt, & datis ad Richardum literis (quæ extant Tomo 6. citato Conc.) eum rogavit, ut coram Rege pro ſe intercederet, aſſerens, ſe probaturum injuſtam fuiſſe, tum Joannis Scoti, tum ſui Vercellenſis Concilii damnationem. Huc devenit contumax Hæreſiarcha.

V. Mortuo Leone IX. Victor II. qui ei in Sede & zelo fidei ſucceſſit, Berengarium in Synodo Florentina anno 1055. adhuc per-

pertinacem damnavit. Attamen eodem anno in Concilio Turonis habito, cui præfuit tamquam Victoris Legatus Hildebrandus (poſtea Gregorius VII.) Berengarius præſens Lantfranci diſputatione convictus errorem ſuum ejuravit ſubſcriptione datâ, & juramento firmatâ, & clementer à Legatis ſuſceptus eſt. At verbo ſolùm, non corde errorem depoſuiſſe, poſtea declaravit eventus. 5

VI. Quare poſt Victoris II. obitum, & Stephani X., qui ei ſucceſſit, brevem Pontificatum, Nicolaus II. ad Romanæ & univerſalis Eccleſiæ regimen aſſumtus, Concilium centum & tredecim Epiſcoporum Romam convocavit, & anno 1059. celebravit. In eo Berengarius præſens à Lantfranco convictus errorem ejuravit, ac libros perverſi dogmatis, ac præſertim Joannis Scoti, ex quo errorem hauſerat, igne combuſſit: editâ inſuper Fidei profeſſione. Verùm poſt Romanam Synodum in Gallias reverſus Berengarius, cùm Henricum I. ſuæ hæreſis hoſtem infenſiſſimum obiiſſe, eique ſucceſſiſſe Philippum I. vix dum ſeptennem, cerneret, reſumtâ hæreſi, quam pœnarum metu externè, non animo ejuraverat, ſubſcriptionem à ſe juramento firmatam temeravit, librumque edidit, quo nedum ſuam hæreſim defendebat, ſed Romanam Eccleſiam ejuſque Pontifices proſcindebat. Quod cùm Alexander II. qui Nicolao II. in Cathedra S.Petri ſucceſſerat audiiſſet, & præcipuè quòd S. Leonem IX. indignè tractaret, eum vocans non Pontificem ſed Pompificem & Pulpificem, & Romanam Eccleſiam Vanitatis Concilium, & Eccleſiam malignantium, Romanam Sedem non Apoſtolicam ſed ſedem Satanæ, & errores ſuos clanculum per diſcipulos diſſeminare non deſiſteret; literis eum amicè monuit, quibus magis magiſque obduratus impudenter reſpondit.

VII. Berengario toties fœdifrago in pertinacia perdurante, Mauritius Rothomagenſis Archiepiſcopus aſtante Willelmo Normannorum Duce Concilium habuit anno 1063., in quo omnium conſenſu fides Catholica de Corpore & Sanguine Domini in Euchariſtia conclamata eſt, & Berengarius ejuſque ſectarii anathemate confixi. Quod anno 1075. in Concilio Pictavienſi confirmatum fuit.

VIII. Tandem anno Domini 1078. Gregorius VII. cupiens Berengarii cauſam, quam olim in Concilio Turonenſi dum Legatum Apoſtolicum in Galliis ageret judicaverat, ad exitum perducere, Romæ Concilium habuit, ad quod Berengarius ſynodaliter vocatus, inducias ad proximè futuram Synodum petiit & obtinuit. Interim Fidei profeſſionem Synodo præſentavit, quæ cùm viſa eſſet Patribus ſubdolis verbis concepta, maximè quia in ea nulla fiebat expreſſio converſionis panis & vini in Corpus & Sangui-

guinem Chriſti, rei examen ad Synodum anni ſequentis dilatum eſt.

Anno igitur ſequenti 1079. ab eodem Pontifice altera Synodus celebrata eſt, cui Berengarius adfuit. Ibi diù diſputatum eſt: Catholicis aſſerentibus, panem & vinum per ſacræ orationis verba & Sacerdotis conſecrationem, Spiritu Sancto inviſibiliter operante, converti ſubſtantialiter in Corpus Dominicum de Virgine natum, quod & in Cruce pependit, & in Sanguinem qui de ejus latere militis effuſus eſt lanceâ. Quidam verò, quorum caput erat Berengarius, dicentibus, panem & vinum figuram tantum eſſe illius Corporis & Sanguinis: tandem tertiâ die error ceſſit fidei veritati, & Berengarius ipſe erroris magiſter, erraſſe ſe coram toto Concilio confeſſus, veniamque poſtulans, ex Apoſtolica clementia, præmiſsâ Fidei profeſſione obtinuit.

IX. Porrò Fidei profeſſio his verbis concepta fuit: *Ego Berengarius corde credo & ore confiteor, panem & vinum, quæ ponuntur in Altari, per myſterium ſacræ Orationis, & verba noſtri Redemtoris, ſubſtantialiter converti in veram, propriam, ac vivificatricem Carnem & Sanguinem Domini noſtri Jeſu Chriſti, & poſt conſecrationem eſſe verum Chriſti Corpus, quod natum eſt de Virgine & quod pro ſalute mundi oblatum in cruce pependit, & quod ſedet ad dexteram Patris: & verum Sanguinem Chriſti, qui de latere ejus effuſus eſt, non tantùm per ſignum & virtutem Sacramenti, ſed in proprietate naturæ, & veritate ſubſtantiæ, ſicut in hoc brevi continetur, & ego legi & vos intelligitis. Sic credo, nec contra hanc fidem ulteriùs docebo. Sic me Deus adjuvet, & hæc Sancta Dei Evangelia.*

X. *Tunc Dominus Papa præcepit Berengario ex auctoritate Dei Omnipotentis, & Sanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli, ut de Corpore & Sanguine Domini numquam ulteriùs cum aliquo diſputare, vel aliquem docere præſumeret, exceptâ causâ reducendi ad fidem hanc eos qui per ejus doctrinam ab ea receſſerant.* Ita ejus Concilii Acta. Quæ etiam refert Lantfrancus Lib. de Corp. & Sangu. Domini cap. 2. Berengario Gallias repetenti Gregorius VII. Apoſtolicæ protectionis literas dedit ad Radulphum Turonenſem Archiepiſcopum, & Euſebium Epiſcopum Andegavenſem, ut eum ſui vice à Fulconis Comitis Andegavenſis infeſtationibus tuerentur. Alias quoquè ei literas dedit ad univerſos fideles, quibus ipſum hæreticum appellari prohibuit, ut legitur in Spicilegio Dacherii Tom. 3. novæ edit. pag. 413.

XI. Clementiâ tamen Gregorii VII. abuſum fuiſſe, & ad vomitum Berengarium rediiſſe, non modicum præbet argumentum Concilii Burdegalenſis convocatio facta anno 1080. per Hugonem Epi-

Epiſcopum primùm Dienſem, poſtea Archiepiſcopum Lugdunenſem Sedis Apoſtolicæ Legatum, in quo Berengarius fidei ſuæ rationem reddidit, ut Chronicon Malleacenſe teſtatur: non fuiſſet autem neceſſaria hujus Synodi celebratio, ſi Berengarius in fide quam profeſſus fuerat, conſtanter perſtitiſſet. Accedit teſtimonium Bertoldi Conſtantienſis Presbyteri ad ann. 1083. ſcribentis: *Berengarius novæ hæreſis de Corpore Domini auctor, eo tempore deficiens abiit in locum ſuum. Qui licèt eandem hæreſim ſæpiſſimè in Synodo adjurarit, ad vomitum tamen ſuum canino more non expavit redire. Nam & in Romana Synodo canonicè convictus, hæreſim ſuam in libro à ſe ſcripto combuſſit, & abjuratam anathematizavit; nec tamen poſtea dimiſit.*

XII. Certè ſi præfatum Bertoldi teſtimonium attendimus, Berengarium in hæreſi obiiſſe dicendum erit. Verùm Scriptores alii, inter quos Willelmus Malmesburienſis, eum tandem reſipuiſſe, & Catholicum ac pœnitentem obiiſſe ſcribit, ac ſolùm dum in extremis agerer doluiſſe, quòd omnes, quos ſuâ hæreſi ſeduxerat, non poſſet ad fidem revocare; unde ait: *Quin & ipſo die Epiphaniorum moriens, gemituque producto; recordatus, quot miſeros quondam adoleſcens primo erroris calore ſectâ ſuâ infecerit: Hodie, inquit, in die apparitionis ſuæ apparebit mihi Dominus meus Jeſus Chriſtus, propter pœnitentiam, ut ſpero, ad gloriam: vel propter alios, ut timeo, ad pœnam.* Circa pœnitentiam & pium Berengarii obitum conſentiunt S. Antoninus Chronici p. 2. tit. 16. §. 20. Vincentius Bellovacenſis in Speculo Hiſtoriali Lib. 25. c. 30. Martinus Polonus in Henrico II. Imperatore, & alii quos prætereo.

Solùm addam, in Codice manuſcripto B. Martini Turonenſis Berengarii obitum his verbis deſcribi: *Obiit Magiſter Berengarius Grammaticus fidelis & verè Catholicus anno Domini* 1088. *Philippi I. Francorum Regis anno* 28. *Urbani Papæ anno* 4. Et Turonis Eccleſiæ S. Martini Canonici, ipſi velut homini in fide Catholica & Eccleſiæ communione defuncto, ab ejus obitu juſta perſolvere cœperunt quotannis ad ejus tumulum, qui in Clauſtro S. Coſmæ viſitur. Obiiſſe autem creditur annum agens circa nonageſimum. Utinam moderni Sectarii, qui ejus auctoritate ac magiſterio gloriantur, Magiſtri ſui ad gremium Eccleſiæ reditum, & erroris emendationem imitentur, & *qui Berengarium ſequuntur errantem, ſequantur & pœnitentem.*

* * * *

§. IV.

§. IV.

Contra modernos Berengarianos aliqua.

I. IN confutanda hac Berengarii, & recentium Sectatorum ejus, præſertim Calviniſtarum hæreſi, non immorabor: Hoc enim peregi, tum contra Jacobum Piceninum Calviniſtam in Vera Eccleſia Tomo 2. p. 2. art. 12. tum Tomo 3. in 3. p. De Euchariſtia qu. 3. Dubio 1. Quibus in locis perpetuam Eccleſiæ Catholicæ fidem de veritate realis præſentiæ Corporis & Sanguinis Chriſti in Euchariſtia oſtendi, & hæreticorum eam negantium momenta vana ac inania eſſe demonſtravi. Quæ Studioſus adire poterit.

II. Calvinianæ Sectæ Miniſtri Albertinus, Claudius, & alii, primum doctrinæ de reali præſentia Corporis & Sanguinis Chriſti in Euchariſtia auctorem faciunt Paſchaſium Ratbertum, cujus doctrina, licèt viris magni nominis, Amalario, Rabano Mauro, Frudegardo, Ratramno, ſeu Bertramo, & aliis contradicentibus, ſeculis illis obſcuris, ideſt ab exitu noni ſeculi uſque ad initium undecimi, tenebricoſas hominum mentes toto terrarum Orbe adeò occupavit, ut licèt ſequenti ſeculo Literatiores facti, hâc tamen opinione unà cum lacte imbuti, illam tanquam veram toti Eccleſiæ obtruſerint. Ita præfati Calviniſtæ in ſui erroris tutelam fabulantur: nimirùm à tempore Apoſtolorum uſque ad exitum noni ſeculi, doctrinam Eccleſiæ fuiſſe, quòd in Euchariſtia Corpus & Sanguis Chriſti ſolùm in ſigno & figura ſit: quòd verò non in figura ſolùm, ſed in veritate ibi exiſtat, primum inventorem fuiſſe Paſchaſium, & hâc ſuâ doctrinâ totum Orbem repleſſe, & eâ uſque ad Calvini tempora Eccleſiam fuiſſe ſeductam. Ita loquuntur, ſeu veriùs inſaniunt audaces Novatores.

III. Verùm, quàm falſa & temeraria ſit horum audacia ſatìs oſtendi citato Tomo 3. in 3. p. de Euch. Quæſt. 3. Dub. 1. §. 6. ubi præſentiam realem Corporis & Sanguinis Chriſti ex perpetuò Patrum, Eccleſiæ Catholicæ conſenſu, ac proinde præſcriptione firmatum demonſtravi. Ex Patribus enim aliqui docuerunt, Chriſtum verè & realiter in Euchariſtia nobis commiſceri, & non fide tantùm. Aliqui Euchariſtiam propter Chriſtum in ea exiſtentem eſſe adorandam ab hominibus, imo & ab Angelis. Aliqui præſentiam Chriſti ſub ſpeciebus Euchariſticis æquiparant præſentiæ, quam habuit in locis, in quibus ſubſtantialiter præſentem nemo dubitat, ut in præſepio, & in Cœlo. Aliqui Euchariſtiam proponunt ut plenam miraculis, videlicet quòd Corpus Chriſti toties man-

manducatum non ſit conſumtum: ſi autem ibi ſolùm in figura eſſet, nullum ibi eſſet miraculum. Loca Patrum citato loco indicavi.

IV. Rurſus, ſi Patres credidiſſent, verba Chriſti *Hòc eſt Corpus meum*, *Hic eſt Sanguis meus*, non demonſtrare id quod dabat, eſſe Corpus & Sanguinem ſuum verè, ſed ſolùm ſymbolicè, cur non explicarunt? Aliqui enim erant, qui ea verba in ſenſu literali accipientes, ut Pagani, Chriſtianos tamquam carnis humanæ voratores blaſphemabant, à quo nævo ſe purgare poterant dicendo, ſe non carnem, ſed panem figuram carnis manducare: quod tamen non fecerunt: imò Catechumenis & Paganis utpote incapacibus, myſterium hoc ex antiqua diſciplina occultabant, & in ſecreto illud celebrantes *Clancularii* vocabantur, de quo Scheleſtrate Lib. de Diſciplina Arcani. Quòd ſi ante Paſchaſium Eccleſia aliter de Corpore & Sanguine Domini ſentiebat, nempè in Euchariſtia ſolam eſſe figuram, audiens, ab ipſo ſtatui realem præſentiam, adversùs ipſum tanquam doctrinam novam & ſenſui contrariam docentem commoveri debuiſſet. Cùm ergo Paſchaſii doctrinam neque Eccleſia neque alius illorum temporum reprehenderit, è contra verò adversùs Berengarium realem Corporis Chriſti & Sanguinis præſentiam in Euchariſtia negantem, & ſolùm in figura, & umbra eam aſſerentem, tota Eccleſia infrenduerit, & adhuc contra Calviniſtas ipſum imitantes infrendeat; quiſquis ſanæ mentis judicet, quænam ſit doctrina perpetuo Eccleſiæ ſenſu conſecrata, an quæ realem præſentiam confitetur, & quam ſemper profeſſa fuit, an illa, quæ ponit ſolùm figuram & umbram, quâ auditâ ſemper exhorruit.

V. At norint Calviniſtæ, à quibus eorum doctrina, negans, poſſibile eſſe veram Carnem Chriſti in Euchariſtia manducari, ortum habuerit. A Capharnaitis deſcendit. Quippè & ipſi audientes Chriſtum dicentem Jo. 6. v. 52. *Panis quem ego dabo, caro mea eſt pro mundi vita*, reſponderunt: *Quomodo poteſt bic nobis carnem ſuam dare ad manducandum?* Chriſtus autem dictum ſuum confirmans v. 54. *Amen, amen*, inquit, *dico vobis*: *niſi manducaveritis carnem filii hominis & biberitis ejus ſanguinem, non habebitis vitam in vobis*. De Capharnaitarum hæreſi cum Auguſtino locutus ſum Tomo 7. parte 1. de Hæreſibus cap. 1. §. 1. Videant ergo Calviniani, quos habuerint ſui dogmatis magiſtros; an Chriſtum, & Apoſtolos, qui licèt myſterium nondum caperent, adhuc tamen ei crediderunt; an potiùs Capharnaitas, & alios ex Judæis, qui nolentes hoc credere, à Chriſto receſſerunt. Sicut ergo qui Chriſtum non veram carnem ſed ſolùm apparentem & carnis figuram habuiſſe dixerunt, ſta-

ſtatim ut hæretici quovis tempore habiti ſunt: ita & qui non veram ejus carnem ſed carnis figuram in Euchariſtia poſuerunt, diro ſemper anathemate ab Eccleſia rejecti ſunt.

VI. Hinc Deoduinus Leodienſis Epiſcopus ad Henricum I. Regem Chriſtianiſſimum, poſtquam dixit Berengarium, aſtruendo in Euchariſtia non tam corpus, quàm umbram & figuram corporis, antiquas hæreſes excitaſſe, addit ad hanc illius hæreſim damnandam non eſſe neceſſarium Concilium: *Tunc quippè*, inquit, *Hæretici neceſſariò audiendi fuerunt, quando & hæ ipſæ & hujuſmodi quæſtiones, utpotè quæ nondum ad unguem diſcuſſæ fuiſſent, in dubium venire potuerunt, ut per congreſſum certaminis pateſceret, utra pars ſtaret pro defenſione veritatis. Quod idem nunc profectò fieri non oportet, quia creberrimis SS. Patrum Conciliis, tum etiam venerabilium Doctorum clariſſimis ſententiis ita omnia ſunt eliquata, ut ne minimum quid reſederit de omni fæce dubitationis.* Non ergo recens, & à Paſchaſio inventa erat doctrina de reali præſentia, ſed adeò antiqua & certa ſeculo undecimo, ut non eſſet in Concilio ulteriùs examinanda.

VII. Ita autem eodem ſeculo Berengarium perſtringit Lantfrancus Lib. de Corpore & Sanguine Domini cap. 22. *Si verum eſt, quod de Corpore Chriſti credis & adſtruis, falſum eſt quod ab Eccleſia ubique gentium de eadem re creditur & adſtruitur. Omnes enim qui Chriſtianos ſe eſſe & dici lætantur, veram Chriſti Carnem verumque ejus Sanguinem, utraque ſumta de Virgine, in hoc Sacramento ſe percipere gloriantur. Interroga univerſos qui latinæ linguæ noſtrarumve literarum notitiam perceperunt. Interroga Græcos, Armenos, ſeu cujuslibet nationis Chriſtianos quoſcumque homines. Uno ore hanc fidem ſe teſtantur habere. Porrò ſi univerſalis Eccleſiæ fides falſa exiſtit, aut numquam fuit Catholica Eccleſia, aut periit. Nihil namque efficacius ad interitum animarum, quàm pernicioſus error. Sed non fuiſſe aut periiſſe Eccleſiam, Catholicus nemo conſenſerit.*

Et cap. 23. *Adversùs tam clara ipſius Domini, & Sancti Spiritus ejus ab Eccleſia, & de ſtatu Eccleſiæ teſtimonia objicis tu, & objiciunt qui à te decepti alios decipere moliuntur. Itaque dicitis: Prædicatum eſt Evangelium in omnibus Gentibus, credidit mundus, facta eſt Eccleſia, crevit, fructificavit, ſed imperitiâ malè intelligentium poſtea erravit, & periit: in nobis ſolis & in his qui nos ſequuntur Sancta in terris Eccleſia remanſit. Hanc ſacrilegam vanitatem evertit Evangelica veritas, & Prophetarum atque Sanctorum Patrum non violanda auctoritas..... Falſum eſt igitur quod de Corpore Chriſti à te creditur & adſtruitur. Ergo vera ejus caro quam accipimus, & verus eſt ejus ſanguis quem potamus.* Ita Lantfrancus Berengarium, & ſuos

Digitized by Google

& ſuos alloquitur, ac ſi modernos pſeudo-Reformatores Lutherum, Calvinum & alios alloqueretur, qui ut hunc & alios errores, quos in Eccleſiam intruſerunt, tueantur, dixerunt, & dicunt, ſe ad purgandam ab erroribus Eccleſiam miſſos. Videant ergo, ſe Eccleſiam puram & ſanctam hoc ac cæteris eorum erroribus polluiſſe, & adulteraſſe.

VIII. Eodem argumento Berengarianos, & Calviniſtas premit Guitmundus Archiepiſcopus Averſanus Lib. 13. de Euchariſtiæ Sacramento: *Si illud*, inquit, *quod ſemper Eccleſia tenuit nullis munitum Conciliis, Apoſtolicum eſt, quantò magis illud, quod & ſemper tenuit, & multis eſt Conciliis generalibus confirmatum, ex Apoſtolica auctoritate traditum eſſe credendum eſt? Sed panem & vinum Altaris Domini in Corpus & Sanguinem Chriſti ſubſtantialiter commutari (non ſicut delirat Berengarius, Corporis & Sanguinis Domini figuras tantùm eſſe & umbras, aut intra ſe latentem Chriſtum tegere) univerſalis Eccleſiæ conſenſione roboratum eſt. Securâ igitur voce, gubernante Domino Deo noſtro & Salvatore Jeſu Chriſto id à nobis aſſeri poteſt.... Notiſſimum namque eſt hoc tempore, priuſquam Berengarius inſaniiſſet, hujuſmodi veſanias numquam fuiſſe. Sed ex tempore Chriſti Eccleſia in Apoſtolis, & Apoſtolorum Diſcipulis fuit: ſed neque poſtea unquam deſiit. Mentiretur enim Scriptura per Prophetas clamans* „ Et Regni ejus non erit finis „. *Mentiretur & ipſa Veritas quæ ait* „ Ecce ego vobiſcum ſum uſque ad conſummationem ſeculi „. *Sed abſit hoc, ut mentiri poſſit Veritas vel in verbis propriis, vel in tantis teſtibus ſuis. Numquam igitur poſt Chriſtum Eccleſia Chriſti eſſe ceſſavit. Non ſunt igitur Eccleſia Chriſti: Aut certè ſi ſe à Chriſto cœpiſſe, & hucuſque perſeveraſſe impudentiſſimè mentientes dicunt; oſtendant juxta Danielis vaticinium, quatuor principalia Regna Mundi ſe contriviſſe, oſtendant ſe Orbem terrarum impleviſſe.... Quapropter Eccleſia noſtra à Chriſto fundata, non à Berengario, neque incœpta à Turonis vel Andegavis, ſed ſicut præcepit Chriſtus & Prophetæ prædixerunt, ab Jeroſolymis, in æternum valeat: Berengariana verò veſania ad Eccleſiam Chriſti non pertinens in æternum confuſa conticeſcat.* An hic Guitmundi diſcurſus ad modernos Acatholicos, eorumque dogmata converti poſſit, pii ac prudentis Lectoris judicio relinquo. Videant modò Calviniſtæ, quantùm inſaniunt, dum dicunt, doctrinam de vera ac reali panis & vini converſione in Corpus & Sanguinem Chriſti, ejuſque reali præſentia, à Paſchaſio ortum habuiſſe. Cùm potiùs dicere deberent, umbratilem, quam fingunt, præſentiam à Berengario confictam, ante ipſum à nemine excogitatam fuiſſe, niſi à Joanne Scoto ejus ſodali. Cætera pro hac verita-

ritate documenta, ſicut & hæreticorum objecta, locis ſupra citatis à me prolata & defenſa quiſque videre poterit.

CAPUT LXXXVIII.

De Roſcelini, Bogomilorum & Tanchelini hæreſibus.

§. I.

Roſcelini error.

I. ROSCELINUS patriâ Compendienſis (Compiegne) fuit profeſſione dialecticus, &, ut fertur, Petri Abælardi præceptor. Is de ineffabili S. Trinitatis Myſterio volens plus quàm oportet ſapere, & dialecticis ſophiſmatibus illud exponere, in hæreſim incidit dicens: *In Deo tres Perſonas eſſe tres res ab invicem ſeparatas, ſicut ſunt tres Angeli: ita tamen ut una ſit voluntas & poteſtas: aut Patrem & Spiritum Sanctum eſſe incarnatum, & tres Deos verè poſſe dici, ſi uſus admitteret.* In hunc ſuum errorem trahere conabatur Lantfrancum, & Anſelmum tunc Beccenſem Abbatem, ſed falsò. Imò cùm hoc S. Anſelmus reſciviſſet, ab hac nota ſe & Lantfrancum apertè purgat in Epiſtola 41. Lib. 2. ad Fulconem Epiſcopum Beluacenſem data. *Audio*, inquit, (*quod tamen abſque dubietate credere non poſſum*) *quia Roſcelinus Clericus dicit, in Deo tres Perſonas eſſe tres res ab invicem ſeparatas, ſicut ſunt tres Angeli: ita tamen ut una ſit voluntas & poteſtas: aut Patrem & Spiritum Sanctum eſſe incarnatum, & tres Deos verè poſſe dici ſi uſus admitteret. In qua ſententia aſſerit venerabilis memoriæ Archiepiſcopum Lantfrancum fuiſſe, & me eſſe. Quapropter dictum eſt, Concilium à venerabili Remenſi Archiepiſcopo Raynaldo colligendum eſſe in proximo. Quoniam ergo puto reverentiam veſtram ibi præſentem futuram; volo ut inſtructa ſit, quid pro me reſpondere debeat, ſi ratio exegerit. Archiepiſcopum quidem Lantfrancum vita ejus multis religioſis & ſapientibus viris nota, quia de eo numquam aliquid tale ſonuit, ab hoc errore ſatìs excuſat: & abſentia & mors ejus omnem de eo novam accuſationem recuſat. De me autem hanc veram omnes homines habere volo ſententiam.* Indè ſincerâ fidei ſuæ confeſſione expoſitâ, anathema dicit Roſcelino, & cuicumque, qui cum illo ſenſerit.

II. Præſide igitur Raynaldo Remenſi coactum eſt Sueſſionenſe Concilium anno 1092., in quo Roſcelinus damnatum errorem ſuum

ſuum ejuravit. Quia verò poſtea errorem ſuum reſumſit, cui fictè, & non ex animo nuntium dixerat: S. Anſelmus qui contra ipſum inchoaverat Librum *De Fide Trinitatis, & Incarnatione Verbi*, ſed intermiſerat, audiens eum coram Synodo errorem retractaſſe; cùm accepiſſet, eum in ſua perſeverantem ſententiâ dicere, ſe non ob aliud ejuraſſe quod dicebat, niſi quia timebat, ne à populo interficeretur; precibus Fratrum coactus cœptum opus reſumſit, & abſolvit, ut ipſe teſtatur ejuſdem Libri cap. 1.

Itaque ibi cap. 3. oſtendit, quòd in Divinis non ſunt tres Dii, & quamquam ſint tres res perſonales, una tamen eſt res eſſentialis. Et hoc modo: *Nihil*, inquit, *probibet dicere, duas perſonas, Patrem & Filium eſſe, ſi tamen intelligatur, cujuſmodi ſint res. Non enim ſic ſunt Pater & Filius duæ res, ut in bis duabus rebus intelligatur eorum ſubſtantia, ſed eorum relationes*. Hoc autem modo Roſcelinum non intelligere duas perſonas eſſe duas res, oſtendit: tum quia dicit Patrem, & Filium eſſe duas perſonas *per ſe ſeparatim*, aliàs ſequeretur, quòd incarnato Filio eſſet incarnatus & Pater: quaſi ſi Pater & Filius eſſent duæ res in perſonis, ſed unum, & non ſeparatæ in ſubſtantia (ut fides Catholica docet) non potuiſſet incarnari Filius, quin incarnatus eſſet & Pater. Tum quia cùm ait, Patrem & Filium eſſe duas res, ſicut ſunt duo Angeli, vel duæ animæ: *Apertè monſtrat, ſe non de pluralitate vel ſeparatione illa loqui, quæ in illis eſt perſonis ſecundùm propria, nempè de nulla una eademque numero re duo Angeli dicuntur, aut duæ animæ; nec unum aliquid numero de duobus Angelis dicitur, aut de duabus animabus; ſicut Patrem & Filium dicimus de Deo uno numero, & unum numero Deum de Patre & Filio. Credimus enim & dicimus, quia Deus eſt Pater, Deus eſt Filius, & converſim Pater eſt Deus, & Filius eſt Deus: & tamen nec credimus nec dicimus plures eſſe Deos: ſed ita unum eſſe Deum numero, ſicut naturâ, quamvis Pater & Filius non ſint unus, ſed duo. Angelum enim & animam ſecundùm ſubſtantiam dicimus, non ſecundùm relationem*. Hæc & alia S. Anſelmus. Quare concludit, quòd ſi quidquid dicitur de Filio debeat dici & non negari de Patre, ita ut ſi Filius eſt incarnatus, debeat dici incarnatus eſt Pater, hæreſi Sabellii via aperitur. Vel ſi ut hoc evitetur, dicatur, tres perſonas Divinas eſſe tres res unamquamque per ſe ſe, ſicut ſunt tres Angeli, jam tres Dii erunt, & Polytheiſmus conſtituitur.

III. Hoc idem exponit Lib. 2. Epiſt. 35. ubi de Roſcelino ait: *Quod ergo dicit tres Perſonas tres res, aut vult intelligi ſecundùm tres relationes, ideſt ſecundùm quod Deus dicitur Pater & Filius, & à Patre & à Filio procedens Spiritus; aut ſecundùm id quód Deus dici-*

dicitur. Sed ſi ipſas tres relationes dicit tres res eſſe, ſuperfluè hoc dicit. Nullus enim negat, hoc modo tres Perſonas eſſe tres res. Sic tamen ut diligenter intelligatur, quomodo ipſæ relationes dicantur res, & cujuſmodi res, & ſi aliquid faciunt eædem relationes circa ſubſtantiam, quemadmodum multa accidentia, an non. Quamvis non videatur hoc modo intelligere tres res, quas dicit: ex eo quia ſubjungit, trium Perſonarum unam eſſe voluntatem aut poteſtatem. Nam tres ipſe Perſonæ non habent voluntatem aut poteſtatem ſecundùm relationes, ſed ſecundùm quod unaquæque Perſona Deus eſt. Quòd ſi dicit tres Perſonas eſſe tres res ſecundùm quod unaquæque Perſona eſt Deus, aut tres Deos vult conſtituere: aut non intelligit quod dicit.

IV. Re verâ autem Roſcelinus iſte tot verborum involucris errorem ſuum tegit, ut vel ipſe deceptus eſſe, vel alios decipere velle videatur. Nam ex una parte dicit, Perſonas Divinas eſſe tres res, ſicut ſunt tres Angeli, & tres animæ, quibus videtur conſtituere tres Deos. Ex alia verò dicit, quòd in tribus eſt una voluntas, & una poteſtas, & quòd incarnato Filio incarnatus ſit Pater, quæ priori dicto contradicunt. Si enim Perſonæ Divinæ ſunt tres res, ſicut tres Angeli, unde dici poſſunt tres Dii; jam illis non eſt una, ſed ſeparata voluntas & poteſtas, nec quidquid dicitur de una Perſona dici poteſt de altera. Illius igitur error ex eo procedebat, quia diſtinguere vel neſciebat, vel nolebat in Divinis ea quæ ſunt abſoluta ab iis quæ relativa ſunt. De hoc S. Thomas qu. 9. de Potentia art. 5. ad 14. *Si*, inquit; *Pater & Filius & Spiritus Sanctus non re ſed ratione differunt, nihil prohibet unum de altero prædicari, ſicut veſtis & tunica de ſe invicem prædicantur; & ſimiliter Pater eſſet Filius, & è converſo, quæ eſt hæreſis Sabelliana. Unde dicendum eſt, quod Pater & Filius & Spiritus Sanctus ſunt tres res, ut Auguſtinus dicit in Lib. de Doctrina Chriſtiana, ſi res pro re relativa accipiatur. Si enim ſumatur pro abſoluto, ſic ſunt una res, ut idem Auguſtinus dicit: & hoc modo ſumendum eſt quod Damaſcenus dicit, quòd ſunt unum re. Quod autem dicit quòd ratione tantùm diſtinguuntur, communiter exponitur, ideſt relatione. Nam relatio etſi per comparationem ad relationem oppoſitam diſtinctionem realem faciat in Divinis: tamen ab eſſentia Divina non differt niſi ratione, cum hæc etiam relatio inter omnia genera debiliori modo res ſit.* Hæc S. Thomas.

V. Roſcelino quoquè tribuitur, quòd filios Sacerdotum non eſſe admittendos ad Sacros Ordines tamquam Ordinum incapaces, pertinaciter contenderet. De quo graviter eum perſtringit Theobaldus Stampenſis Magiſter Oxnefordiæ in Epiſtola ad ipſum ſcripta & edita Tomo 3. Spicilegii Dacheriani pag. mihi 448.

§. II.

§. II.

Bogomili, & eorum errores.

I. BOgomili, ſeu Bongimili (ideſt Bulgarorum idiomate *Dilecti Dei*, veriùs tamen Diaboli) ex Manichæorum & Maſſalianorum deliriis ſectam ſuam conflabant. Poſt varias Orbis partes ſeductas, tandem anno 1118. Alexio Commeno imperante, ejus prudentiâ detecta eſt, ejuſdemque mandato nefariæ ſectæ princeps Baſilius profeſſione medicus, habitu monachus, poſt exactam ab eo traditam errorum ſuorum deſcriptionem, igne combuſtus fuit, ut meruerat. Ita narrat Zonaras: *His temporibus ſecta nefaria Bongimilorum extitit, cujus præco doctorque primarius fuit quidam Baſilius medicus, habitu monachus, ſed ipſo potiùs Satanâ indutus. Qui cùm annis quindecim erroris illius perniciosa dogmata didiciſſet, quinquaginta duobus docuiſſet, totum ferè Orbem ſua peſtis implevit. Tandem etiam urbem Imperatricem ingreſſus in manifeſto crimine eſt veritatis inimicus deprehenſus. Nam Imperator ejus impietate cognitâ, ſimulavit ſe fidem habere homini infelici, & magiſtrum appellavit, & ſalvatorem errantium animarum. His & pluribus aliis ægrè quidem & tardè, ſed tamen effecit tandem, ut homo peſtifer evomeret virus ſuæ improbitatis. Sed ferâ caſſibus irretitâ, doctrinam ejus vulgavit, & dogmata contemſit: communique ſuffragio in equeſtri theatro impoſtorem comburi juſſit.*

II. Hæreſis hujus, omnium hæreſeon acervi, ſingula capita Alexii Imperatoris juſſu recenſuit Euthymius in Panoplia tit. 23. Bogomili ergo primò rejiciebant Moſaicos omnes, alioſque Sacræ Scripturæ Librôs, præter Pſalterium, ſexdecim Prophetas, quatuor Evangelia, Actus Apoſtolorum & eorum Epiſtolas, atque Apocalypſim. Hoc cum Manichæis commune habebant, nimirùm Vetus Teſtamentum à bono Deo non eſſe, nec ad ipſum pertinere viros juſtos qui in eo celebrantur. Ex Libris etiam quos rejiciebant ad errores ſuos propugnandos loca proferebant: aliorum verò Librorum ſententiis convicti ſtatim ad allegoriam confugiebant.

III. Secundò: Simplicibus fucum facientes, ſe credere in Patrem, in Filium, & Spiritum Sanctum dicebant, ſed re verâ Patri hæc tria nomina cum Sabellianis tribuebant: addentes de ſuo hoc delirium, nempè Deum Patrem corporeâ formâ præditum ex binis cerebri panniculis binos radios emittere, quorum unus eſſet Filius, alter Spiritus Sanctus.

IV. Ter-

IV. Tertiò : Filium & Spiritum Sanctum in Patrem iterum reverti, & qui à multis retrò ſeculis tres Perſonæ fuerat, rursùs unam factum eſſe Perſonam.

V. Quartò : Filium & Spiritum Sanctum uſque ad quinquies milleſimum & quingenteſimum annum extitiſſe negabant.

VI. Quintò : Filium à Patre, Spiritum Sanctum à Filio genitum; Hunc autem Judam Proditorem & undecim Apoſtolos genuiſſe, effutiebant.

VII. Sextò : Dæmonem, qui à Salvatore appellatus eſt Satanas, filium etiam Dei Patris eſſe,& vocari Satanael, & Filio Verbo natu majorem ac præſtantiorem, ſed ſuâ dignitate elatum, de defectione cogitaſſe, & miniſtras tentaſſe Poteſtates.

VIII. Septimò : Satanaelem è Cœlo dejectum Angelis, quos ſeduxerat & ſecum traxerat, audaciam injeciſſe, & habito cum ipſis conſilio, Firmamentum produxiſſe, terram ornaſſe, plantas, animantia, ipſumque hominem produxiſſe.

IX. Octavò : Cùm homines acerbo Dæmonum imperio premerentur, & crudeliter perderentur; vix paucos ex parte Patris extitiſſe, & in Angelorum ordinem aſcendiſſe, nempè ſolos eos, qui in Genealogiis Evangelii Matthæi & Lucæ recenſentur. Tandem Patrem ſe decipi & injuriâ affici animadvertiſſe, qui cùm præſtantiorem hominis partem animam tribuiſſet, majore tamen hominum numero privaretur; animæque miſertum quam inſufflarat, ad ultionem Verbum ex corde ſuo eructaſſe, ideſt Filium & Deum. Hunc eſſe ajebant Michaelem Archangelum : Deſcendiſſe de Cœlo, & per aurem Virginis dexteram influxiſſe : carnem induiſſe, quæ ſpecie tenùs ex materia conſtet, & humani corporis figuram referat, cùm tamen re verâ materiæ ſit expers, ac Divina. Paſſionem, Mortem, Reſurrectionem ſimulaſſe, ac demum peractâ ſcænâ, & depoſitâ perſonâ confudiſſe Deſertorem, ipſum in tartara detruſiſſe, ipſiuſque nomini ademiſſe ſyllabam *El*, quæ eſt Angelica, voluiſſeque, ut non *Satanael*, ſed *Satana* deinceps vocaretur. Expleto autem miniſterio reverſum ad Patrem, & ad illius dexteram aſſidere in ſolio, ex quo Satanael fuerat ejectus.

X. Nonò: Fabulabantur inſuper, Angelos qui ceciderant, cùm intellexiſſent, loca ipſorum ex hominibus complenda fore, filias hominum impudenter conſpexiſſe, eaſque accepiſſe in uxores, quò ſemen ipſorum reverteretur ad loca patrum ſuorum.

XI. Decimò : Moyſen à Satanaele deceptum Judæorum populum eduxiſſe de Ægypto portentis & ſignis virtute ejuſdem Satanaelis patratis, & ab ipſo Legem accepiſſe in Monte Sinai, ac per illam

illam infinitam hominum multitudinem perdidiſſe. Atque hujus rei Paulum Apoſtolum teſtem laudabant dicentem, *Concupiſcentiam neſciebam niſi per Legem*, & rursùs, *Adveniente mandato peccatum revixit*.

XII. Undecimò: Eos tantùm Sanctos prædicabant, qui apud Matthæum & Lucam in Genealogiis commemorantur, & ſexdecim Prophetas, & Apoſtolos & Martyres, qui ne Idola adorarent, occiſi ſunt. Sacerdotes autem & Patres omnes tamquam Idolorum cultores reprobos eſſe. Cultum enim Imaginum idololatriam appellabant.

XIII. Duodecimò: Sanctorum ſepulchris aſſidere Dæmones effutiebant, portentaque edere ſub eorum perſona, ut homines decipiant. Ac, inſuper ſolos Dæmones tamquam arcum ſagittam effugere, ſingulos autem ſingulis hominibus inhabitare.

XIV. Tertiodecimò: Crucem deſpiciebant, quòd in ea Salvator dicatur occiſus: & cùm argumento ab Energumenis petito premerentur, qui ad Crucem accurrebant, & vociferabantur; Crucem à Dæmonibus ut proprium opus amari reſpondebant, quamvis illam interdum fugiant, ut homines in errorem inducti eam honorent, ut Dæmonum inimicam & expultricem. Unde cum Alexius Imperator duas pyras parari juſſiſſet, quarum uni Crux ſupereminebat, igneque damnaſſet omnes de hac hæreſi delatos, optione datâ, ut quam vellent pyram eligerent, agniti ſunt Bogomili, quòd pyram Cruce carentem eligerent, Catholici rogum Cruce inſignem. Hoc judicio ſimulaverat Imperator, ut quinam verè eſſent hæretici detegerent. Ita refert Anna Comnena Lib. 15. Alexiados.

XV. Quartodecimò: Noſtrum Baptiſma Joannis eſſe dicebant, quòd per aquam fiat: ſuum verò Chriſti, quòd per ſpiritum. Quamobrem Catholicos qui ad impiam eorum ſectam deficiebant rebaptizabant, hoc ritu: ſtatuto ad confeſſionem continuamque precationem tempore, Joannis Evangelium capiti eorum imponebant, & Spiritum Sanctum ſuum invocabant, & *Pater noſter* canebant.

XVI. Quintodecimò: Myſticum adorandumque Eccleſiæ Sacrificium contemnebant, & Sanctam Corporis & Sanguinis Domini communionem Dæmonum in Templis habitantium homines blaſphemi appellabant. Porrò Communionis panem precationem illam *Pater noſter* vocabant; Communionis calicem *Teſtamentum*, quod in Evangelio commemoratur; & utriuſque perceptionem myſticam Cœnam eſſe dicebant. De hoc errore Anna Comnena L. 15. *Quin etiam*, inquit, *templa, heu mihi, ſacra templa, fana*

Digitized by Google

Dæmonum profanus appellabat. Et quòd legitimis cæremoniis ritè conſecrari ac fieri apud nos ſolent Corpus & Sanguis Ejus, qui primus fuit idem Pontifex & victima, aſpernabatur conſuetudinem religioſam, & reprobabilem revocandamque cenſebat.

XVII. Sextodecimò: Dæmones in templis habitare, & Satanam ſibi celeberrimum quondam Jeroſolymorum elegiſſe, eoque everſo, Templum Sanctæ Sophiæ Conſtantinopoli ſuſcepiſſe blaſphemabant.

XVIII. Decimoſeptimò: Unicam eſſe putabant Orationem, quam Dominus in Evangeliis tradidit, ſcilicet *Pater noſter*: & eam ſolam frequentabant, ſepties in die, quinquies nocte, immò quoties ad precandum accedebant. Reliquas verò precandi formulas, tamquam multiloquium Gentibus conveniens rejiciebant.

XIX. Decimo octavò: Baſilius ſectæ princeps aſſerebat, hanc Domini vocem ſuis in Evangeliis ſcriptam eſſe: *Dæmonia colite, non ut vobis proſint, ſed ne obſint*, eoſque Chriſto & Spiritu Sancto fortiores. O linguam præcidendam!

XX. Decimo nonò. Hanc item Domini vocem in Evangelio ſcriptam mentiebantur: *Omni ratione ſaluti veſtræ conſulite*. Ideſt, inquiebant, omni arte & dolo ſimulantes fidem eorum qui vos opprimunt, ſervate vos à periculo & morte, quæ vobis ab illis imminet.

XXI. Vigeſimò. Suos omnes, in quibus Spiritus Sanctus habitaret, Dei parentes eſſe, & nominari gloriabantur, quòd Dei Verbum conciperent, in utero gererent, & alios docendo parerent; nihilque præ ipſis habuiſſe Virginem Deiparam. Hos verò non mori, ſed tamquam in ſomno tranſmutari. Inſuper ſe non in ſomnis ſolùm, ſed re verâ cernere Patrem ut ſenem denſâ barbâ ornatum, Filium tanquam juvenem pubeſcentem, Spiritum Sanctum imberbem adoleſcentem.

XXII. Vigeſimo primò: Monachorum habitu incedebant ad ſuſpicionem vitandam. Quâlibet feriâ ſecundâ, quartâ, & ſextâ jejunium indicebant uſque ad horam nonam, quod invitati ſolvebant, & occaſione datâ opiparè epulabantur. Initiandis tamen eorum venena non ſtatim propinabant.

XXIII. Vigeſimo ſecundò. Scripturæ Sacræ Libros, quos recipiebant, ſuis accommodabant erroribus. Sectam ſuam vocabant Bethlehem, in ſe Chriſtum naſci dicentes, ſeu Verbum Dei, quo fidei veritas prædicatur. Catholicam Eccleſiam eſſe Herodem, quæ Verbum apud eos natum occidere conetur.

XXIV. Vigeſimo tertiò: Rachelem fuiſſe mulierem viduam, quæ cùm duas haberet infantes filias, quo tempore Herodes pueros

ros omnes interfecit, honorem & gratiam apud ipſum ſe inituram arbitrata, eas in ſpeciem marium mutatas attulit. Quæ cùm eſſent pariter interfectæ, Rachel ita lugebat, ut nullam conſolationem admitteret. Rachelem Patrem eſſe Cœleſtem, cujus filiæ ſunt anima Adæ & anima Chriſti, quibus ab Herode, ideſt à Mundi Principe ſublatis, Patrem lugere mortem illarum, & omnem conſolationem reſpuere.

XXV. Vigeſimo quartò: Cameli pilos, ex quibus S. Joannis veſtimentum contextum in Evangelio legimus, Moſaicæ legis præcepta interpretabantur, quæ inſtar cameli impura ſit, cùm & eſum carnium, nuptias, & jusjurandum, & ſacrificia, & cædes, & alia multa his ſimilia permittat. Zonam pelliceam Evangelium, quod ovium pellibus aſſutum eſt. Moſaicæ Legis adhortationes, locuſtas; mel ſilveſtre Evangelium intelligebant. Catholicos appellabant Phariſæos & Sadducæos, qui ad Joannis Baptiſma accedebant, & genimiua viperarum. Chriſti calceamenta dicebant eſſe miracula, quæ diſcipulis & turbis demonſtravit. Quæ quidem Joannes ſolvere non poterat, quippè qui nullo modo valebat ea miracula patrare. Ventilabrum eſſe Evangelicum ſermonem, aream Chriſtianos homines, triticum fidem ſuam, paleam fidem noſtram. Montem altum eſſe ſecundum Cœlum, in quem Chriſtus à Diabolo ſublatus vidit omnia Regna Mundi. Beatitudines omnes Evangelicas de Bogomilis eſſe dictas.

XXVI. Vigeſimo quintò: In his Evangelii verbis *Eſto conſentiens adverſario tuo*, Adverſarii nomine Diabolum intelligi dicebant.

XXVII. Vigeſimo ſextò: Ad cælibatus neceſſitatem adſtruendam, & matrimonium tollendum, verba illi uſurpabant, *In reſurrectione neque nubent, neque nubentur*: Reſurrectionem Pœnitentiam & vitam Evangelicam interpretantes.

XXVIII. Vigeſimo ſeptimò: In his verbis, *Tu autem cùm oras, intra in cubiculum tuum*, cubiculi nomine mentem intelligi, ideòque preces in Eccleſia non eſſe fundendas, dicebant.

XXIX. Vigeſimò octavò: Hæc verba exponentes, *Reſpicite volatilia Cæli, quoniam non ſerunt neque metunt*: Volatilia Cœli Monachos eſſe dicebant in columnis, aut domunculis degentes, qui cum inertem vitam traducant, tamen à Patre Cœleſti nutriuntur. Sed ipſos verò eſſe lilia agri propter morum candorem, & ornatum virtutum.

XXX. Tandem è quibuslibet tormentis Angelorum ope ſe eripiendos jactabant, ſi ſectæ ſuæ ſecreta fideliter cuſtodirent. Et ideò Baſilium ſectæ auctorem noctu à Dæmonibus fuiſſe lapidibus

impetitum, quòd ſectæ arcana Alexio Imperatori ſe proſelytum ſimulanti imprudens revelaſſet.

XXXI. Hæc de Begomilis refert Natalis Alexandre in Hiſt. Eccl. Sec. 11. & 12. cap. 4. art. 5. ex Euthymio in Panoplia, Anna Comnena ipſius Alexii Imperatoris filia in Alexiade, & Harmenopulo Lib. 8. de Sectis cap. 12. Quæ ideò exponere decrevi, ut in hac una ſecta omnia ferè præcedentium deliramenta coacervata & aucta Lector videat ac deteſtetur.

§. III.

Tanchelini errores.

I. TAnchelini genus & patria in obſcuro latent, ſola nequitia eum prodidit, ac notum fecit. Duo errorum ejus capita fuere. Unum, quòd miniſterium Epiſcoporum & Sacerdotum inane eſſet, nec à Chriſto inſtitutum. Alterum, quòd Sacroſancti Corporis & Sanguinis Domini perceptio ad ſalutem æternam nihil proficeret. Suæ hæreſi propagandæ locum elegit Antuerpiam nobilem in Belgio urbem: & quidem opportunè. Nam tunc in ea Civitate unicus tantùm erat Sacerdos; iſque ob inceſtam cum nepte familiaritatem nullius apud populum fidei, & auctoritatis. Gregem ergo Paſtoris cuſtodiâ deſtitutum Tanchelinus invadens, facilè diſperſit, & ad ſuam nequitiam diſtraxit. Homo erat æquè flagitioſus ac ſuperbus, ter mille ſtipatoribus vallatus incedebat apparatu magnifico, veſtibus deauratis ornatus, convivia lautiſſima inſtruens, quibus Antuerpienſium gratiam & honorem adeò ſibi conciliaverat, ut aquam quâ corpus ſuum laverat biberent, ac reliquiarum loco reconderent. Adeòque eos dementaverat, ut cùm filias ſub matrum oculis, uxores præſentibus maritis conſtupraret, idque ut opus ſpiritale eis proponeret, miſeri aſſentirentur.

II. Totum hoc ex Hugone auctore coævo in Vita S. Norberti c.34. apud Surium Tom.3. die 6. Junii, ubi hujus nefariæ hæreſeos initia & progreſſus deſcribens: *Non eſt autem*, inquit, *prætereundum, quare vocatus fuerit* (Hæreſiarcha iſte) *ad ſuſcipiendam Antuerpienſem Eccleſiam. Eſt Antuerpia oppidum ampliſſimum & populoſum, in quo unus erat tantùm Sacerdos, qui curam totius populi ibidem commorantis gerebat: ſed præ nimia multitudine & frequenti negligentia non poterat: nec credebatur ei, quòd & ipſe quaſi in conjugio & copulâ carnali nepotem ſuam in tertio gradu manifeſtè ſociam ſui ſceleris haberet. Hanc ob cauſam populus ille quaſi grex abſque Pa-*

Paſtore per multos errorum anfractus deviabat. Unde contigit, ut hæreticus quidam miræ ſubtilitatis & ſeductor, Tanchelinus nomine, illuc adveniens, in eadem gente locum ſuæ impoſturæ inveniret. Erat is omnium ſceleratiſſimus, Deique, & omnium Sacramentorum ejus, totiuſque Religionis, & Chriſtianæ fidei hoſtis. Ita ut miniſterium Epiſcoporum & Sacerdotum nihil eſſe diceret, & Sacroſancti Corporis & Sanguinis Domini perceptionem ad ſalutem perpetuam prodeſſe negaret.

Itaque illum populum, cui jam per multa tempora horum veritas nuntiata non fuerat, in hos errores induxit. Credebant ei, & ſequebantur eum circiter tria millia armatorum, nec erat Dux, aut Epiſcopus, aut Princeps, qui auderet ei reſiſtere, vel occurrere, nec ante eum, niſi ſectam ejus amplecteretur, apparere. Cum pretioſo apparatu in veſtibus deauratis, triplici funiculo crinibus intortis, & auro intexto ligamine triplicatis incedebat, verbiſque perſuaſibilibus, magniſque conviviorum apparatibus benevolentiam eorum ad ſeducendos eos exhauriebat. Res mira & ſtupenda! lotiones ejus bibebant, & reliquiarum loco aſportantes recondebant: & cùm filias in matrum præſentia, ſponſaſque maritis videntibus corrumperet: opus ſpirituale id eſſe aſſerebat; in tantùm ut infelicem ſe diceret, qui huic conjunctioni nefariæ miſceri non meruiſſet. Hæc turpiſſima & deteſtanda hominis impoſtura, etiam poſt mortem ejus extirpari nullatenus] potuit, licèt duodecim Clericorum congregatio ab Epiſcopo in ſubſidium Sacerdotis, qui ſolus erat, in Eccleſia Sancti Michaelis inſtituta eſſet. En quantum aditum Diaboli parat inſidiis ad corrumpendum gregem Chriſti defectus numeri, zeli, & bonæ vitæ Sacerdotum.

III. Ad hanc exterminandam hæreſim, & Antuerpienſem populum ad Fidei veritatem revocandum S. Norbertus Ordinis Præmonſtratenſis conditor cum ſelectis Fratribus invitatus, ingentem errantium numerum ad Eccleſiæ fidem reduxit, teſte præfato Hugone in ejus Vita cap. 34. Graſſata eſt Tanchelini hæreſis ab anno circiter milleſimo centeſimo undecimo, ad annum uſque milleſimum centeſimum vigeſimum ſextum, quo S. Norbertus Antuerpiam profectus eſt.

CA-

Digitized by Google

CAPUT LXXXIX.

De Petrobuſianis, & Henricianis.

§. I.

Petri de Bruis errores & exitus.

I. PETROBUSIANI Petrum de Bruis auctorem habuere, à quo Petrobuſiani dicti ſunt: Petrus iſte Monachus primùm fuiſſe fertur, qui nimiæ libertatis quâ in Clauſtro frui non poterat, cupidus, apoſtata factus, vagans, ut vitaret opprobrium, in provinciam Arelatenſem aufugit, ac ibi prædicatorem, non Chriſti, ſed Diaboli agens, in vicinis etiam Diœceſibus errores ſuos diſſeminare auſus eſt. Contra iſtos duas Epiſtolas ſcripſit Petrus Abbas Cluniacenſis. In priori ſcripta ad Archiepiſcopos Arelatenſem Ebredunenſem, & Epiſcopos Dienſem & Vapincenſem, Petri de Bruis velut quodam Tractatu errores confutavit. In altera monet eoſdem, ut ſedulò invigilent, ne peſtis illa varias regiones inficiens ſuas Diœceſes corrumpat: *Veſtrum eſt*, inquit, *ad quos præcipuè tam ex officio, quàm ex ſingulari ſcientia in partibus illis cura Eccleſiæ Dei ſpectat, & quibus illa velut fortibus columnis maximè innititur; veſtrum eſt, inquam, & à locis illis, in quibus ſe latibula inveniſſe gaudet, & prædicatione, & etiam ſi neceſſe fuerit, vi armatâ per laicos exturbare. Sed quia majorem operam eos convertendi, quàm exterminandi, adhibere Chriſtianam caritatem decet, proferatur eis authoritas, adhibeatur & ratio: ut ſi Chriſtiani permanere volunt, authoritati: ſi homines, rationi cedere compellantur*. Optima ſanè obſervatio: Chriſtiani enim, ſi tales ſunt cedere debent auctoritati, ſi homines ſunt, rationi.

II. Deinde eorum quæ ſpargebant errorum capita recenſens, ſubdit: *Et quia prima erronei dogmatis ſemina à Petro de Bruis per viginti ferè annos ſata & aucta, quinque præcipua & venenata virgulta produxerunt, contra illa maximè, ut potui, egi, ut circa ea ſe animus & verba intentiùs occuparent, in quibus major fidei læſio, majus monſtrabant eſſe periculum*.

III. *Primum Hæreticorum capitulum negat, parvulos infra intelligibilem ætatem conſtitutos, Chriſti Baptiſmate poſſe ſalvari, & aliquam fidem poſſe illis prodeſſe, qui ſuâ uti non poſſunt. Quoniam juxta eos, non aliena fides, ſed propria cum Baptiſmate ſalvat, Domino dicente* „ Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſalvus erit. Qui

Qui verò non crediderit, condemnabitur „. In hoc errore fuit Gandulfus de quo ſupra cap. 86. §. 2. quem moderni Anabaptiſtæ ſuſcitarunt.

IV. *Secundum Capitulum dicit, Templorum vel Eccleſiarum fabricam fieri non debere, factas inſuper ſubrui oportere, nec eſſe neceſſaria Chriſtianis ſacra loca ad orandum, quoniam æquè in taberna & in Eccleſia, in foro & in Templo, ante Altare vel ante ſtabulum, invocatus Deus audit, & eos qui merentur exaudit.* Hunc errorem alii excitarunt, ut infra.

V. *Tertium Capitulum Cruces Sacras confringi præcipit, & ſuccendi: Quia ſpecies illa vel inſtrumentum, quo Chriſtus tam dirè tortus, tam crudeliter occiſus eſt, non adoratione, non veneratione, vel aliquâ ſupplicatione digna eſt, ſed ad ultionem tormentorum & mortis ejus, omni dedecore deboneſtanda, gladiis concidenda, ignibus ſuccendenda eſt.*

VI. *Quartum Capitulum non ſolùm veritatem Corporis & Sanguinis Domini quotidiè & continuè per Sacramentum in Eccleſia oblatum negat, ſed omninò illud nihil eſſe, neque Deo offerri debere decernit.*

VII. *Quintum Capitulum Sacrificia, orationes, eleemoſynas, & reliqua bona pro defunctis Fidelibus à vivis Fidelibus facta deridet, nec ea aliquem mortuorum vel in modico poſſe juvare affirmat.*

VIII. His idem Petrus Cluniacenſis in Epiſtola priori, ſeu Tractatu addit, eos Traditionis & Sanctorum Patrum auctoritatem negaſſe. Ita cap. 1. ad eos ait: *Ad veſtram brutam impiam hæreſim refellendam, innumera mihi doctorum Eccleſiaſticorum teſtimonia ſuffragantur; ſed veſtra auctoritas & ſapientia tanta eſt, ut eos coram producere non præſumam, maximè cum didicerim, Hilarium, Ambroſium, Auguſtinum, Hieronymum, Gregorium, & cæteros judicio majeſtatis veſtræ eſſe damnatos.... Viderint Catholici hujus Operis lectores, quid pro ſolo iſto, quod nunc commemoravi Capitulo mereamini, qui Eccleſiam Dei armis ſuis ſpoliare, & inter hoſtes inermem conſtituere decreviſtis, imò quantum ad vos jam telis & gladiis hoſtilibus expoſuiſtis.* Præfata omnia Petrobuſianorum impia & blaſphema dogmata moderni Pſeudo-Reformatores latis ulnis ſuſcepere, ut omnibus patet, & ne Catholica Eccleſia Traditiones Patrum ipſis objiciat, omni auctoritate eos ſpoliant, dicentes, eos aliquid humani paſſos eſſe.

IX. Petrum Bruiſium Manichæam ſectam profeſſum fuiſſe autumarunt aliqui: ſed immeritò, ut puto. Nam ipſe in aqua baptizabat, carnes etiam diebus ab Eccleſia vetitis cum ſuis comedebat. Nam ipſo ſancto Paraſceves die accenſâ ex ligneis Crucibus

bus pyrâ (in qua, ut dicam, Petrus ipſe combuſtus fuit) carnes in ea coctas comederunt. Quod Petrus Cluniacenſis eis exprobrans: *Inſigne*, inquit, *noſtræ fidei tollere attentaſtis. Quod tunc factum eſt, quando ad inauditam Divinitatis contumeliam, magno de Crucibus aggere inſtructo, ignem immiſiſtis, pyram feciſtis, carnes coxiſtis, & ipſo Paſſionis Dominicæ die Paſchalem Dominicam præcedente, invitatis publicè ad talem eſum populis, comediſtis*. Manichæi autem nec aquam in Baptiſmo adhibebant, & à carnium eſu abhorrebant.

X. Manichæi inſuper Vetus & Novum Teſtamentum rejiciebant: Petrobuſiani admittebant. Conſtat ex Libro de Antichriſto ab ipſis ſcripto anno circiter 1120., quo eorum Fidei profeſſio continetur: ibi enim dicitur: *Chriſtianum ex mandato teneri ſe ab Antichriſto ſeparare, patet tam ex Veteri quàm ex Novo Teſtamento*: atque in hunc finem varia, tum ex Veteri, tum ex Novo Teſtamento proferunt: In eodem Libro cap. 1. dicunt: *Opera ipſius* (ſcilicet Antichriſti) *ſunt Sacramenta, ſpeciatim Sacramentum Euchariſtiæ, quod adorat velut Deum & Chriſtum*. Et cap. 4. *Manducatio panis ſacramentalis eſt manducatio Corporis Chriſti in figura: cùm Chriſtus dixerit: Quotieſcumque id feceritis, facite in memoriam mei*. Quibus conſtat, eos Corporis & Sanguinis Chriſti in Euchariſtiâ præſentiam pertinaciter negaſſe. Videant Calviniſtæ, quos in hoc ſuo errores habuerint præceſſores, & magiſtros.

XI. Petrus de Bruis exitum, quem meruerat, habuit. In eodem enim rogo, quem ex Sanctis Crucibus accenderat, zelo Archiepiſcopi Arelatenſis ac Divinâ ultione concrematus fuit: *Zelus fidelium* (inquit Petrus Cluniacenſis præfatus) *flammas Dominicæ Crucis ab eo ſuccenſas, eum concremando, ultus eſt, poſtquam planè impius ille de igne ad ignem, de tranſeunte ad æternum tranſitum fecit*. Contigiſſe hanc Petri de Bruis necem circa ann. 1138. fertur. Cumque Petro Cluniacenſi aſſerente per viginti annos hæreſim ſuam ſparſerit, ejus initia ad annum 1118. referri probabile eſt.

XII. Petrobuſiani, vel eis affines, erant etiam illi hæretici, qui, ut habetur in Hiſtoria Trevirenſi Tom. 2. Spicilegii Dacheriani pag. 221., à Brunone Archiepiſcopo Ivodii detecti fuerunt: de iis enim hæc habentur: *Ivodii, quod Trevericæ Diœceſis appenditium eſt, fuerunt eo tempore hæretici, qui ſubſtantiam panis & vini, quæ in Altari per Sacerdotes benedicitur, in Corpus Chriſti & Sanguinem veraciter tranſmutari negabant, nec Baptiſmi Sacramentum parvulis ad ſalvationem proficere dicebant, & alia perplura profitebantur erronea*. Cum autem Bruno obierit anno 1123. fit, ut hæreſis hæc circa Petrobuſianæ exordia Ivodii emerſerit.

§. II.

Digitized by Google

§. II.

De Henricianis, & eorum erroribus.

I. POſt necem Petri de Bruis ſectam propagavit & auxit Henricus quidam, gente ſecundùm aliquos Italus, ſecundùm alios Provenzalis, profeſſione Monachus circa annum 1140. De quo Petrus Cluniacenſis ſcribit: *Sed poſt rogum Petri de Bruis, quo apud S. Ægidium zelus fidelium flammas Dominicæ Crucis ab eo ſuccenſas, eum concremando, ultus eſt .... Hæres nequitiæ ejus Henricus cum neſcio quibus aliis, doctrinam diabolicam non quidem emendavit, ſed immutavit: & ſicut nuper in tomo, qui ab ejus ore exceptus dicebatur, ſcriptum vidi, non quinque tantùm, ſed plura Capitula edidit.* Inter quæ hoc eſt: *Irrideri Deum cantibus Eccleſiaſticis: quia qui ſolis piis affectibus delectatur, nec altis vocibus advocari, nec muſicis modulis poteſt mulciri.* Error Monacho Apoſtatâ verè dignus.

II. Henrici hæreſes compendio indicat S. Bernardus Epiſt. 241. ad Hildefonſum Comitem S. Ægidii anno 1147. datâ: *Quânta audivimus & cognovimus mala, quæ in Eccleſia Dei fecit & facit quotidiè Henricus? Verſatur in terra veſtra ſub veſtimentis ovium lupus rapax, ſed ad Domini deſignationem à fructibus ejus cognoſcimus illum. Baſilicæ ſinè plebibus, plebes ſinè Sacerdotibus, Sacerdotes ſinè debita reverentia ſunt, & ſinè Chriſto deindè Chriſtiani. Eccleſiæ Synagogæ reputantur, Sanctuarium Dei ſanctum eſſe negatur, Sacramenta non ſancta cenſentur, dies feſtivis fruſtrantur ſolemniis. Moriuntur homines in peccatis ſuis, rapiuntur animæ paſſim ad tribunal terrificum, heù! nec Pœnitentiâ reconciliati, nec Sacrâ Communione muniti. Parvulis Chriſtianorum Chriſti intercluditur vita, dum Baptiſmi negatur gratia, nec ſaluti propinquare ſinuntur; Salvatore licèt piè clamante pro eis*,, Sinite, *inquit*, parvulos venire ad me.,,

III. Deindè ad Henrici perſonam & mores tranſiens: *Sed nunc audi*, inquit, *quis ille ſit. Homo apoſtata eſt, qui relicto Religionis habitu (nam Monachus extitit) ad ſpurcitias carnis & ſeculi, tanquam canis ad ſuum vomitum, eſt reverſus. Præ confuſione habitare inter cognatos & notos non ſuſtinens, vel potiùs non permiſſus ob magnitudinem criminis, ſuccinxit lumbos ſuos, & iter quà neſciebat arripuit, factus gyrovagus & profugus ſuper terram. Cùmque mendicare cœpiſſet, poſuit in ſumtu Evangelium, nam literatus erat; & venale diſtrahens Verbum Dei, evangelizabat, ut mendicaret. Si*

quid ſupra victum elicere poterat à ſimplicioribus populi, vel ab aliqua Matronarum, id ludendo aleis, aut certè in uſus turpiores effundebat. Frequenter ſiquidem poſt diurnum populi plauſum, nocte inſecutâ cum meretricibus inventus eſt Prædicator inſignis, & interdum etiam cum conjugatis. Ita Bernardus, oſtendens Henricum pravitati doctrinæ junxiſſe ſcandalum morum.

IV. De Henrico ejuſque ſecta & ſtrage, quam Cenomanis fecit anno circiter 1116. dum Hildebertus Epiſcopatum gereret, fusè diſſerit Cenomanenſis Eccleſiæ Chronicon cap. 35. ubi poſtquam deſcripſit turpes Henrici mores hypocriſi tectos, narrat, eum duos è diſcipulis ſuis Cenomanum miſiſſe, quos incauti Cenomanenſes, quaſi Angelos Domini ſuſceperunt. Gerebant *ex magiſtri conſuetudine baculos, in quorum vertice ſignum Crucis ferro fabricatum eminebat*, habitu & exteriori ſpecie pœnitentiam ſimulantes. Horum fraude & hypocriſi deceptus Hildebertus, qui tunc ad Romanum iter ſe comparabat, ſummâ ipſos humanitate excepit, juſſitque Archidiaconis ſuis, ut venientem Henricum benignè ſuſciperent, eique conciones ad populum habere permitterent. Ex hoc autem quòd præfati duo Henrici diſcipuli baculos, in quibus Crux eminebat geſtarent, apparet Henricum in hoc errore à Petro de Bruis, qui, ut dixi, Cruces execrabatur, diſceſſiſſe.

V. Abſente itaque Paſtore, in ovile irruit lupus Henricus agni habitu larvatus. Spargere cœpit, Baptiſmum infantibus inutile, adultis opera bona nihil proficere, Eccleſias non ædificandas, ſed jam ædificatas diruendas, Sanctos non colendos nec invocandos, hymnos in Eccleſia non canendos, Sanctorum Imagines & eorum Reliquias conculcandas, Cruces ubique confringendas, & alia etiam morum obſcenitatem tangentia. Placuere hæc plebi, quæ ad ipſum novi hujus dogmatis magiſtrum confluebat, imò & ex Clericis non pauci plebi in errorem trahendæ cooperabantur. Reſtitit tamen ſanior Cleri pars, quæ, non obſtantibus obcæcatorum minis, ſilentium Hæreſiarchæ indixit, eumque & diſcipulos & fautores, niſi reſipiſcerent, Comite & Optimatibus vires præbentibus, diris devovit.

VI. His geſtis nihilominùs ſacrilegos agere apud S. Germanum & S. Vincentium conventus cœpit, in quibus nova & turpia dogmata ſpargere aggreſſus eſt, nempè ſeminas, quæ minùs caſtè vixerant, adhortari, ut *coram omnibus veſtes ſuas cum crinibus nudæ comburerent, nec quilibet amplius aurum, argentum, poſſeſſiones, ſponſalia cum uxore ſumeret, nec illi dotem conferret: ſed nudus nudam, debilis ægrotam, pauper duceret egenam: nec curarent ſive caſtè, ſive inceſtè connubium ſortirentur. Dum ea ſicut in poſterum dixerat*

xerat agerentur, ille quid ſingulæ haberent venuſtatis mirabatur, quæ cæteris candore excelleret, vel nitore corporis ſplendidior haberetur. Ex juſſu tamen illius plebis actio pendebat univerſa & affectus. Tanta auri, tanta argenti affluentia, ſi vellet, redundaret, ut opes omnium ſolus videretur poſſidere: Licèt planè multa reciperet, tamen parcebat cupiditati, ne nimis ambitioſus videretur. Verumtamen plura ſibi retinens, pauca ad reſtaurationem pannorum, qui (ſicut dictum eſt) incenſi fuerant, conferebat. Ejus quoquè admonitu multi juvenum ducebant venales mulieres, quibus ipſe pannos pretio quatuor ſolidorum emebat, quæ nuditatem ſuam tantummodò ſupertegerent...

VII. *Juvenes, qui nequam ejus conſilio uxores acceperant, parvo temporis dilapſo curriculo, aut famâ, aut ſtupro compulſi mulierum, ad alias partes tranſvolabant, feminas relinquentes totius egentes auxilii. Sicque illi aliis in adulterio adhærebant: & ipſæ adbuc maritis ſuis ſuperſtitibus aliorum connubia illicitè expectabant: Nemo enim ex illis, qui ejus exbortatione conjugium inierunt, cùm multi eſſent, unquam uxori ſuæ, vel viro conjux fidem exhibuit vel reverentiam; vel quælibet alia mulier, quæ fornicationi, deliciis veſtimentorum jurejurando abrenuntiaſſet, potuit ſe continere: ſed in dies augmentando facinora, in deteriora lapſa eſt.* Hæc Chronicon Cenomanenſe præfatum de nefandis dogmatibus, quibus miſeros impoſtor ille contaminabat.

VIII. Cognito interim Hildeberti Antiſtitis ex Romana Urbe reditu, Henricus in Caſtrum S. Kalireſi (vulgò S. Calris) receſſit, ubi die ſacro Pentecoſtes militis cujuſdam ædem noctu ingreſſus, uxorem ipſius conſtupravit. Solemniter à Clero exceptus Hildebertus, ſtatim plebem ad Henrico depravatam cognovit, quippè quæ benedictionem ſuam reſpueret, ac Hæreſiarcham laudibus efferens, in ſe & univerſum Clerum petulantibus & contumelioſis verbis baccharetur: *Nolumus*, inquiebant, *tuam benedictionem. Cænum benedic, cænum ſanctifica. Nos habemus Patrem, habemus Pontificem, habemus Advocatum, qui te excedit auctoritate, excedit honeſtate, excedit ſcientiâ. Huic Clerici iniqui, Clerici tui adverſantur, ejus doctrinæ contradicunt, hunc quaſi ſacrilegum deteſtantur & reſpuunt, verentes quòd eorum ſcelera denudaret prophetico ſpiritu* &c. Hæc, & alia contra ſuum Paſtorem & Clerum plebs infatuata evomebat.

IX. Paſtorali tamen manſuetudine Hildebertus omnia ſuſtinuit, & ſtudio, ac ad Deum fuſis precibus nihil omiſit, quin ad ſaniorem mentem eam revocaret. Affuit Deus, dum repentino incendio maximam partem ſuburbiorum permiſit comburi, ut ſaltem temporali jacturâ malum propoſitum ſuum deponerent, &

Digitized by Google

Deum quem dereliquerant agnoſcerent. Ipſum etiam Henricum pius Antiſtes adiit, interrogavit, ignorantiæ, impietatis, hæreſeos convicit, & ut ab Epiſcopatu ſuo diſcederet imperavit. *Ille verò convictus clam aufugit, ut cæteras regiones, niſi ocyor eſſet fama, ſimili modo perturbaret & viperino hiatu ſuo inficeret*. Hactenus Chronicon Cenomanenſe à Mabillonio editum Tom. 3. Veterum Analectorum cap. 35. Interim ex Henrici diſcipulis Cyprianum & Petrum Clericos ad Catholicæ Eccleſiæ fidem Hildebertus revocavit, ut ipſe Lib. 2. Epiſt. 24. aliàs 78. teſtatur.

X. Poſtquam Henricus è diœceſi Cenomanenſi expulſus fuit, ad Pictavos ſe contulit, tum Burdigalam, & demùm Tholoſam, erroreſque ſuos in Tholoſana regione maximè diſſeminavit, quam jam alii hæretici è ſecta Manichæorum infecerant. Creſcente autem ibi numero hæreticorum, Eugenius Papa III. pro ſui Apoſtolatus ſollicitudine, adversùs illos Albericum S. R. E. Cardinalem & Epiſcopum Oſtienſem in Tholoſanam Provinciam delegavit. Socium autem laboris Albericus ſibi adjunxit Abbatem Claravallenſem S. Bernardum; qui concionibus, collationibus, miraculis innumeros ad fidem traxit, multùmque apud Tholoſanos rem Chriſtianam promovit. De quo ipſe Epiſt. 242. ad Tholoſanos ſcriptâ anno 1147. *Gratias*, inquit, *agimus Deo, quia non fuit otioſus adventus noſter ad vos. Et mora quidem brevis apud vos, ſed non infructuoſa. Veritate nimirùm per nos manifeſtatâ, manifeſtatâ autem non ſolùm in ſermone, ſed etiam in virtute*: ideſt miraculis Divinâ virtute patratis, ad manifeſtandam veritatem eorum quæ prædicabant, & hæreticorum dogmatum falſitatem. Miracula recenſet Gaufridus Lib. 3. de Vita S. Bernardi cap. 6. inſerta Tomo 2. Oper. S. Bernardi edit. Mabillonicæ.

XI. Quinam Henrici fuerit exitus, ſcribit præfato loco Gaufridus, quòd, *Etſi tunc fugit hæreticus ille & latuit, ita tamen impeditæ ſunt viæ ejus & ſemitæ circumſeptæ; ut vix alicubi poſtea tutus, tandem captus, & catenatus Epiſcopo traderetur*, ubi perpetuo carcere damnatum credere par eſt, ne plures impoſterum corrumperet. Ex dictis dignoſcere poterit Lector, Petrum de Bruis & Henricum, alioſque de quibus infra ſermo hæreticos, præter alios ſuperiores, Lutheranis Calvinianis Anabaptiſtis viam ſternere cœpiſſe.

CAPUT XC.

De Arnaldiſtis, & Petro Abælardo.

§. I.

Arnaldus quis fuerit, & qui ejus errores.

I. ARNALDISTÆ ab Arnaldo nomen & errores acceperunt. Fuit hic gente Italus, patriâ Brixienſis. Pariſios ſtudiorum causâ profectus Petrum Abælardum habuit præceptorem, cujus & erroribus (de quibus §. ſequenti) imbutus fuit. Reverſus in patriam aſſumtâ ſanctitatis larvâ, habitu nempè monaſtico, novo errore Eccleſiam turbare cœpit. Nam præterquam quòd de Euchariſtia & Baptiſmo parvulorum & aliis malè ſentiebat, ſpargere aggreſſus eſt, nec Epiſcopis Regalia & Feudos, nec Clericos & Monachos temporale quidpiam poſſidere poſſe, ſed id tantùm laicis conceſſum eſſe. Quæ & alia cum magnos tumultus excitarent, moverunt Innocentium II. ut coacto Romæ Concilio Lateranenſi II. anno 1139., cui circa mille Epiſcopi interfuiſſe dicuntur, cap. 23. ea damnaret.

II. De hoc Arnaldo (quem *Arnoldum* & *Arnolfum* appellat) ſcribit Otto Friſingenſis auctor coævus Lib. 1. cap. 27. *His diebus Arnoldus quidam religionis habitum habens, ſed eum minimè, ut ex doctrina ejus patuit, ſervans, ex Eccleſiaſtici honoris invidia urbem Romam ingreditur: ac Senatoriam dignitatem, Equeſtremque ordinem renovare ad inſtar antiquorum volens, totam penè Urbem, ac præcipuè populum adverſùs Pontificem ſuum concitavit. Unde & ad eorumdem temeritatis vel potiùs fatuitatis corroborationem, ab eis ad Principem deſtinatum tale ſcriptum invenitur.* Indè ſubjicit Epiſtolam, quam Senatus & Populus Romanus ad Conradum Romanorum Regem per Legatos miſit, quâ eum rogabat, ut ereptum à Papa temporale Romæ dominium ſibi ut olim aſſumat, & Senatus dignitatem reſtituat, hoc inſerto pentaſtico:

Rex valeat, quidquid cupit obtineat, ſuper hoſtes
Imperium teneat, Romæ ſedeat, regat Orbem,
Princeps terrarum, cui fecit Juſtinianus,
Cæſaris accipiat Cæſar, quæ ſunt ſua Præſul,
Ut Chriſtus juſſit Petro ſolvente tributum.

Effectum tamen, quem ſperabant ſeditioſi, non obtinuerunt. Nam *Chriſtianiſſimus Princeps hujuſmodi verbis ſive næniis præbere aures ab-*

abnuit: quin imò venientes ad ſe ex parte Romanæ Eccleſiæ viros magnos & claros, quorum unus Guido Piſanus ejuſdem Curiæ Cardinalis & Cancellarius erat, renovationemque antiquorum privilegiorum ſuorum poſtulantes, honorificè ſuſcepit, & honeſtè dimiſit.

III. Item Lib. 2. cap. 20. hunc Arnaldum deſcribens: *Arnaldus iſte*, inquit, *ex Italia civitate Brixia oriundus, ejuſdemque Eccleſiæ Clericus, ac tantùm Lector ordinatus, Petrum Abailardum olim præceptorem habuerat. Vir quidem naturæ non hebetis, plus tamen verborum profluvio, quàm ſententiarum pondere copioſus. Singularitatis amator, novitatis cupidus: cujuſmodi hominum ingenia ad fabricandas hæreſes, ſchiſmatumque perturbationes ſunt prona. Is à ſtudio è Galliis in Italiam revertens, religioſum habitum, quo ampliùs decipere poſſet, induit, omnia lacerans, omnia rodens, nemini parcens. Clericorum ac Epiſcoporum derogator, Monachorum perſecutor, laicis tantùm adulans. Dicebat enim, nec Clericos proprietatem, nec Epiſcopos regalia, nec Monachos poſſeſſiones habentes aliquâ ratione ſalvari poſſe. Cuncta hæc Principis eſſe, ab ejuſque beneficentia in uſum tantùm laicorum cedere oportere. Præter hæc de Sacramento Altaris, Baptiſmo parvulorum non ſanè dicitur ſenſiſſe. His aliiſque modis, quæ longum eſt enumerare, dum Brixienſem Eccleſiam perturbaret, laiciſque terræ illius prurientes erga Clerum aures habentibus, eccleſiaſticas malitioſè exponeret paginas, in magno Concilio Romæ ſub Innocentio habito, ab Epiſcopo Civitatis illius, viriſque religioſis accuſatur. Romanus ergo Pontifex, ne pernicioſum dogma ad plures ſerperet, imponendum viro ſilentium decernit: ſicque factum eſt. Ita homo ille de Italia fugiens ad Tranſalpina ſe contulit; ibique in oppido Alemaniæ Turego officium doctoris aſſumens pernicioſum dogma aliquot diebus ſeminavit.* Hucuſque Otto Friſingenſis.

IV. Audire quoquè præſtat Guntherum Ligurinum celebrem Poetam Lib. 3. Carminum ita canentem:

Cujus origo mali tantæque voraginis auctor
Extitit Arnaldus, quem Brixia protulit ortu
Peſtifero, tenui nutrivit Gallia ſumptu
Edocuitque diù: tandem natalibus oris
Redditus, aſſumtâ ſapientis fronte, diſerto
Fallebat ſermone rudes, Clerumque procaci
Inſectans odio, Monachorum acerrimus hoſtis,
Plebis adulator, gaudens popularibus auris,
Pontifices, ipſumque gravi corrodere linguâ
Audebat Papam; ſcelerataque dogmata vulgo
Diffundens, variis implebat vocibus aures.
Nil proprium Cleri, fundos & prædia nullo

Jure

Digitized by Google

Jure ſequi Monachos, nulli fiſcalia jura
Pontificum, nulli curæ popularis honorem
Abbatum, ſacras referens concedere leges.
Omnia Principibus terrenis ſubdita, tantùm
Committenda viris popularibus atque regenda:
Illis primitias, & quæ devotio plebis
Offerat, & decimas caſtos in corporis uſus,
Non ad luxuriam ſive oblectamina carnis
Concedens, molleſque cibos, cultuſque nitorem,
Illicitoſque jocos, laſcivaque gaudia Cleri,
Pontificum faſtus, Abbatum denique laxos
Damnabat penitùs mores, Monachoſque ſuperbos:
Veraque multa quidem, niſi tempora noſtra fideles
Reſpuerent monitus, falſis admixta monebat.
Et fateor, pulchram fallendi noverat artem,
Veris falſa probans: quia tantùm falſa loquendo
Fallere nemo poteſt: veri ſub imagine falſum
Influit, & furtim deceptas occupat aures.
Articulos etiam Fidei certumque tenorem
Non ſatìs exactâ ſtolidus pietate fovebat,
Impia mellifluis admiſcens toxica verbis.
Ille ſuam vecors in Clerum Pontificemque,
Atque alias plures adeò commoverat urbes,
Ut jam ludibrio ſacer extremoque pudori
Clerus haberetur: quod adhuc (ni fallor) in illa
Gente nocet, multumque ſacro detruncat honori.
Mox in Concilio Romæ damnatus, ab illo
Præſule, qui numeros vetitum contingere noſtros
Nomen ab innocua ducit laudabile vitâ
Territus, & miſeræ confuſus imagine culpæ,
Fugit ab urbe ſua, tranſalpiniſque receptus
Quâ ſibi vicinas Alamannia ſuſpicit Alpes,
Nomen ab Alpino ducens, ut fama, Lemanno,
Nobile Turregum, doctoris nomine falſo
Inſedit, totamque brevi ſub tempore terram
Perfidus impurè fœdavit dogmatis aurâ:
Unde venenato dudum corrupta ſapore,
Et nimiùm falſi doctrinæ vatis inhærens,
Servat adhuc uvæ guſtum gens illa paternæ.

Ex his quæ Guntherus, & Otto Friſingenſis de Arnaldo memorant, quis non videt, hunc modernis Heterodoxis facem præbuiſſe, qui eum ſequentes, Clericos, Epiſcopos, Monachos, ipſumque

que Romanum Pontificem calumniis inſectari non deſiſtunt?

V. Extant literæ Innocentii II. ad Remenſem & Senonenſem Archiepiſcopum, & S. Bernardum Abbatem tenoris ſequentis: *Per præſentia ſcripta fraternitati veſtræ mandamus, quatenus Petrum Abaelardum, & Arnaldum de Brixia perverſi dogmatis fabricatores & Catholicæ fidei impugnatores, in religioſis locis, ubi vobis meliùs viſum fuerit, ſeparatim faciatis includi; & libros erroris eorum, ubicumque reperti fuerint, igne comburi. Data Laterani 17. Kal. Auguſti* (& ad calcem adjicitur) *Tranſcripta iſta nolite oſtendere cuiquam, donec ipſæ literæ in Pariſiacenſi colloquio, quod propè eſt, præſentatæ fuerint ipſis Archiepiſcopis*. Litteræ iſtæ habentur Tomo 6. p. 2. Conc. Harduini.

VI. De Arnaldo Brixienſi ſcripſit S. Bernardus Epiſtolam 195. ad Epiſcopum Conſtantienſem, adhortans eum, ut Arnaldum de Brixia, Italia & Gallia pulſum, & jam apud ipſum deliteſcentem expellat, aut potiùs ad cavenda majora damna vinctum teneat: & alteram num. 196. ad Guidonem Legatum, monens eum, ut caveat Arnaldi familiaritatem, ne ejus auctoritate abutens ſecuriùs errores ſuos diſſeminet: *Arnaldus*, inquit, *de Brixia, cujus converſatio mel & doctrina venenum; cui caput columbæ, cauda ſcorpionis eſt; quem Brixia evomuit, Roma exhorruit, Francia repulit, Germania abominabitur, Italia non vult recipere, fertur eſſe vobiſcum. Videte, quæſo, ne veſtrâ auctoritate plus noceat. Nam cùm & artem habeat, & voluntatem nocendi, ſi acceſſerit favor veſter, erit funiculus triplex, qui difficilè rumpitur, ſupra modum (ut vereor) nociturus*. Et infra: *Deindè videtis, qualia poſt ſe ubicumque habitavit reliquit veſtigia. Non ſinè cauſa vigor Apoſtolicus hominem Italiâ ortum tranſalpinare coegit, repatriare non patitur. Quis verò extraneorum ad quos ejectus eſt, non eum omnimodè cuperet ſuis reddidiſſe! Et certè ſic ſe habere ad omnes, ut omnibus odio habeatur, approbatio judicii eſt quod portat, ne quis dicat ſubreptum fuiſſe Domino Papæ. Quale eſt ergo Summi Pontificis ſugillare ſententiam, & illam ſententiam, cujus rectitudinem ejus ipſius in quem data eſt, etſi lingua diſſimulat, vita clamat? Itaque favere huic, Domino Papæ contradicere eſt, etiam & Domino Deo*.

VII. Anno Chriſti 1145. Eugenii III. primo Arnaldus fax ſeditionis in Urbem irrepſit, quæ ejus præſentiâ magìs ac magìs exarſit. Ita Otto Friſingenſis Lib. 2. cap. 20. *Compertâ verò*, inquit, *morte Innocentii circa principia Pontificatus Eugenii Urbem ingreſſus, cùm eam contra Pontificem ſuum in ſeditionem excitatam inveniſſet, viri ſapientis haud ſectatus conſilium de hujuſmodi dicentis: ne in ejus ignem ligna ſtruas: ampliùs eam in ſeditionem excitavit,*

pro-

proponens antiquorum Romanorum exempla, qui ex Senatus maturitatis conſulto, & ex juvenum animorum fortitudinis ordine & integritate totum Orbem terræ ſuum fecerunt. Quare reædificandum Capitolium, reformandum Equeſtrem Ordinem docuit. Nihil in diſpoſitione Urbis ad Romanum ſpectare Pontificem, ſufficere ſibi Eccleſiaſticum judicium debere. In tantum verò hujus venenoſæ doctrinæ cœpit invaleſcere malum, ut non ſolùm Nobilium Romanorum, ſeu Cardinalium diruerentur domus & ſplendida palatia; verùm etiam Cardinalium reverendæ perſonæ, inhoneſtè ſautiatis quibuſdam, à furenti plebe tractarentur. Hæc Otto, qui addit, iſta à morte Cœleſtini uſque ad ſua tempora duraſſe.

VIII. Confirmat hoc ſequentibus carminibus Lib. 3. Guntherus.

Aſt ubi de medio ſublato Præſule ſummo
Eugenius Sacræ ſuſcepit jura Cathedræ.
Ille Petri ſolidam cupiens convellere Petram,
Ut caput infirmum per cætera membra dolorem
Diffundit, Romana petit temerarius auſu
Mœnia ſacrilego, totamque nefarius Urbem
Inficit impuri corruptam ſemine verbi:

Et poſt narratam in Clerum auctam ſeditionem, addit:

Quin etiam titulos Urbis renovare vetuſtos,
Patricios recreare viros, priſcoſque Quirites
Nomine plebejo, ſecernere nomen Equeſtre,
Jura Tribunorum, ſanctum reparare Senatum,
Et ſenio feſſas mutaſque reponere leges,
Lapſa ruinoſis & adhuc pendentia muris
Reddere primævo Capitolia priſca nitori,
Conſiliis armiſque ſua moderamina ſummæ
Arbitrio tractare ſuo, nihil Juris in hac re
Pontifici Summo, modicum concedere Regi,
Suadebat Populo. Sic læsâ ſtultus utrâque
Majeſtate, reum geminæ ſe fecerat aulæ.

IX. Sic audaciſſimus Arnaldus utriuſque Majeſtatis detractor, utriuſque factus reus exitium ſibi, ut meruerat, comparavit. Ut enim ſubjicit Otto citato loco: *Cùm ſententia paſtorum juſtè in eum & canonicè prolata, ejus judicio tanquam omninò auctoritatis vacua contemneretur, tandem in manus quorumdam incidens in Tuſciæ finibus captus, Principis examini & ſervatus eſt, & ad ultimum à Præfecto Urbis ligno adactus, ac rogo in pulverem redacto funere, ne à ſtolida plebe corpus ejus venerationi haberetur, in Tyberim ſparſus*. Ottoni concinit Guntherus ſic:

Judicio Cleri noſtro ſub Principe victus
Adpenſuſque Cruci, flammâque cremante ſolutus,
In cineres Tyberine tuas eſt ſparſus in undas,
Ne ſtolidæ plebis, quem fecerat improbus error,
Martyris oſſa novo cinereſve foveret honore.

X. Arnaldo extincto, Romanus populus in rebellione adhuc perſtitit. Sed Pontifex Imperatorem Romam adventantem juxta Viterbium conveniens, illum ſibi adeò propenſum reperit, ut Ottone referente, per aliquot dies unà procedentibus, quaſi inter ſpiritalem Patrem & Filium dulcia miſcerentur colloquia, & tanquam ex duabus principalibus Curiis unâ Republicâ effectâ, Eccleſiaſtica ſimul & ſecularia tractarentur negotia: & quamvis Romani contrariam legationem miſiſſent, ab Imperatore rejecti fuere.

§. II.

Petrus Abælardus.

I. PEtrus Abælardus ſeu Abailardus gente Gallus ſeu Britannus fuit, ingenio fervidus plus ſapere quàm oportet præſumens, cùm anno 1116. Pariſiis maximâ ſui nominis celebritate doceret, in plures errores lapſus eſt. De eo Otto Friſingenſis Lib. 1. de Rebus Geſtis Friderici I. Imper. cap. 47. hæc habet: *Petrus iſte ex ea Galliæ Provincia, quæ nunc ab incolis Britannia dicitur, originem trahens.... Is inquam literarum ſtudiis aliiſque facetiis ab ineunte ætate deditus fuit; ſed tam arrogans, ſuoque tantùm ingenio confidens, ut vix ad audiendos magiſtros ab altitudine mentis ſuæ humiliatus deſcenderet. Habuit tamen primò præceptorem Rozelinum quemdam, qui primus noſtris temporibus in Logica ſententiam vocum inſtituit, & poſt ad graviſſimos viros Anſelmum Laudunenſem, Guillelmum Campellenſem Catalauni Epiſcopum migrans, ipſorumque dictorum pondus tanquam ſubtilitatis acumine vacuum judicans, non diù ſuſtinuit. Inde magiſtrum induens Pariſios venit plurimùm in inventionum ſubtilitate non ſolùm ad Philoſophiam neceſſariarum, ſed & pro commovendis ad jocum animis hominum utilium valens. Ubi occaſione quâdam ſatis notâ, non benè tractatus, Monachus in Monaſterio S. Dionyſii effectus eſt. Ibi diù noctùque lectioni ac meditationi incubans, de acuto acutior, de literato effectus eſt literatior, in tantum, ut poſt aliquod tempus ab obedientia Abbatis ſui ſolutus, ad publicum prodiret; docendique rurſùs officium aſſumeret. Sententiam ergo vocum ſeu nominum in naturali tenens facultate, non cautè Theologiæ admiſcuit.*

Qua-

Quare de Sancta Trinitate docens & ſcribens, tres Perſonas, quas Sancta Eccleſia non vacua nomina tantùm, ſed res diſtinctas ſuiſque proprietatibus diſcretas, hactenus & piè credidit, & fideliter docuit, nimis attenuans, non bonis uſus exemplis, inter cætera dixit:
„ Sicut eadem Oratio eſt propoſitio, aſſumtio, & concluſio, ita
„ eadem Eſſentia eſt Pater, Filius, & Spiritus Sanctus „. *Ob hoc Sueſſionis provinciali contra eum Synodo ſub præſentia Romanæ Sedis Legati congregatâ, ab egregiis viris & nominatis magiſtris Alberico Remenſe, & Leutardo Novarienſe, Sabellianus hæreticus judicatus, libros quos ediderat propriâ manu ab Epiſcopis igni dare coactus eſt, nullâ ſibi reſpondendi facultate, eò quòd diſceptandi in eo peritia ab omnibus ſuſpecta haberetur, conceſſâ. Hæc ſub Ludovico ſeniore Francorum Rege facta ſunt* (anno circiter 1120.) Hactenus Otto Friſingenſis.

II. Reclamavit Abælardus ab hac Synodo tanquam à ſuis æmulis Alberico & Lotulfo promota, & Legato Romani Pontificis eorum artibus decepto. Conſtat hoc ex ejus Epiſtola 1. quæ habetur Tomo 6. p. 2. Concil. Hard. Concilio Sueſſionenſi inſerta, quâ in ſui defenſionem multa dicit, & præcipuè, quòd vocatus ad Concilium, ſinè ullo examine liber ſuus combuſtus fuerit ſub prætextu quòd in eo docuerit, *ſolum Deum Patrem omnipotentem eſſe*: Quare coactus legere coram Synodo Symbolum S. Athanaſii in illis verbis: *Omnipotens Pater, omnipotens Filius, omnipotens Spiritus Sanctus, & tamen non tres Omnipotentes, ſed unus Omnipotens.* Poſt hæc Abbati S. Medardi quaſi reus & convictus traditur, in Monaſterio ut in carcere recludendus, à quo tamen ad ſuum S. Dionyſii brevi ex Legati indulgentiâ translatus fuit. Ita ſui cauſam adversùs Synodum agit Abælardus. An autem jure, ſequentia demonſtrabunt.

III. Adeò itaque longè fuit Abælardus ut reſipiſceret, ut ſpatio decem & novem annorum errores addens erroribus, ad eum comprimendum opus fuerit anno 1140. Concilium alterum, nempè Senonenſe convocare, datâ Abælardo facultate ſuam exponendi doctrinam, eamque ab hoſtium (ut ajebat) calumniis & objectionibus vindicandi. Ad Synodum invitatus fuit S. Bernardus Clarevallenſis Abbas, ut cum Abælardo diſputans eum convinceret. Statâ die adfuere Præſules ac viri omnium Ordinum eruditi. Adfuit etiam Ludovicus VII. Rex Chriſtianiſſimus unà cum Theobaldo Palatino, & aliis nobilibus, illius congreſſus teſtis futurus. Abælardo ſtante coram Synodo prolata ſunt Capitula ex ipſis excerpta. Quæ dum legerentur, Concilio ſe ſubduxit, Romanum Pontificem appellans.

Digitized by Google

IV. Ob Sedis Apoſtolicæ reverentiam Abælardus Romani Pontificis judicio ſervatus eſt, nihilque in ejus perſonam ſtatutum. De omnibus tamen geſtis literas ad Innocentium II. Romanum Pontificem dederunt Synodi Patres, quas ita claudunt: *Propterea cùm in conſpectu Epiſcoporum ſuper his eum argueret Abbas Clarevallenſis zelo juſtitiæ & fidei armatus, ille nec confeſſus eſt, nec negavit, ſed à die, à loco, & judice, quem ipſe ſibi elegerat, ſinè læſione, ſinè gravamine, ut prolongaret iniquitatem, Sedem Apoſtolicam appellavit. Epiſcopi, qui propter hoc unum convenerant, veſtræ reverentiæ deferentes, nihil in perſonam ejus egerunt, ſed tantummodò Capitula à Sanctis olim Patribus condemnata medicinali neceſſitate, ne morbus ſerperet, abjudicaverunt. Quia ergo homo ille multitudinem trahit poſt ſe, & populum qui ſibi credat habet, neceſſe eſt ut huic morbo celeri medicinâ occurratis:*

„ Serò enim medicina paratur,
„ Cùm mala per longas invaluere moras.

Proceſſimus nos in hoc negocio quouſque auſi ſumus. Tuum, beatiſſime Pater, eſt de cætero providere, ne aliquâ hæreticæ pravitatis maculâ decor Eccleſiæ contaminetur. Tibi commiſſa eſt Sponſa Chriſti, ò amice Sponſi. Tuum eſt eandem uni viro virginem caſtam exhibere Chriſto. Ita Galliarum Epiſcopi de Romano Pontifice. Epiſtola hæc integra refertur ab Ottone Lib. 1. de Geſtis Friderici I. cap.48., & in Actis Concilii Senonenſis.

V. Innocentii reſcriptum præfatis locis per extenſum legitur. Poſt multa ergo in honorem Cathedræ S. Petri præmiſſa, ita concludit: *Nos itaque, qui in Cathedra S. Petri, cui à Domino dictum eſt*„ Et tu aliquando converſus confirma fratres tuos„ *licèt indigni reſidere conſpicimur, communicato fratrum noſtrorum Epiſcoporum Cardinalium conſilio, deſtinata nobis à veſtra diſcretione Capitula, & univerſa ipſius Petri dogmata, Sanctorum Canonum auctoritate cum ſuo auctore damnavimus, eique tanquam hæretico perpetuum ſilentium impoſuimus. Univerſos quoquè erroris ſui Sectatares & defenſores, à fidelium conſortio ſequeſtrandos, & excommunicationis vinculo innodandos eſſe cenſemus. Datum Laterani 12. Kal. Auguſti.*

VI. *Petrus* (inquit Otto citatus cap.49.) *damnationem ſui dogmatis à Romana Eccleſia confirmatam cognoſcens, ad Cluniacenſe Cœnobium ſe contulit, apologeticum ſcribens, prædictorum Capitulorum partim verba, ex toto autem ſenſum negans.* Ibi à Petro Cluniacenſi Abbate benignè ſuſceptus, S. Bernardo ac Innocentio II. Summo Pontifici, ut verè pœnitens reconciliatus fuit, ut ex ejuſdem Abbatis Petri Epiſtola ad Innocentium II. conſtat, in qua de

Abæ-

Abælardo, poſtquam ejus cum Abbatibus Ciſtercienſi & Clarevallenſi ſecutam pacem expoſuit: *Interim*, inquit, *à nobis admonitus, magis autem à Deo (ut credimus) inſpiratus, dimiſſis ſcholarum & ſtudiorum tumultibus, in Cluniaco veſtra ſibi perpetuam manſionem elegit*. Indè Innocentium rogat, ut ejus ætati ac debilitati indulgens, reliquos vitæ dies & ſenectutis ſuæ in eodem Monaſterio Abælardum conſummare jubeat.

VII. Igitur Romano Pontifice annuente in Cluniacenſi Cœnobio manſit Abælardus, pauco quo ſupervixit tempore pœnitentiæ ac humilitatis exhibens teſtimonia, ut idem Petrus Cluniacenſis in Epiſt. ad Heloiſſam Paracletenſem Abbatiſſam teſtatur, donec ob ingraveſcentes corporis & præcipuè ſcabiei incommoditates, ab eo Cabilonem aeris amœnioris locum miſſus, ibi ingraveſcente morbo ad extrema perductus, præmiſsâ peccatorum confeſſione, Viatico ſumto, animam ſuam Deo commendans, eam in manus Domini piè creditur tradidiſſe, ut in præfata Epiſtola Petrus Cluniacenſis refert. Obiit Abælardus anno 1142. XI. Kal. Maji, ætatis *63*. Ejus corpus Heloiſſæ Abbatiſſæ à Petro Cluniacenſi Abbate conceſſum, ad Monaſterium Paracletenſe delatum eſt (Heloiſſa hæc ab Abælardo juvene ſtupro corrupta, deinde ab ipſo deſponſata, poſtea Monialis, demum Abbatiſſa fuit.) Ex his infertur, quòd eſto Abælardus in ſcriptis ſuis à vero aberravit, cùm tamen erroribus ejuratis, verè pœnitens & Catholicus mortuus ſit, Hæreticis annumerandus non videatur.

§. III.

Errores Abælardo tributi.

I. PRimus error, quem S. Bernardus in Tractatu contra ipſum cap. 1. Abælardo tribuit, eſt. Quòd *ponebat in Trinitate gradus, in majeſtate modos, numeros in æternitate. Deum Patrem plenam eſſe potentiam, Filium quamdam potentiam, Spiritum Sanctum nullam potentiam*: *atque hoc eſſe Filium ad Patrem quod quamdam potentiam ad potentiam, quod ſpeciem ad genus, quod hominem ad animal, quod æreum ſigillum ad æs*: ad quæ S. Bernardus, ait: *Nonne plus, quàm Arius hic?*

II. Secundus dicebat: *Spiritum Sanctum procedere quidem ex Patre & Filio, ſed minimè de Patris eſſe Filiive ſubſtantia*. Quare S. Bernardus: *Unde ergo?* inquit, *an fortè ex nihilo, ſicut & univerſa quæ facta ſunt? Nam & ipſa ex Deo eſſe non diffitetur Apoſtolus, nec veretur dicere* „ Ex quo omnia „. *Quid igitur? Dicemus,*

ex

ex Patre & Filio Spiritum Sanctum non alio prorsùs procedere modo, quàm omnia, ideſt non eſſentialiter ſed creabiliter, ac proindè creatum ſicut & omnia? Aut numquid tertium inveniet ſibi modum, quo eum ex Patre Filioque producat? Quia verò dicebat, *Si eſſet* (Spiritus Sanctus) *de ſubſtantia Patris, profectò genitus eſſet, & duos Pater Filios haberet*. Reſpondet S. Bernardus: *Quaſi verò omne quod de ſubſtantia aliqua eſt, continuò ipſum à quo eſt habeat genitorem. Num verò pediculi, aut lendes, aut phlegmata filii carnis ſunt, vel non ſunt de ſubſtantia carnis? aut vermes de ligno putrido prodeuntes aliundè quàm de ligni ſubſtantia ſunt, qui tamen filii ligni non ſunt? Sed & tineæ de ſubſtantia pannorum ſubſtantiam habent, generationem non habent.*

III. Proſequitur deindè S. Abbas oſtendens, quòd ſi nec Spiritus Sanctus eſt de Patris & Filii ſubſtantia, nec iſti de ſubſtantia illius, tollitur Conſubſtantialitas: *Aut ergo*, inquit, *fateatur cum Eccleſia, Spiritum Sanctum de ſubſtantia illorum eſſe, à quibus non negat procedere; aut certè cum Ario conſubſtantialitatem deneget, & prædicet apertè creationem. Deindè ſi Filius de ſubſtantia Patris eſt, Spiritus Sanctus non eſt; differant neceſſe eſt à ſe invicem, non ſolùm quia Spiritus Sanctus genitus non eſt, quod Filius eſt, ſed etiam quòd Filius de ſubſtantia Patris eſt, quod Spiritus Sanctus non eſt. Quam quidem poſteriorem differentiam Eccleſia Catholica hucuſque neſcivit. Si eam admittimus, ubi Trinitas, ubi Unitas? .... Porrò autem Spiritu Sancto à Patris Filiique ſubſtantia recedente, non Trinitas remanet, ſed dualitas. Neque enim dignum eſt in Trinitate admitti perſonam, quæ nil habeat in ſubſtantia commune cum cæteris.* His & aliis validè Abælardum perſtringit Bernardus.

IV. Scio, ipſum in ſuo Apologetico utrumque hunc errorem à ſe tanquam ſuum rejicere; priorem quidem his verbis: *Quod igitur mihi per malitiam impoſitum eſt, quòd ſcripſerim: Quia Pater plena potentia, Filius quædam potentia, Spiritus Sanctus nulla potentia: hæc ego verba non tam hæretica, quam diabolica abhorreo & deteſtor, & ea cum ſuo auctore pariter damno. Quæ ſi quis in meis ſcriptis reperiat, non ſolùm me hæreticum, verùm etiam hæreſiarcham profiteor.* Secundum errorem ſuum eſſe negat pariter dicens: *Quiſquis me ſcripſiſſe aſſerit, quòd de ſubſtantia Patris Spiritus Sanctus etiam non ſit, vel malitiæ, vel ignorantiæ maximæ fuit.* At quidquid Abælardus dicat, utrumque errorem ipſe docuit in ſua introductione ad Theologiam Lib. 1. & alibi, ut legere eſt apud Alexandre in Hiſt. Sec. 11. & 12. Diſſert. 7. art. 6. Alios quoquè ex ſequentibus erroribus negat Abælardus fuiſſe à ſe ſcriptos, vel pronuntiatos, ſed ſibi vel ignorantiâ vel malitiâ impoſitos. Verùm

cùm

cùm S. Bernardus, Guillelmus Abbas S. Theodorici, & alii coævi, qui adversùs eum diſputarunt, viri nec de malitia nec de ignorantia ſuſpecti, præfatos & ſequentes errores ei tribuant, & ex ejus ſcriptis referant, cujus dicto, an rei an accuſatorum & quidem talium, in hoc judicio ſtandum ſit, prudens decernat.

V. Tertiò igitur negabat, *Diabolum unquam jus aliquod in hominem habuiſſe, & Filium Dei carnem aſſumſiſſe, ut hominem liberaret*. Nec ob aliud Deum in carne apparuiſſe, *quàm ob noſtram verbo & exemplo inſtitutionem: nec ob aliud paſſum eſſe ac mortuum, quàm ob ſuæ erga nos caritatis oſtenſionem*. Hic error non ſolùm à S. Bernardo & aliis ei tribuitur, ſed & ab ipſo prolatus legitur Lib. 2. Comment. ejus in Epiſt. ad Rom., & petulantiùs in alio loco, quem Abbas S. Theodorici profert, ut videre eſt apud Alexandre loco citato. Demùm Abælardus ipſe ſuum eſſe hunc errorem non negavit, cùm illum retractaverit his verbis: *Solum Filium Dei Incarnatum profiteor, ut nos à ſervitute peccati, & à jugo Diaboli, liberaret, & ſupernæ aditum vitæ morte ſuâ nobis reſeraret*.

VI. Quartò: Aſſerebat, *Spiritum Sanctum eſſe animam mundi*. Hoc Guillelmus Abbas S. Theodorici eruit ex ejus Libro Introduct. in Theologiam, ubi tamen opinionem Philoſophorum, quòd Deus ſit anima mundi ad Catholicum ſenſum videtur inflectere Abælardus, dicens Spiritum Sanctum eſſe animam & vitam animarum per dona gratiæ.

VII. Quintò: Chriſtum Deum & hominem non eſſe tertiam Perſonam in Trinitate, ſive Deum propriè hominem non eſſe dicendum, aſſerebat Lib. 3. Introd. ad Theologiam, ubi talibus terminis loquitur, ut cum Neſtorio ſentire videatur, quaſi Deum ab homine in Chriſto ſecernens: quod Abbas S. Theodorici ei improperat.

VIII. Sextò: Quòd *libero arbitrio ſinè adjuvante gratia poſſumus benè velle & agere*. Hunc errorem docet Lib. 4. Expoſit. Epiſt. ad Rom. & in alio loco, quem Abbas S. Theodorici producit: quæ apud Alexandre videri poſſunt.

IX. Septimò: *In Sacramento Altaris remanere in aere formam prioris ſubſtantiæ*: ideſt in aere ut in ſubjecto eſſe, contra doctrinam Catholicæ Eccleſiæ, quæ vult accidentia panis & vini ſinè ſubjecto ullo manere, de quo cum S. Thoma 3. p. qu. 77. art. 1. ſuo loco dixi.

X. Octavò: *Ab Adam non trahi originalis peccati culpam, ſed pœnam*. Hunc errorem docuit Lib. 2. Expoſit. Epiſt. ad Rom., ubi illud Pauli, *In quo omnes peccaverunt*, ita exponit: *ideſt peccati pœnam incurrerunt*; quod inferiùs, ut apud Alexandre videre eſt, magis exponit. Hunc errorem in Apologetico retractavit: *Ex Adam,*

Adam, inquit, *in quo omnes peccavimus, tam culpam, quàm pœnam nos contraxiſſe aſſero: quia illius peccatum noſtrorum quoquè peccatorum omnium origo extitit atque cauſa.*

XI. Nonò: *Nullum eſſe peccatum, niſi in conſenſu, & contemtu Dei.* Ita docet citato Lib. 2. Ex quo

XII. Decimò inferebat: *Concupiſcentiâ, delectatione, & ignorantiâ nullum peccatum committi.* Quæ tamen, præſertim de ignorantia poſtea retractavit in Apolog. dicens: *Mala per ignorantiam facta culpæ ſunt adſcribenda, maximè cum per negligentiam noſtram contingat nos ignorare, quæ nobis neceſſarium erat prænoſſe: qualis ille fuit, de quo Pſalmiſta dicit* ,, Noluit intelligere, ut benè ageret ,,. *Crucifixores Chriſti in ipſa crucifixione graviſſimum peccatum fateor commiſiſſe.*

XIII. Undecimò: *Suggeſtiones diabolicas per phyſicam fieri in hominibus.* Ita enim Abbate S. Theodorici teſte, dicebat: *De ſuggeſtione Diaboli ſolet quæri, quomodo poſſit ſuggerere hominibus, cùm nec verbis, nec ſignis hoc faciat. Ad quod dicimus, quia facit hoc per phyſicam rerum, lapidum, vel herbarum: quia ſicut in natura quorumdam lapidum eſt ferrum trahere, vel libidinem extinguere: ita quidam lapides ſunt vel herbæ, quibus libido, ira, & cætera vitia excitantur. Quando ergo Diabolus vult ſuggerere alicui libidinem, vel iram, vel alia vitia, apponit ei lapidem illum ſive herbam, quam ſcit, talem habere virtutem.*

XIV. Duodecimò: *Fidem definiebat æſtimationem rerum quæ non videntur.* Si, ut interpretatur S. Bernardus Epiſt. 190. (modò Tractatu contra ipſum cap. 4.) Abælardus Fidem *æſtimationem* appellat, *quaſi cuique in ea ſentire & loqui quæ vult liceat*, ac ea quæ Fides dictat ſub dubia opinione pendula ſint, & non iis ut certò veris firmiter ſit adhærendum, blaſphemia eſt Fidem evertens. Si verò Fidem exiſtimavit firmam adhæſionem rebus à Deo revelatis, debuiſſet eam non *æſtimationem*, ſed *ſubſtantiam ſperandarum rerum*, immobilem ſcilicet, cum Paulo appellare.

XV. Aliis quoquè erroribus gravatum fuiſſe apparet ex ejus Epiſtola Apologetica univerſis Eccleſiæ Sanctæ filiis inſcripta, nempè:

Tertio decimò: Quòd limites præſcriberet Omnipotentiæ Divinæ, aſſerendo, Deum plura facere non poſſe, quàm fecerit, aut aliquando facturus ſit.

Quarto decimò: Quòd Animæ Chriſti deſcenſum ad Inferos inficiaretur.

Quinto decimò: Quòd adventus in fine ſeculi ad judicandum homines poſſit etiam attribui Patri. Hunc tamen errorem ſe num-

numquam dixiſſe ait in Apolog. *Adventum Filii in fine ſeculi poſſe attribui Patri, nunquam (ſciat Deus) in mentem meam venit, nec ſe verbis meis aſſeruit.*

Sexto decimò: Quòd poteſtatem ligandi atque ſolvendi Apoſtolis à Chriſto conceſſam diffiteretur. Hunc errorem correxit dicens: *Poteſtatem ligandi atque ſolvendi Succeſſoribus Apoſtolorum omnibus, ut ipſis æquè Apoſtolis conceſſam eſſe profiteor, & tam indignis, quàm dignis Epiſcopis, quamdiù eos Eccleſia ſuſceperit.*

Decimo ſeptimò: Quòd Deum mala nuſquam impedire diceret, voluntates hominum immutando. Hunc etiam errorem retractat his verbis: *Mala Deum impedire frequenter, fateor: quia non ſolùm effectum malignantium prævenit, ne quod volunt, poſſint: verùm etiam voluntates eorum mutat, ut à malo quod cogitaverunt, penitùs divertant.*

Decimo octavò: Quòd ſcripſiſſet, crucifixores Chriſti non peccaſſe. Hunc tamen errorem quia incluſum in decimo, ſuperiùs retractavit ut dixi.

XVI. Tandem quòd ſentiret, ſpiritum Timoris Domini in Chriſto non fuiſſe, nec timorem Domini caſtum in futuro ſeculo extiturum. Hic tamen in ejus Operibus non legitur: imò in ſuo Apologetico oppoſitum velut Catholicus manifeſtat, ubi timorem quidem, quem perfecta caritas foras mittit, à Chriſto excludit, at caſtum timorem in eo profitetur dicens: *Caſtum quippè timorem in ſeculum ſeculi permanentem, qui propriè reverentia caritatis dicitur, tam ipſi animæ Chriſti, quàm electis Angelis & hominibus ineſſe ſemper recognoſco. Unde & de ipſis Supernis Spiritibus ſcriptum eſt: Adorant Dominationes, tremunt Poteſtates.* Hæc Abælardus, qui errores de quibus accuſabatur, partim negavit, partim ex pravo intellectu ſibi impoſitos dixit. Hoc certum eſt, in rebus fidei exponendis ſuſpectum ſe reddidiſſe, ut modò Arianus, modò Sabellianus, modò Macedonianus, modò Pelagianus, modò novarum hæreſum conditor meritò videretur. Omnium tamen maculam finali retractatione abſterſit. De quo Baronius ad ann. 1140. n. 11. &c.

XVII. Ut æquivocationis tollatur occaſio, ſciendum hoc eodem ſeculo alium vixiſſe Petrum Abailardum, ſeu Pailardum, vel Barliarium. Fuit hic patriâ Salernitanus, profeſſione Magus, qui totâ vitâ ſuâ uſque ad nonageſimum tertium ætatis annum magicis incantationibus Dæmonis ope ſtupenda & penè incredibilia patravit. Mirabilius tamen fuit id quod de illo morti proximo ex vetere Manuſcripto apud PP. Olivetanos S. Benedicti refert Sarnellus Epiſtolarum Tom. 2. nempè: *Anno Domini 1149. die 25. Martii Petrus Barlianus Salernitanus Doctor in omni ſcientia, &*

 præ-

præſertim Lector Artis Necromantiæ, cùm multos annos legiſſet, & ad ætatem annorum 93. perveniſſet, & cùm jam multos diſcipulos ſuos aberrare vidiſſet, pœnituit ſe Necromantiæ operam dediſſe. Accidit quâdam die, ut Secundinus & Fortunatus nepotes Petri in ſua Bibliotheca aperuiſſent librum characteribus & Dæmoniorum nominibus plenum. Iſti videntes & audientes hæc, clamaverunt, & currentes omnes de domo, venit etiam Petrus, & viderunt pueros extinctos in terra.

Cùm verò Petrus perſpexiſſet librum, vidit illum deletum: & ſtupens & tremens de fallacia Dæmoniorum, ait: O me perditum, qui & alios perdidi! Ecce ad jocum puerorum tremunt Dæmones & cruciantur: & acceptis libris eos cremavit, & Spiritus Sancti gratiâ tactus, cognoſcens vitam ſuam eſſe brevem, venit in Templum S. Benedicti, ubi ſepelivit pueros, & ipſe ante Crucifixum genuflexus, orans tribus diebus & noctibus, profuſis lacrymis numquam de templo diſcedendo, ſic orabat; Domine Jeſu Chriſte, qui de nihilo me feciſti, ad imaginem tuam me creaſti, tuo pretioſo ſanguine me redemiſti, & uſque ad hanc ſententiam me à periculis Dæmoniorum præſervaſti: Ecce alligatus vinculo indiſſolubili ad te venio, ut me ſolvas, & licèt non ſim dignus, pietati tuæ confiſus, tuo pretioſo ſanguine quo redemtus ſum, veniam peto. Multa mala feci, pro quibus iram tuam merui, multos perdidi, & te Creatorem ſemper offendi....

Hæc & alia orabat lacrymans, & meruit veniam à Domino. O pietas immenſa! Jeſus caput inclinavit, & Petrus emiſit ſpiritum, & in eodem loco ſepultus eſt, ubi & Agrippina uxor, & duo nepotes ſepulti ſunt. Vixit annos nonaginta tres, menſes ſex, & dies undecim. Multa bona reliquit Eccleſiæ, & requievit in pace. In iſto verè impletum eſt quod dicit S. Chryſoſtomus Lib. 1. ad Theodorum lapſum: *Non enim ex temporis longitudine, ſed ex animi affectu pœnitentia æſtimatur. Ninivitæ ſiquidem non multis diebus opus habuerunt, ut peccata delerent ſua; ſed exiguum diei tempus potuit univerſam eorum abolere iniquitatem: & latro non multo tempore Paradiſi ingreſſum impetravit, ſed eo ſpatio, quo verbum unum profertur, eo momento abſterſis totius vitæ ſuæ peccatis, etiam ante Apoſtolos probationis præmium accepit.*

CA-

Digitized by Google

CAPUT XCI.

De Gilberto Porretano, & Eone ſeu Eudone.

§. I.

Gilbertus quis fuerit, & qui ejus errores.

I. Sophisticum Philoſophandi ratiocinium, quod Petrum Abælardum in errores traxit, Gilbertum Porretanum ei aliâ viâ ſocium adjunxit. Fuit Gilbertus Pictavenſis Epiſcopus, vitæ integritate & Chriſtianâ gravitate clarus. Præceptores habuerat celeberrimos Hilarium Pictavenſem, Bernardum Carnotenſem, Anſelmum & Radulphum Laudunenſes. Cùm Philoſophus ſubtiliſſimus evaſiſſet, & variis in locis docuiſſet, ſolebat poſt inaugurationem ſuam *ex ingenii ſubtilis magnitudine, & rationum acumine multa præter communem hominum morem dicere.* Ita Otto Friſingenſis Lib. 1. de Geſtis Frid. I. Imp. cap. 46.: qui addit, *Quòd cùm quâdam vice conventum de ſua diœceſi Clericorum magnum celebrans, ſermoni, quem fortè gratiâ exhortandi habebat, quædam de fide S. Trinitatis interſereret, à duobus Archidiaconis Arnaldo & Calone tanquam contra Catholicæ normam Eccleſiæ doctrinam inſtituens, ad Summi Pontificis, Romanæque Sedis examen, interpoſitâ appellatione vocatur. Sic utrique viam carpunt, Romanoque Pontifici Eugenio ab Urbe in Gallias tendenti Senis Civitate Tuſciæ occurrunt. Quibus Romanus Antiſtes auditis, causâque viæ cognitâ, breviter reſpondit, ſe Gallias introire, ibique de hoc verbo, eò quòd propter literatorum virorum copiam ibidem manentium opportuniorem examinandi facultatem haberet, pleniùs velle cognoſcere. Archidiaconi in Gallias redeunt, ac conſulto Bernardo ſupra memorato Abbate* (Clarevallenſi), *eum in commodum cauſæ ſuæ inclinant.*

II. Errores Gilberto objectos refert Otto Lib. ſupra citato c. 50. nempè I. *Quòd aſſereret Divinam eſſentiam non eſſe Deum.* II. *Quòd proprietates perſonarum non eſſent ipſæ perſonæ.* III. *Quòd Theologicæ perſonæ in nulla prædicarentur propoſitione.* IV. *Quòd Divina natura non eſſet incarnata.* V. *Quòd, meritum humanum attenuando, nullum mereri diceret præter Chriſtum.* VI. *Quòd, Eccleſiæ Sacramenta evacuando, diceret, nullum baptizari niſi ſalvandum.* Palmaris autem error ille fuit, quo Divinitatem Deique proprietates, tum abſolutas, tum relativas Deum non eſſe propugnabat, ſed Divinitatem eſſe formam, quâ Deus eſt, Magnitudinem quâ Magnus,

Digitized by Google

gnus, Bonitatem quâ Bonus, Paternitatem quâ Pater. Unde, ut proſequitur Otto cap. 51. & 52. Præſidente cum Cardinalibus, Epiſcopis, & aliis viris venerabilibus, in Civitate Pariſienſi Summo Pontifice Eugenio, Gilbertus conſiſtorio præſentatur, de præfatis Capitulis reſponſurus. Cùmque multa ei objicerentur & ad reſponſionem cogeretur: *Inter cætera dixiſſe traditur*: *Audacter confiteor, Patrem alio eſſe Patrem, alio Deum, nec tamen eſſe hoc & hoc*.

III. Profanam ad hanc vocum novitatem, quâ videbatur à Deo tollere ſimplicitatem, & ponere compoſitionem, ſicut cùm dicitur Petrus alio eſt Pater, alio eſt homo, exhorruerunt omnes. Et præcipuè cùm ſe ſe explicans addit: *Aliud eſt Deo eſſe, aliud ſubſiſtere, ſicut aliud Deo eſſe, aliud Patrem eſſe vel Dominum. Quod enim eſt, ad ſe dicitur; Pater autem ad Filium & Dominus ad ſervientem creaturam*. Ita ex Ottone cap. 52. Quia verò ſe tueri conabatur dicens, omnia præfata Deo inſeparabilia eſſe, oſtendit ei S.Bernardus (Serm.80.in Cant.) quòd ſi quidquid in Deo eſt, tam in concreto quàm in abſtracto de Deo non dicitur, quamvis à Deo inſeparabile ſit, non Deus erit ſed creatura: *Non igitur*, inquit, *ſua magnitudo anima, non magìs quàm ſua nigredo corvus, quàm ſuus candor nix, quàm ſua riſibilitas ſeu rationalitas homo*: *Cùm tamen nec corvum ſinè nigredine, nec ſinè candorè nivem, nec hominem, qui non & riſibilis ſit & rationalis, unquam reperias. Ita & anima & animæ magnitudo, etſi inſeparabiles, diverſæ tamen ab invicem ſunt. Quomodo non diverſæ, cùm hæc in ſubjecto, illa ſubjectum & ſubſtantia ſit? Sola ſumma & increata natura, quæ eſt Trinitas Deus, hanc ſibi vindicat meram ſingularemque ſuæ eſſentiæ ſimplicitatem, ut non aliud & aliud, non alibi quoquè & alibi, ſed ne modò quidem & modò inveniatur in ea, nempè in ſemet manens quod habet eſt, & quod eſt ſemper uno modo eſt. In ea & multa in unum, & diverſa in idem rediguntur, ut nec de pluralitate rerum ſumat numeroſitatem, nec alterationem de varietate ſentiat*.

IV. Quia verò ex modo loquendi Gilberti ſequebatur, Divinitatem quâ Deus eſt, Deum non eſſe; ſicut nec magnitudo, quâ anima magna eſt, anima eſt; nec nigredo, quâ corvus niger eſt, corvus eſt; nec rationalitas, quâ homo rationalis eſt, homo eſt; proſequitur S. Bernardus: *Recedant à nobis, cariſſimi, recedant novelli, non dialectici, ſed hæretici, qui magnitudinem, quâ magnus eſt Deus; & item bonitatem, quâ bonus; ſed & ſapientiam, quâ ſapiens, & juſtitiam, quâ juſtus; poſtremò Divinitatem quâ Deus eſt, Deum non eſſe impiiſſimè diſputant. Divinitate, inquiunt, Deus eſt, ſed Divinitas non eſt Deus. Forſitan non dignatur Deus eſſe, quæ tanta*

tanta eſt, ut faciat Deum? Sed ſi Deus non eſt, quid eſt? Aut enim Deus eſt, aut aliquid quod non eſt Deus, aut nihil. Equidem non das Deum eſſe, ſed ne nihilum quidem (ut opinor) dabis, quam uſque adeò neceſſariam Deo eſſe fateris, ut non modò abſque ea Deus eſſe non poſſit, ſed eâ ſit. Quod ſi aliquid eſt quod non eſt Deus: aut minor erit Deo, aut major, aut par. At quomodo minor, quâ Deus eſt? Reſtat ut majorem fatearis, aut parem. Sed ſi major, ipſa eſt ſummum bonum, non Deus: ſi par, duo ſunt ſumma bona, non unum, quod utrumque Catholicus refugit ſenſus. Jam de magnitudine, bonitate, juſtitia, ſapientiaque, idem per omnia, quod de Divinitate ſentimus, unum in Deo ſunt, & cum Deo. Nec enim aliunde bonus, quàm unde magnus; nec aliunde juſtus aut ſapiens, quàm unde magnus & bonus; nec aliunde denique ſimul hæc omnia eſt, quàm unde Deus, & hoc quoquè nonniſi ſe ipſo. Ita peracutè S. Abbas.

V. Deinde ab objecta tranſiens pergit: *Sed dicit hæreticus. Quid? Deum Divinitate eſſe negas? Non: ſed eamdem Divinitatem quâ eſt, Deum nihilominus aſſero, ne Deo excellentius aliquid eſſe aſſentiar. Nam magnitudine dico magnum, ſed quæ ipſe eſt, ne majus aliquid Deo ponam: & bonitate fateor bonum, ſed non aliâ quam ipſe eſt, ne melius ipſo aliquod mihi videar inveniſſe: & de cæteris in hunc modum. Securus & libens pergo inoffenſo (ut ajunt) pede in ejus ſententiam qui dicebat: Deus nonniſi eâ magnitudine magnus eſt, quæ eſt quod ipſe. Alioquin illa erit major magnitudo quàm Deus. Auguſtinus hic eſt* (Lib. 5. de Trinit. cap.10.) *validiſſimus malleus hæreticorum. Si quid itaque de Deo propriè dici poſſit, rectiùs congruentiùſque dicetur: Deus eſt magnitudo, bonitas, juſtitia, ſapientia, quàm Deus eſt magnus, bonus, juſtus, aut ſapiens.* Veritatem hanc propugnavi Tomo 2. in 1.partem q.3. de Eſſentia Dei Dub.2. §.2. qu. 4. de Attributis Dub. 1. §. 2., & Tomo 4. in 1. p. qu. 3. de Divinis Relationibus Dub.2. §.2. quæ Studioſus adire poterit: tum S.Thomam 1.p. q.28. art.2. qu.8. de Potentia art. 2. & 4. contrag. cap.14.

VI. Poſtquam auditus fuit Gilbertus, ut dixi, in Synodo Pariſienſi coram Eugenio III. Romano Pontifice anno 1147. Adamo de Parvo Ponte Pariſienſis Eccleſiæ Canonico, & Hugone de Campo Florido Regis Chriſtianiſſimi Ludovici VII. Cancellario contra ipſum agentibus, vocatus iterùm fuit anno ſequenti 1148. ad Concilium Remenſe coram eodem Eugenio. Ibi Gilbertus Porretanus erroris convictus eſt à Gotheſcalco Præmonſtratenſe Abbate, à S. Bernardo Clarevallenſi, & aliis. Unde S. Bernardus Serm.80. citato in Cantic. *Non immeritò*, inquit, *nuper in Concilio quod Papa Eugenius Remis celebravit, tam ipſi quàm cæteris Epi-*

ſcopis

ſcopis perverſa viſa eſt, & omninò ſuſpecta expoſitio illa in libro Gilberti Epiſcopi Pictavienſis, quo ſuper verba Boetii de Trinitate ſaniſſima quidem atque Catholica, commentabatur hoc modo ,, Pater ,, veritas, ideſt verus, Filius eſt veritas, ideſt verus, Spiritus San- ,, ctus eſt veritas, ideſt verus: Et hi tres ſimul non tres veritates, ,, ſed una veritas, ideſt unus verus ,,. *O obſcuram perverſamque explanationem! Quàm veriùs ſaniùſque per contrarium ita dixiſſet.* ,, Pater eſt verus, ideſt veritas; Filius eſt verus, ideſt veritas; Spi- ,, ritus Sanctus eſt verus, ideſt veritas: Et hi tres unus verus, ,, ideſt una veritas.

VII. Prolatâ ſententiâ contra librum Gilberti à Synodo, interrogatus ipſe fuit, an Capitulis in eo contentis & damnatis liberè renuntiaret, cui ipſe reſpondit, ſe paratum eſſe omnibus, quæ à Synodo decreta eſſent ſubſcribere, unde ſcribit Gaufridus in Vita S. Bernardi Lib. 3. cap. 5. *Ita demum Apoſtolico judicio & auctoritate univerſalis Eccleſiæ error ille damnatur; Epiſcopus Gillebertus, an eidem damnationi conſentiat, interrogatur. Conſentiens, & publicè refutans quæ priùs ſcripſerat & affirmaverat, indulgentiam ipſe conſequitur, maximè quod ab initio cautus fuiſſet, eâ lege eamdem ingredi diſceptationem, ut promitteret ſe ſe ſinè ulla obſtinatione pro Eccleſiæ Sanctæ arbitrio correcturum liberè ſuam opinionem.* Confirmat hoc S. Bernardus ipſe dicto Serm. 80. in Cantica, ubi poſt refutatum (ut ſupra) Gilleberti errorem ſic concludit: *Sed hæc minimè jam contra ipſum* (Gilbertum) *loquimur; quippè in eodem conventu ſententiæ Epiſcoporum humiliter acquieſcens, tam hæc, quàm cætera digna reprehenſione inventa, proprio ore damnavit.*

VIII. Quapropter Gilbertus licèt erronea & hæretica ſenſerit, quia tamen ſinè pertinacia, quæ ſola facit hæreticum, ea non propugnavit, ſuo honori & ſedi reſtitutus fuit, Archidiaconis qui eum accuſaverant, in gratiam receptis. Ita Otto Friſing. Lib. 1. citato cap. 57. *Epiſcopus verò præmiſſam Summi Pontificis ſententiam reverenter excipiens, Archidiaconis ſuis in gratiam receptis, cum Ordinis integritate & honoris plenitudine ad propriam diœceſim remeavit.*

IX. Pro præſentis cauſæ coronide obſervandum cenſeo id, quod refert Otto cap. 57. nempè quòd in præfata Synodo Remenſi Epiſcopi Galliarum, auctore S. Bernardo, quoddam quaſi ſymbolum, ſeu Fidei confeſſionem contra Gilberti errores ediderunt. Hoc tanquam Romani Pontificis ſupremam in rebus Fidei ſtatuendis auctoritatem lædens, Senatus Cardinalium, qui ibi aderant, graviter accepit, ac proindè ad Eugenium Pontificem querelas detulit, quòd ipſis præſentibus & inconſultis Gallicani Epiſcopi ea auſi

ſint

ſint facere, quæ nec Orientales unquam fecerunt; imò nec ullus veterum Patrum, qui ſemper decreta fidei Romano examini ſervarunt terminanda, addentes: *Volumus igitur, huic tam temerariæ novitati celeriter aſſurgas ipſorumque contumaciam punire non differas.*

X. Hoc audito Summus Pontifex S. Bernardum ad ſe vocavit, eique benignè injunxit, ut hoc factum, & facti qualitatem ſincerè exponeret: *Cui ille humiliter & cum reverentia reſpondit, ſe vel Dominos Epiſcopos nihil de præfatis Capitulis definiſſe: ſed quia ab Epiſcopo Pictavino audierat, ut fides ſua ſcriberetur, idcircò quia ſolus nollet, illorum auctoritate ac teſtimonio ſimpliciter ſe quod ſentiret, expoſuiſſe. Hocque tam humili quàm modeſto reſponſo prædicta Cardinalium indignatio conquievit: ita tamen, ut præfatum ſcriptum, tanquam inconſultâ Curiâ prolatum, velut auctoritatis pondere carens, pro ſymbolo in Eccleſia, quod in Conciliis contra hæreſes congregatis fieri ſolet, non haberetur.* Ita auxiliante Deo prudentiâ Romani Pontificis Eugenii, Gallicanis Epiſcopis acquieſcentibus, hoc diſſidum extinctum fuit. Ex Capitulis autem à Synodo editis ſolùm de primo Pontifex definivit: *Ne*, inquit Otto, *aliqua ratio in Theologia inter naturam & perſonam divideret, neve Deus Divina Eſſentia diceretur in ſenſu ablativi tantùm, ſed etiam nominativi.*

XI. Ex hoc facto neſcio quomodo occaſionem ſumſerit Natalis Alexandre in Hiſt. Eccl. Seculi 11. & 12. Diſſert. 8. inferre, & fuſo calamo aſſerere, Epiſcopis in Conciliis congregatis ineſſe jus ſymbolum, & fidei definitiones edere, & ad Romanum Pontificem editas ſolùm confirmare, cùm ex hoc quod in Synodo Remenſi contigit, potiùs colligatur, decreta fidem tangentia ab Epiſcopis in Conciliis congregatis ſinè auctoritate Romani Pontificis edita, nullius ponderis eſſe; nec huic Gallicani Epiſcopi reclamarint. Tutiùs igitur Alexandre communem Angelicum Magiſtrum Sanctum Thomam audire debuiſſet præſertim 2. 2. qu. 1. art. 10., ubi: *Nova*, inquit, *editio Symboli neceſſaria eſt ad vitandum inſurgentes errores. Ad illius ergo auctoritatem pertinet editio Symboli, ad cujus auctoritatem pertinet finaliter determinare ea quæ ſunt fidei, ut ab omnibus inconcuſsâ fide teneantur. Hoc autem pertinet ad auctoritatem Summi Pontificis, ad quem majores & difficiliores Eccleſiæ quæſtiones referuntur, ut dicitur in Decretalibus, Extra de Baptiſmo C. Majores. Unde & Dominus Lucæ 32. Petro dixit, quem Summum Pontificem conſtituit* ,, Ego pro te rogavi, Petre, ut non deficiat fides tua, & tu aliquando converſus confirma fratres tuos ,,. *Et hujus ratio eſt, quia una fides debet eſſe totius Eccleſiæ ſecundùm illud*

illud 1. *Cor.*1. „ Idipſum dicatis omnes, & non ſint in vobis ſchiſmata „. *Quod ſervari non poſſet, niſi quæſtio fidei exorta determinetur per eum, qui toti Eccleſiæ præeſt; ut ſic ejus ſententia à tota Eccleſia teneatur. Et ideò ad ſolam auctoritatem Summi Pontificis pertinet nova editio Symboli, ſicut & omnia alia, quæ pertinent ad totam Eccleſiam, ut congregare Synodum generalem, & alia hujuſmodi*. Hæc S. Thomas, quæ ad præſens ſatìs ſint. Cùm de hoc egerim Tom. 1. in 1. p. qu. 3. de Locis Theol. Dub. 6., & in Vera Eccleſia tum Tomo 1. cap.11. tum Tomo 2. p.1. art.3.

§. II.

De Eone ſeu Eudone.

I. DUm Eugenius Pontifex Romanus Remis adhuc moraretur (referente Willelmo Neubrigenſi Lib.1. de Rebus Anglicis cap.19.) oblatus eſt ei quidam vir peſtifer, qui ſpiritu plenus diabolico præſtigiali aſtutiâ tam multos ſeduxerat, ut fretus ſequentium numero formidabilis aberraret, Eccleſiis maximè Monaſteriiſque infeſtus. Diù itaque debacchatus, tandem à Remenſi Archiepiſcopo captus eſt, & Concilio exhibitus. *Eudo* is dicebatur, natione Brito agnomen habens *de Stella*, homo illiteratus & idiota, ludificatione Dæmonum ita dementatus, ut cùm ſermone Gallico *Eon* diceretur, ad ſuam perſonam pertinere crederet, quod in Eccleſiaſticis exorciſmis dicitur, ſcilicet per *Eum*, qui venturus eſt judicare vivos & mortuos & ſeculum per ignem. Ita planè fatuus, ut *Eon* & *Eum* neſciret diſtinguere: ſed ſupra modum ſtupendâ cæcitate crederet, ſe eſſe judicem vivorum & mortuorum. Unde Otto Friſingenſis hoc nomine *Per eum* ipſum appellat Lib.1. cap. 54. quia *tanquam Dei filium ſe nominans, multam poſt ſe rudis populi traxit multitudinem, dicens quod ipſe eſſet, per quem omnis oratio concluditur, cùm dicimus, Per eum* &c.

II. Præſtigiis ſuis dementatam totam plebem ſibi devinxerat, quæ illum tanquam Dominum dominorum ſequebatur. Interdum mirâ velocitate per diverſas Provincias ferebatur. Interdum cum ſuis omnibus in locis deſertis morabatur, moxque inſtigante Diabolo improviſus erumpebat, Eccleſias & Monaſteria invadens. Sibi ac ſuis cibos lautiſſimos quos volebat parantibus Dæmonibus promtos habebat: ſed quia aerios, quantumcumque illis veſcerentur, modico ructu exinanitis, tanta mox ſequebatur eſuries, ut eoſdem repetere cogerentur. Quicumque ex illis cibi vel modicum guſtaſſet, mente corruptâ ſpurciſſimæ illi multitudini continuò

tinuò adhærebat. Cùm quidam miles ejus propinquus ad eum accedens eum monuiſſet, ut à Dæmoniaca illa ſecta recederet, ille ſuſpenſum hominem tenens, oſtendit ei in multiplici ſpecie phantaſticarum opum multitudinem, ut blandiente viſarum rerum illecebrâ caperetur, dicens ei, Propinquus es noſter, ſume de noſtro quod & quantum vis. Verùm homo prudens, videns correctionem ſe in vanum fudiſſe, exivit, ut abiret. Armiger verò ejus conſpectum miræ pulchritudinis accipitrem concupivit, & petitum manu prehendit. Quod cùm vidiſſet dominus abiens, clamavit, Abjice quod portas: non eſt enim avis, ſed Dæmon in avem transformatus. Sed cum inſipiens nollet audire monentem, mox conqueri cœpit, quòd accipiter unguibus ſibi pugnum ſtringeret, mox ab eodem per manum in aerem ſublevatus, miſer ille amplius non comparuit.

III. Tot tantiſque præſtigiis, quibus paſſim debacchabatur, commoti Principes, ad eum comprehendendum exercitus ſæpè miſerunt, ſed fruſtra, evaneſcebat enim, nec inveniebatur. Tandem ope Dæmonum fraudatus (qui tantum agunt, quantum Dei judicio eis agere permittitur) levi negotio à Remenſi Archiepiſcopo comprehenſus eſt; & populus inſipiens, qui eum ſequebatur, dilapſus eſt. Porrò diſcipuli qui ei arctiùs adhærebant, ejuſque cooperatores extiterant, cum ipſo capti ſunt.

IV. Cùm ergo ſtaret in conſpectu Concilii, interrogatus à Summo Pontifice quiſnam eſſet, reſpondit: Ego ſum ille qui venturus eſt judicare vivos & mortuos & ſeculum per ignem. Habebat autem in manu ſua baculum inuſitatæ formæ, in ſuperiori ſcilicet parte bifurcum. Interrogatus quid ſibi vellet baculus ille. Res, inquit, grandis myſterii eſt. Quamdiù enim, ſicut nunc videtis, duobus Cœlum Capitibus ſuſpicit, duas Orbis partes Deus poſſidet, tertiam mihi partem cedens: Porrò ſi eadem duo ſuperiora capita baculi ſubmittam uſque ad terram, & inferiorem ejus partem quæ ſimplex eſt, erigam, ut Cœlum ſuſpiciat; duabus Mundi partibus mihi retentis, tertiam tantummodo partem Deo relinquam. Ad hæc riſit totum Concilium, & hominem in tantam dementiam lapſum deriſit. Ne tamen peſtis diutiùs ſerperet, decreto mandavit, ut diligenter cuſtodiretur. At paulò poſt Dæmonibus, quorum uſus fuerat famulatu, miſeram animam morte conſignavit.

V. Diſcipuli verò ejus, quos magnis ornaverat nominibus, alium ſcilicet vocans *Sapientiam*, alium *Judicium*, cæteroſque in hunc modum, cùm nullâ ratione reſipiſcere vellent, ſed potiùs de falſis gloriantes nominibus, intantùm ut qui *Judicium* vocaba-

tur, ſuis detentoribus ultricem ſententiam comminaretur: Curiæ priùs, & poſtea ignibus traditi, ardere ad mortem, quàm ad vitam corrigi maluerunt. Imò referente quodam venerabili viro, qui eorum ſupplicio interfuit, ille qui *Judicium* dicebatur, cùm ad mortem duceretur, auditus fuit crebrò dicere *Terra findere*, tanquam ad oris ejus imperium, ſicut olim Dathan & Abiron, terra aperienda eſſet, & hoſtes ejus devoratura. Tanta vis ſemel infixi cordibus erroris fuit. Hæc ex Willelmo citato loco decerpta ſunt. Hæc dixi, ut magis appareat, in quantam abripiantur dementiam ii quos Dæmon poſſidet. Anno 1148. hæc contigere.

CAPUT XCII.

De novis Apoſtolicis, & Folmaro.

§. I.

Novi Apoſtolici, eorum mores, & errores.

I. NOvos appello Apoſtolicos, ut eos ab Antiquis diſtinguam, de quibus ſupra egi Cap. 36. Ex inferis nullo hominum particulari auctore hæc hæreſis revixit apud ruſticanos & illiteratos homines, qui cùm alium magiſtrum non haberent, hoc ſpecioſo nomine Apoſtolicorum errores ſuos tegebant. Apoſtolorum vitam ſe imitari gloriantes, nihil proprium poſſidebant, per Urbes nudis pedibus cum feminarum comitatu vagantes, ſolo queſtu & eleemoſynis victitabant. Verùm ab Apoſtolis ſicut tenebræ à luce in moribus & doctrinâ diſtabant. Detegit hoc S. Bernardus Sermone 65. in Cantica: *Ubi*, inquit, *apoſtolica forma & vita quam jactatis? Illi* (Apoſtoli) *clamant, vos ſuſurratis: illi in publico, vos in angulo: illi*,, ut nubes volant,, *vos in tenebris ac ſubterraneis domibus deliteſcitis. Quid ſimile illis in vobis oſtenditis? An quòd vobiſcum mulierculas non utique circumducitis, ſed includitis? Non æquè comitatio, ut cohabitatio ſuſpicioni patet. Verùm quiſnam de illis ſiniſtrum quippiam ſuſpicaretur, qui mortuos ſuſcitabant? Fac tu ſimiliter, & unà recubante putabo feminam virum. Alioquin temerè tibi uſurpas illorum diſpenſationem, quorum ſanctitatem non habes. Cum femina ſemper eſſe, & non cognoſcere feminam, nonne plus eſt quàm mortuum ſuſcitare? Quod minus eſt non potes, & quod majus eſt vis credam tibi? Quotidiè latus tuum ad latus juvenculæ eſt in menſa; lectus tuus ad lectum ejus in camera, oculi tui ad illius oculos in colloquia, manus tuæ ad manus*

nus ipſius in opere: & continens vis putari? Eſto ut ſis: ſed ego ſuſpicione non careo. Scandalo mihi es: tolle ſcandali cauſam, quo te probes verum (ut jactitas) Evangelii æmulatorem.

II. Cùm ergo ſuæ ſectæ auctores Apoſtolos non haberent, nec ullum hominum proferre poſſent, concludit idem Sanctus Abbas Serm. *66.* in Cant., à nullo alio quàm à Dæmone fuiſſe ſuggeſtam: *Nunc autem videte*, inquit, *ſi non propriè Dæmonum & non hominum ludificatio hæc, ſecundùm quod prædixerat ſpiritus. Quære ab illis ſuæ ſectæ auctorem; neminem dabunt. Quæ hæreſis non ex hominibus proprium habuit hæreſiarcham? Manichæi Manem habuere principem & præceptorem, Sabelliani Sabellium, Ariani Arium, Eunomiani Eunomium, Neſtoriani Neſtorium. Ita omnes cæteræ hujuſmodi peſtes ſingulos magiſtros homines habuiſſe noſcuntur, à quibus originem ſimul duxere & nomen. Quo nomine iſtos titulove cenſebis? Nullo: quoniam non eſt ab homine illorum hæreſis, neque per hominem illam acceperunt. Abſit tamen, ut per revelationem Jeſu Chriſti, ſed magis & abſque dubio (uti Spiritus Sanctus prædixit) per immiſſionem & fraudem Dæmoniorum in hypocriſi loquentium mendacium, prohibentium nubere.* Hæc S. Bernardus.

III. Primus ergo ipſorum error erat, quòd damnabant nuptias, continentiæ voto ſe obſtringentes, & tamen cum feminis cohabitabant. Quòd nuptias damnarent, ab aliis hæreticis, præcipuè Manichæis, quos ſupra impugnavi, hauſerunt. Quòd verò continentiæ voto adſtricti cum feminis habitarent, præter ea quæ ſupra contra hoc dixit S. Bernardus, addit Serm. *66.* in Cant. *In hypocriſi planè hoc, & vulpina doloſitate loquuntur, fingentes ſe id dicere amore caſtitatis, quod magìs cauſá turpitudinis fovendæ & multiplicandæ invenerunt.*

Quidam verò nuptias quidem virginis cum virgine admittebant, ſed ſecundas nuptias damnabant, aſſerentes, quòd primi quos Deus conjunxit Adam & Eva virgines erant, unde interebant, conjunctionem ſecùs præſumtam ex Deo non eſſe. Sed hos ita perſtringit S. Abbas: *Quis tibi dixit propterea à Deo conjunctos quia virgines erant? Nam Scriptura hoc non loquitur. An non virgines erant, inquis? Erant: ſed non eſt idipſum, copulatos virgines, & copulatos quia virgines. Quamquam ne hoc quidem nominatim dictum reperies, quòd virgines eſſent, quamvis eſſent. Sexuum ſanè expreſſa diverſitas eſt, non virginitas, cum dictum eſt,,* Maſculum & feminam creavit illos,,. *Meritò quidem. Non enim maritalis copula corporum requirit integritatem, ſed ſexuum aptitudinem: Benè proindè ipſam inſtituens Spiritus Sanctus ſexum expreſſit, virginitatem tacuit, nec dedit occaſionem venandi verbum inſidioſis vulpeculis.*

lis. Deinde probat, non oportere conjugium inter ſolos virgines iniri, tum ex Oſea cui præcepit Deus, ut fornicariam duceret uxorem (Oſeæ 1. v. 2.) tum ex dicto Pauli 1. Cor. 7. v. 36., qui concedit viduæ, ut cui vult nubat. Sed de hoc alibi egi contra Montaniſtas & alios.

IV. Secundò: Errabant non ſolùm, quia damnabant nuptias, ſed quia cum Manichæis à carnibus animalium & omnibus ex coitu genitis velut immundis abſtinebant. Ita S. Bernardus dicto Serm. 66. in Cant. *Abſtinent namque hi (ut prædixit ille* 1. Timoth. 4. v. 31.) *à cibis, quos creavit Deus ad percipiendum cum gratiarum actione: hinc quoquè hæreticos ſe probantes, non ſanè quia abſtinent, ſed quia hæreticè abſtinent. Nam & ego interdum abſtineo: ſed abſtinentiá mea ſatisfactio eſt pro peccatis, non ſuperſtitio pro impietate. Num redarguimus Paulum, quòd caſtigat corpus ſuum, & in ſervitutem redigit? Abſtinebo à vino, quia in vino luxuria eſt: aut ſi infirmus ſum modico utar juxta conſilium Pauli. Abſtinebo à carnibus, ne dum nimis nutriunt carnem, ſimul & carnis nutriant vitia .... Hæreticus aliter. Nempè horret lac, & quidquid ex eo conficitur; poſtremò omne quod ex coitu procreatur. Rectè & Chriſtianè, ſi non idcircò quia ex coitu, ſed ne ad coitum provocent*. His & aliis S. Abbas munit jejunia & abſtinentias Catholicorum à calumniis modernorum Heterodoxorum.

V. Tertiò: Suam dumtaxat ſectam Eccleſiam eſſe aſſerebant, & Apoſtolicos, ideſt Apoſtolorum ſucceſſores ſe eſſe gloriabantur, & quotidiè in menſa ſua Chriſti Corpus & Sanguinem conſecrandi poteſtatem habere. Num hos imitentur moderni Proteſtantes, qui apud ſe ſolos veram Eccleſiam & verum Evangelium eſſe dictitant, ſe Evangelicos nominantes, ac reliquas Eccleſias in Papatu apoſtataſſe eſſutientes, judicet quiſque. Utique ergo audiant Bernardum: *Non ignoro*, inquit, *quòd ſe & ſolos Corpus Chriſti eſſe glorientur, ſed ſibi hoc perſuadeant qui illud quoquè perſuaſum habent, poteſtatem ſe habere quotidiè in menſa ſua Corpus Chriſti & Sanguinem conſecrandi ad nutriendum ſe in Corpus Chriſti & membra. Nempè jactant ſe eſſe ſucceſſores Apoſtolorum & Apoſtolicos nominant, nullum tamen apoſtolatus ſui ſignum valentes oſtendere. Quouſque lucerna ſub modio?* „ Vos eſtis lux mundi „ *dictum eſt Apoſtolis, & ideò Apoſtoli ſuper candelabrum, ut toto luceant mundo. Pudeat ſucceſſores Apoſtolorum lucem non eſſe mundi ſed modii, mundi autem tenebras. Dicamus eis, Vos eſtis tenebræ mundi: & tranſeamus ad alia. Se dicunt Eccleſiam. Sed contradicunt ei qui dicit* „ Non poteſt Civitas abſcondi ſupra montem poſita „. *Ita ne lapidem de monte abſciſſum ſinè manibus, montem factum, & impleu-*

plentem mundum veſtris creditis incluſum antris? . . . . Habet & ſemper habet integram Chriſtus hæreditatem ſuam, & poſſeſſionem ſuam terminos terræ. Se potiùs ſubtrahunt huic magnæ hæreditati, qui Chriſto illam conantur detrahere.

His addebant, ut ſcribit Everuinus præpoſitus Steinfeldenſis ad S. Bernardum: *Quemlibet (ſicut inter eos baptizatum dicunt) Electum habere poteſtatem alios baptizandi, & in menſa ſua Corpus Chriſti & Sanguinem conſecrandi.*

VI. Quartò: Eccleſiaſticis Ordinibus & Prælatis detrahebant, nullâ ipſos in conferendis & conficiendis Sacramentis poteſtate præditos aſſerentes, ſi peccatores eſſent. Hunc errorem hauſerant à Donatiſtis. Contra eos tamen S. Bernardus: *Jam verò*, inquit, *qui Eccleſiam non agnoſcunt, non eſt mirum, ſi Ordinibus Eccleſiæ detrahunt, ſi inſtituta non recipiunt, ſi Sacramenta contemnunt, ſi mandatis non obediunt. Peccatores, inquiunt, ſunt Apoſtolici, Archiepiſcopi, Epiſcopi, Presbyteri: ac per hoc nec dandis, nec accipiendis idonei Sacramentis. Nunquam duo iſta convenient, Epiſcopum eſſe & peccatorem? Falſum eſt. Epiſcopus erat Caiphas: & tamen quantus peccator, qui in Dominum mortis dictabat ſententiam? Si negas Epiſcopum, arguet te teſtimonium Joannis* (Joan. 11. v. 15.) *qui eum in teſtimonium ſui Pontificatus etiam prophetaſſe refert. Apoſtolus erat Judas, & licèt avarus & ſceleratus, electus tamen à Domino. An tu de illius apoſtolatu dubitas, quem Dominus elegit?* ,, Nonne ego, *inquit*, vos duodecim elegi, & unus ex vobis Diabolus eſt? (Joan. 6. v. 71.) *Audis eumdem electum Apoſtolum, & extitiſſe Diabolum, & negas poſſe eſſe Epiſcopum, qui peccator eſt? Super Cathedram Moyſi ſederunt Scribæ & Phariſæi, & qui non obedierunt eis tanquam Epiſcopis, inobedientiæ rei fuerunt, etiam in ipſum Dominum præcipientem & dicentem* ,, Quæ dicunt facite ,,. *Patet ergo, quamvis Scribæ, quamvis Phariſæi, quamvis videlicet maximi peccatores: propter cathedram tamen Moyſi, ad eos quoquè nihilominùs pertinere quod item dixit* ,, Qui vos audit, me audit: & qui vos ſpernit, me ſpernit ,, (Lucæ 10. v. 16.)

VII. Quintò: Baptiſmum parvulorum, invocationem Sanctorum, orationes pro defunctis rejiciebant, Purgatorium ignem negantes. Nunquid iſti præbuerunt facem Anabaptiſtis, Calviniſtis, & aliis noſtri temporis eadem ſentientibus? Audiant ergo S. Bernardum: *Irrident nos*, inquit, *quòd baptizamus infantes, quòd oramus pro mortuis, quòd Sanctorum ſuffragia poſtulamus. In omni genere hominum, atque in utroque ſexu feſtinant proſcribere Chriſtum, in adultis & parvulis, in vivis & mortuis, hinc quidem infantibus de impoſſibilitate naturæ, inde verò adultis ex difficultate continentiæ præſcribentes.* Dein-

Digitized by Google

Deinde pro Baptiſmo infantium ait: *Quid enim ſi infans pro ſe loqui non poteſt, pro quo vox ſanguinis fratris ſui, & talis fratris, clamat ad Deum de terra? Adſtat & clamat nihilominùs mater Eccleſia. Quid tamen infans? Nonne & ipſe videtur tibi inbiare quodammodo fontibus Salvatoris, vociferari ad Deum, ſuiſque vagitibus clamitare, Domine vim patior reſponde pro me? Flagitat auxilium gratiæ, quia vim patitur à natura* (aliàs ab origine, vel peccato) *Clamat innocentia miſeri, clamat ignorantia parvuli, clamat addicti infirmitas. Ita ergo clamant hæc omnia, ſanguis fratris, fides matris, deſtitutio miſeri, & miſeria deſtituti, & clamatur ad Patrem. Porrò Pater ſe ipſum negare non poteſt, Pater enim eſt. Nemo mihi dicat, quia non habet fidem, cui mater impertit ſuam, involvens illi in Sacramento, quouſque idoneus fiat proprio, non tantùm ſenſu, ſed & aſſenſu evolutam puramque percipere. Numquid breve pallium eſt, ut non poſſit ambos cooperire? Magna eſt Eccleſiæ fides. Numquid minor fide Chananææ mulieris, quam conſtat & filiæ ſufficere potuiſſe & ſibi? Ideò audivit*,, O mulier magna eſt fides tua! fiat tibi ſicut petiſti,,. *Numquid minor fide illorum; qui paralyticum per tegulas demittentes, animæ illi ſimul & corporis obtinuere ſalutem?* ... Pro Baptiſmo infantium alibi egi præcipuè cap. 86. §. 2. agens contra Gandulfum.

VIII. Pro interceſſione Sanctorum, & orationibus pro mortuis, ait S. Bernardus: *Viventium quoquè preces & hoſtias mortui qui opus habebunt, & digni erunt, mediantibus percipient Angelis: & eorum qui jam pervenerunt, viventibus adhuc nequaquam ſolatia deerunt per Deum qui ubique eſt, & in Deo nuſquam affectu caritatis abſentium.* Et infra: *Non credunt ignem purgatorium reſtare poſt mortem; ſed ſtatim animam ſolutam à corpore, vel ad requiem tranſire, vel damnationem. Quærant ergo ab eo qui dixit, quoddam peccatum eſſe, quod neque in hoc ſeculo, neque in futuro remitteretur, cur hoc dixerit, ſi nulla manet in futuro remiſſio, purgatiove peccati.* Hactenus S. Bernardus Purgatorium eſſe ac orationibus mortuos juvari. Et SS. interceſſiones prodeſſe, fusè oſtendi alibi.

IX. Sextò: Quamvis à quocumque juramento caverent, in ſua tamen ſecta diſſimulanda à Priſcillianiſtis edocti, etiam perjurium adhibebant. Ita S. Bernardus Serm. 65. in Cantic. *Quid faciemus*, inquit, *his maligniſſimis vulpibus, ut capi queant, quæ nocere quàm vincere malunt, & ne apparere quidem volunt, ſed ſerpere? Omnibus una intentio hæreticis ſemper fuit captare gloriam de ſingularitate ſcientiæ; ſola iſta malignior cæteris verſutiorque hæreſibus, damnis paſcitur alienis, propriæ gloriæ negligens. Docta, credo, exemplis veterum, quæ proditæ evadere non valebant, ſed confeſtim* ca-

capiebantur, cauta eſt novo maleficii genere operari myſterium iniquitatis eò licentiùs, quò latentiùs. Denique indixere (ut dicitur) latebras ſibi, firmaverunt ſibi ſermonem nequam „ Jura, perjura, ſecretum prodere noli „. *Enim verò aliàs ne tenuiter quidem jurare ullatenus acquieſcunt, propter illud de Evangelio* „ Non jurare, neque per cœlum, neque per terram „. *O ſtulti & tardi corde, repleti planè pharisaico ſpiritu, liquantes culicem, & camelum glutientes! Jurare non licet, & pejerare licet?* &c.

X. Septimò: Tanta erat eorum pertinacia, ut mori potiùs eligerent, quàm converti. Unde idem S. Bernardus Serm. *66.* ait: *Nec rationibus convincuntur, quia non intelligunt: nec auctoritatibus corriguntur, quia non recipiunt; nec flectuntur ſuaſionibus, quia perverſi ſunt. Probatum eſt: Mori magis eligunt quàm converti... Plerumque fideles injectis manibus aliquos ex eis ad medium traxerunt. Quæſiti fidem, cùm, de quibus ſuſpecti videbantur, omnia prorsùs ſuo more negarent, examinati judicio aquæ, mendaces inventi ſunt* (quia nempè aqua eos non ſuſceperat, qui enim crimen mendaciter negaverat, in aquam merſus ab aqua non ſuſcipiebatur: cujus judicii Eugenium II. auctorem fuiſſe ferunt aliqui). *Cùmque jam negare non poſſent, quippè deprehenſi, aquâ eos non recipiente, arrepto, ut dicitur, fræno dentibus tam miſerè, quàm liberè impietatem ſuam non confeſſi, ſed profeſſi ſunt, palàm pietatem adſtruentes, & pro ea mortem ſubire parati. Nec minùs parati inferre qui adſtabant. Itaque irruens in eos populus novos hæreticis ſuæ perfidiæ martyres dedit. Approbamus zelum, ſed factum non ſuademus: quia fides ſuadenda eſt, non imponenda. Quamquam meliùs procul dubio gladio coercentur, illius videlicet: qui non ſinè cauſa gladium portat; quàm in ſuum errorem multos trajicere permittantur* „ Dei enim miniſter ille eſt, vindex in ira ei qui malè agit „.

XI. Quia verò, referente Everuino in Epiſt. ad S.Bernardum, propè Coloniam, ubi hæreſis iſta magis vigebat, duo illius ſectæ, quamvis per triduum admoniti, reſipiſcere noluere, atque ideò à populo rapti, & in ignem conjecti, non ſolùm cum patientia, ſed & cum lætitia in ignem introierunt, propter quod martyres ab aliquibus vocabantur; S. Bernardus hunc errorem tollere volens ait: *Mirantur aliqui, quòd non modò patienter, ſed & læti, ut videbatur, ducerentur ad mortem: ſed qui minùs advertunt, quanta ſit poteſtas Diaboli, non modò in corpora hominum, ſed etiam in corda, quæ ſemel permiſſus poſſederit. Nonne plus eſt ſibimet hominem injicere manus, quàm id libenter ab alio ſuſtinere? Hoc autem in multis potuiſſe Diabolum frequenter experti ſumus, qui ſe ipſos aut ſubmerſerunt, aut ſuſpenderunt. Denique Judas ſuſpendit ſe ipſum, Diabolo*

Digitized by Google

bolo ſinè dubio immittente. Ego tamen majus exiſtimo, magìſque admiror, quòd potuit immiſiſſe in cor ejus, ut traderet Dominum, quàm ut ſemetipſum ſuſpenderet. Nihil ergo ſimile habet conſtantia Martyrum, & pertinacia horum: quia mortis contemtum in illis pietas, in iſtis cordis duritia operatur. Hæc S. Bernardus.

Ante ipſum verò S. Auguſtinus Serm. modò 275. qui eſt de S. Vincentio Martyre 2. *Victores*, inquit, *non tolerantia facit, ſed juſtitia, quoniam Martyres diſcernit cauſa, non pœna. Multi enim dolores tolerarunt pertinaciâ non conſtantiâ; vitio non virtute; pravo errore non rectâ ratione, Diabolo poſſidente non perſequente.*

§. II.

De erroribus Folmari.

I. FOlmarus Præpoſitus Petræ Stillantis, ſeu Triffenſtein in Franconia infra Herbipolim circa annum 1175. novum & inauditum circa modum, quo Corpus & Sanguis Chriſti exiſtit in Euchariſtia, errorem excogitavit, & ſcripto tradidit. Exiſtentiam Corporis & Sanguinis Chriſti in Euchariſtia non negabat quidem: ſed dicebat, ſub ſpecie vini ſolum Chriſti Sanguinem ſumi ſinè carne, ſub ſpecie panis ſolam Chriſti carnem ſinè oſſibus, ſinè membris corporeis, & ſinè humani corporis plenitudine, nec Filium hominis, ſed carnem Filii hominis manducari. Ubi verò caro Chriſti eſt, ibi eſſe dicebat conſequenter & Chriſtum, non pro parte, ſed totum ſeorſim in carne, totum ſeorsùm in ſanguine, totum ſimul in utroque: quod non ad humani corporis integritatem, ſed ad Perſonæ Chriſti individuam unitatem referendum eſt. Ubicumque enim Chriſtus eſt, totus eſt, etſi totum non eſt; ſicut uno eodemque tempore totus in ſepulchro, & totus in Inferno erat, ſed totum non erat, eò quòd trium ſubſtantiarum, quæ unam faciunt in Chriſto perſonam aliquid deerat. In ſepulchro enim erat corpus, ſed deerat anima; in Inferis verò erat anima, ſed deerat corpus. Ita in Euchariſtia ſub qualibet ſpecie eſt totus Chriſtus, ſed non totum. Nam ſub ſpecie vini eſt ſanguis Chriſti, ſed non corpus; & ſub ſpecie panis eſt caro Chriſti, ſed non ſanguis, non oſſa, nec alia corpus integrantia.

II. Hunc ſuum errorem Folmarus ipſe in Epiſtola ad Eberſardum Archiepiſcopum Salisburgenſem ita exponit: *Ego igitur in Sacroſancto Myſterio, ſicut ſpiritualis uvæ meraciſſimum Sanguinem ſub vini ſapore ac ſpecie bibere me quidem, ſed ſolum & purum, ſinè carne non dubito; ita ſolam & puram carnem Chriſti, ſinè oſſibus, ſinè mem-*

membris corporalibus, imò & ſinè humani corporis plenitudine ſub panis ſapore ac ſpecie, manducare me credo, nec Filium hominis, ſed carnem Filii hominis manducare confiteor. Ubi verò caro Chriſti, ibi conſequenter & Chriſtus: non pro parte ſed totus; totus ſeorsùm in carne, totus ſeorsùm in ſanguine, totus ſimul in utroque; nihilo minùs ſeparatus in altero, nihilo magìs in utriſque conjunctis totus eſt integer, non ad humani corporis integritatem, ſed ad Perſonæ Chriſti individuam unitatem arbitror referendum. Oportet enim in Sacramento hoc tam offerre benè, quàm rectè dividere, & naturam Verbi à corporis natura diſtinguere. Ubicumquè enim Chriſtus eſt, etſi totum non eſt, ſicut uno eodemque tempore totus in ſepulchro & totus in Inferno erat, ſed totum non erat, eò quòd trium ſubſtantiarum, quæ unam faciunt in Chriſto Perſonam aliquid deerat.

III. Iſte autem Folmari error refutatur ipſis Chriſti verbis: *Hoc eſt Corpus meum quod pro vobis tradetur*. Non ſola autem pars corporis caro pro nobis tradita eſt, ſed totum & integrum Chriſti corpus: ergo quod in Euchariſtia nobis dat manducandum, totum & integrum corpus ſuum eſt, non ſola caro. Similiter licèt ex modo ſignificandi det nobis ſuum ſanguinem ſeorsùm à corpore, ex parte rei tamen concomitanter cum ſanguine dat nobis etiam ſuum corpus. Quod verò addit *Ubicumque Chriſtus eſt* &c. ſi intelligat, quòd Chriſtus unà cum ſuo corpore ubique ſit, eo quòd corpus Chriſti ubique ſit, errorem Ubiquiſtarum ſtatuit. Nam licèt natura humana in Chriſto perfectè cum Perſona Verbi copulata ſit, non tamen ſub omni & adæquata ratione; & ideò non ſequitur, quòd quidquid convenit Perſonæ Verbi, conveniat naturæ humanæ ipſi unitæ; ſed quantùm capax eſt, & quantùm Verbo placuerit.

IV. Hæretica tamen iſta cogitatio vix concepta & nata, ab ipſo parente ſuo ſuffocata fuit, eam enim publicè retractavit in Epiſtola, quam juſſu Epiſcopi Bambergenſis, Prælatis omnibus Bavariæ & Auſtriæ ſcripſit, his verbis: *Scripſi Domino meo quondam Eberbardo Salzurbenſi Archiepiſcopo de Corpore Domini, quòd omninò non debui; aſſerens, quòd in Altari eſſet quidem verum, ſed non integrum, ideſt non in omnium ſuorum plenitudine ac diſtinctione membrorum; idque videbar mihi cum multis ſapere argumentis & rationibus, immò & auctoritatibus, quas necdum fortè intellexeram, arguiſſe. Quòd ſi quis improbat, & ego: ſi cui diſplicet; & mihi: ſi quis eradit & conſpuit, mecum facit. Confiteor enim, quia non ſolummodo verum, ſed plenum, perfectum & integrum in Altari Corpus eſt Chriſti ibique in humanæ ſubſtantiæ veritate & integritate, ſub aliena licèt ſpecie mirabiliter & inviſibiliter ſumitur, qui ad dexte-*

Digitized by Google

ram Patris viſibiliter dominatur. Quod qualiter in parte ſit totum, in ſingulis integrum, frangatur in forma, nec in eſſentia dividatur confectum . . . . ſupra omnem ſenſum eſt, non solùm hominum, ſed (ut ego reor) Angelorum: nec habet cauſam niſi voluntatem, ſivè potentiam Creatoris. Et hoc quidem in libello, quem de carne & anima Verbi ad Gerochum ſcripſi, pleniùs fortaſſis expreſſum eſt, ſed abſque præjudicio ſententiæ melioris.

Nec enim in quæſtionibus & articulis fidei pudor eſt vel ab hoſte doceri; ubi nemo debet naturalia ſequi, & ſenſum ſuum quaſi ex ratione defendere. Siquidem naturæ uſum & rationis terminos, & Phyſicas ſive Logicas facultates Fidei majeſtas excedit: ideòque ubi fides quæritur, argumenta non valent. Et inde eſt forſitan quòd contra naturæ uſum caput agni cum inteſtinis & pedibus vorare præcipimur, ſed oſſa non confringere: quia quidquid Divinum vel humanum eſt Chriſti, in Sacroſancto Myſterio ſumimus, ſed minimè facti hujus altitudinem inveſtigare præſumimus: Experimento enim didici, quòd opprimatur à gloria, qui contra Legem diſcutit majeſtatem. Utinam hoc Folmari exemplo, & documento commoti moderni reſipiſcerent Novatores, & captivantes intellectum ſuum in obſequium fidei, non quæ ſibi ex ratione humana ſuadentur; ſed quæ Divina dictat fides, humili obſequio amplecterentur. Sed quàm longè abſint ab hoc ſalutari conſilio, ſequentia nimis demonſtrabunt. Monumenta Folmari factum ſpectantia leguntur Tom. 25. Biblioth. PP. Lugdunenſis.

CAPUT XCIII.

De Waldenſibus.

§. I.

De Auctore, & variis Sectæ nominibus.

I. SECTA hæc omnium præcedentium colluvies auctorem habuit Petrum Waldo civem Lugdunenſem circa annum 1160. Occaſio illam condendi ei hæc fuit. Cùm civis quidam Lugdunenſis inter præcipuos coram ipſo & aliis ſubitò interiiſſet, Petrus imagine mortis territus, ingentem pecuniæ quantitatem (erat enim valdè dives) pauperibus erogavit. Hâc beneficentiâ maximam pauperum multitudinem ſibi advinxit, quos voluntariam paupertatem, Chriſti & Apoſtolorum exemplo profiteri, ac ſectari voluit. Cùm autem eſſet aliquantulum literatus,

Novi

Novi Teſtamenti textum vulgari idiomate docere eos cœpit. Quam ob temeritatem reprehenſus à Prælatis Eccleſiaſticis eorum correctionem contemſit, diſcipulis ſuis perſuadens, Clerum, quòd moribus eſſet depravatus, ſanctæ ipſorum vitæ & doctrinæ invidere. Cùmque anathemate à Romano Pontifice confixi eſſent, ipſum nihili fecerunt. Iſta conſtant ex Raynerio, qui quondam inter Waldenſes Epiſcopus, Dei aſpirante gratiâ ad Catholicam fidem converſus Ordini Fratrum Prædicatorum nomen dedit, ſcripſitque Opuſculum de Hæreticis, quod penè totum eſt de Waldenſium ſecta ejuſque ſurculis. Floruit autem Raynerius circa annum 1254.

II. Variis nominibus hi Hæretici appellati ſunt, nimirùm, *Waldenſes* à Petro Waldo ſectæ auctore; *Leoniſtæ* & *Pauperes de Lugduno* ab Urbe, ex qua eruperunt; *Picardi*, *Albigenſes*, *Lombardi*, *Bohemi*, *Bulgari*, quia in his regionibus graſſabantur. *Arnoldiſtæ*, *Eſperoniſtæ*, *Joſephiſtæ*, *Lollardi*, à variis eorum doctoribus; *Patareni*, quòd ſe perſecutiones pati gloriarentur; *Cathari* ideſt Boni homines ob apparentem morum integritatem. *Texerant*, quia plerique infimæ ſortis artifices & textores; *Poplicani* quoquè, *Tarlupini*, *Ribaldi*, *Piphles* à Catholicis vocati ſunt in odium, & execrationem ſectæ; *Inzabbatbati*, quia in calceo, quem Hiſpani *Zapato* appellant, ſignum ſpeciale ad modum ſcuti deferebant, inquit Eymericus; Vel *Inſabbatbati*, quòd nulla Sabbatha, ſeu feſtivos dies celebrarent, nec à ſuis ceſſarent operis diebus apud Catholicos ſolemnibus, Chriſti, Beatæ Virginis, & Sanctorum cultui conſecratis.

§. II.

Waldenſium errores circa Eccleſiam.

I. WAldenſium errores (inquit Alexandre in Hiſt. Seculi 11. & 12. cap. 4. art. 13. ſ. 2.) omnium accuratiſſimè recenſuit Rainerus, ſeu Raynerius, cui ſanè fides adhibenda eſt. Cùm enim olim Waldenſium fuerit Epiſcopus, illius ſectæ doctrinam & mores optimè noverat. Igitur Waldenſium errores in tria capita dividit. Primum continet blaſphemias in Romanam Eccleſiam & ſtatuta ipſius & Clerum; Secundum errores circa Sacramenta & Sanctos; Tertium execrationes, quibus honeſtas quaſvis Eccleſiæ conſuetudines lacerant & execrantur. Hæc omnia Lectoris mei oculis ſubjiciam, ut videns ferè in omnibus convenire cum iis, qui noſtris temporibus ſe Evangelicos prædicant, inferat, ex quibus fontibus eorum doctrina manarit.

II. Primum erroris caput contra Eccleſiam Romanam blaſphemabat. Dicebant enim, quòd Romana Eccleſia non ſit Eccleſia Jeſu Chriſti, ſed Eccleſia malignantium, eamque ſub Silveſtro defeciſſe, cùm venenum poſſeſſionum temporalium in eam transfuſum fuit; Sectam ſuam eſſe Eccleſiam Chriſti, quia doctrinam Chriſti, Evangelii & Apoſtolorum verbo & exemplo præferebat, Romanam verò Eccleſiam eſſe meretricem magnam in Apocalypſi deſcriptam ob ſuperfluam pompam & ornatum, omnium errorum ſentinam & magiſtram, & qui eam ſequuntur, maximè Eccleſiaſtici Ordinis, hæreticos eſſe & infideles, ſe verò ſolos juſtos, fideles ac doctrinæ Evangelicæ veros ac puros obſervatores. Ideòque ipſos eſſe verè pauperes, & perſecutionem propter juſtitiam & fidem pati; & omnia ſtatuta Eccleſiæ ob multitudinem & gravitatem importabilia eſſe contemnenda.

III. Secundum erroris caput Papam & Prælatos Eccleſiæ impetebat: Papam eſſe omnium errorum caput, Prælatos eſſe Scribas, Religioſos verò Phariſæos, alligant enim aliis onera importabilia, digito autem ſuo nolunt ea movere, & feſtucam in oculis aliorum vident, trabem verò in oculis ſuis non vident, quos reprehendit Chriſtus Matth. 23. v.4. & Matth. 7. v.3. Romanum Pontificem & omnes Epiſcopos homicidas eſſe propter bella ab ipſis approbata, vel decreta. Uni Deo parendum eſſe non Prælatis. Neminem in Eccleſia eſſe majorem altero ſecundùm illud Matth. 23. *Omnes vos fratres eſtis*. Nec genua flectenda eſſe Sacerdoti, ſiquidem Angelus in Apocalypſi S. Joanni dixit: *Vide ne feceris*.

IV. Tertium erroris caput bona & jura Eccleſiæ evertebat. Dicebant enim, Decimas Eccleſiæ ſolvendas non eſſe: ſiquidem Eccleſiæ primitivæ non ſolvebantur. Clericos poſſeſſiones habere illicitum eſſe juxta illud Deuteron. 18. *Non habebunt Sacerdotes, & omnes qui de Tribu Levi ſunt, partem & hæreditatem cum populo Iſrael, quia ſacrificia comedunt, & nihil aliud accipient*. Rursùs Clericos & Clauſtrales præbendas habere non debere. Epiſcopos & Abbates jura Regalia obtinere non poſſe. Malum eſſe fundere & dotare Eccleſias & Clauſtra. Item non eſſe condenda pro Eccleſiis teſtamenta. Nullum Eccleſiæ cenſualem fieri debere. Clericos omnes manibus operari debere Apoſtolorum exemplo.

Præterea. Nomina Prælationem Eccleſiaſticam ſignificantia, ut *Papa*, *Epiſcopus* &c. reprobant. Officia Eccleſiaſtica inania ducunt, privilegia & immunitates Eccleſiæ, Perſonarum, & rerum Eccleſiaſticarum aſpernantur; Concilia, Conventus, Synodos Eccleſiæ Catholicæ nihili faciunt. Omnia jura Parochialia velut humanas adinventiones explodunt. Obſervantias regulares Ordinum

num Religioſorum Phariſaicis traditionibus annumerant. Tandem ad fidem neminem eſſe cogendum dicunt.

§. III.

Errores Waldenſium contra Sacramenta.

I. Omnia Eccleſiæ Sacramenta, inquit Raynerus, vel tollunt, vel potiùs in omnibus errant. Duo tantùm Sacramenta ſe credere profitentur, Baptiſmum & Euchariſtiam. In his tamen errant. In Baptiſmo quidem primò: Quia Catechiſmum in Baptiſmo inanem putant. Secundò: Quia omnes exorciſmos, benedictiones, cæteraſque Baptiſmi cæremonias rejiciunt. Tertiò: Quia Baptiſmum infantibus vel nihil prodeſſe, vel ſaltem neceſſarium non eſſe dicunt. Infantes quidem ſuos baptizandos offerunt: abſque tamen Baptiſmo ſalvari poſſe credunt. Hoc patet, tum quia potiùs abſque hoc Sacramento ex hac vita migrare, quàm ab Eccleſiæ Sacerdotibus baptizari patiebantur; & abſentibus Barbis, ſeu Paſtoribus ſuis, eos non baptizabant, quamvis in mortis diſcrimine conſtitutos. Tum quia in eorum Confeſſione fidei, quam Kalendarium ſpirituale appellant, de Sacramentis ita loquuntur: *Credimus Sacramenta eſſe ſigna rei ſanctæ, aut formas viſibiles gratiæ inviſibilis. Bonum eſſe perſuaſi, ut fideles quandoque hujuſmodi ſignis aut formis utantur, ſi fieri poteſt. Credimus nihilominus & tenemus, prædictos fideles ſalvari poſſe, etiamſi hujuſmodi ſigna non recipiant, cum illis utendi locus deeſt, aut modus.*

II. In Euchariſtia etiam errabant. Primò: Quia eam à Sacerdotibus in peccato mortali confici poſſe negabant. Sed eam confici in ore ſumentis aſſerebant, non in manu indigni miniſtri: confici autem in menſa communi, verbiſque vulgaribus vulgari idiomate. Secundò: Miſſam ceù inanem ritum ab Apoſtolis minimè traditum, ſed quæſtus gratiâ adinventum repudiabant. Tertiò: Tranſubſtantiationem panis & vini in Corpus & Sanguinem Chriſti, ſicut realem Corporis & Sanguinis Chriſti præſentiam eos non admiſiſſe, ex eorum Libro de Antichriſto cap.4. conſtat, ubi dicitur: *Manducatio panis Sacramentalis eſt manducatio Corporis Chriſti in figura.* Quod teſtatur Ebrardus de Bethunia Lib. Antihæreſeos cap.8. de eis dicens: *Sacræ quidem cœnæ myſteria neſcientes, Panis benedictionem à Deo nobis collatam floccipendunt. Dixit enim*,, Hoc facite in meam commemorationem,,. *Et quod Chriſtus Corpus ſuum eſſe dixit, tanquam Judæ ſucceſſores, Corpus Chriſti non affirmant, imò negant.* Quartò: Quia Euchariſtiam non in altari, ſed in

in menſa, & ſemel tantùm in anno, ſcilicet in Cœna Domini, & tunc quaſi propè noctem celebrabant, in hunc modum. Paratâ menſâ, ac ſuperpoſito pane azymo ac ſcypho vini boni & puri, ille qui præerat adſtantibus omnibus injungebat, ut à Deo peterent veniam ſuorum peccatorum, ac deindè ſepties *Pater noſter* flexis genibus recitarent. Poſtea verò qui conſecrabat benedicto pane & calice, omnibus qui aderant ſtantibus diſpenſabat, & quod ſupererat in annum ſequentem conſumendum reſervabatur: adeò ut per anni ſpatium ægrotantibus ad mortem non darent, niſi panem benedictum & vinum. Ita refert inter alia Du Pleſſis de Novis erroribus, agens de modo quo Pauperes de Lugduno conficiunt.

III. Secundò: Cætera Sacramenta rejiciebant. Sacramentum Confirmationis reprobabant, ut conſtat ex eorum Libro de Antichriſto cap. 4. & teſtatur Ebrardus de Bethunia cap. 11. Antihæreſeos.

IV. Tertiò: De Pœnitentia ita ſentiebant. Neminem ab improbo Sacerdote abſolvi. Bonum laicum abſolvendi poteſtatem habere. Hinc probo laico potiùs, quàm malo Sacerdoti confitenda peccata, nec graves pœnitentias eſſe imponendas, ſed exemplo Chriſti peccatori dicendum: *Vade, & ampliùs noli peccare*. Hinc Pœnitentiam è numero Sacramentorum expungebant, & Confeſſionis Sacramentalis coram Sacerdote faciendæ nullam neceſſitatem agnoſcebant, ſed Chriſtianis omnibus audiendarum Confeſſionum ſicut & peccata remittendi poteſtatem, quam Chriſtus ſolis Apoſtolis conceſſit Jo. 20. v. 13., ipſi tribuebant; moti ex illo Jacobi 5. v. 16. *Confitemini alterutrum peccata veſtra, & orate pro invicem ut ſalvemini*. Id teſtatur Claudius Seyſellus fol. 53. & fol. 8. ait *Dimittendorum peccatorum nullam Sacerdotes noſtros poteſtatem habere apertè proteſtantur, ac proinde neque illis confitendum eſſe affirmant*.

V. Quartò: E numero Sacramentorum Matrimonium delebant, non tamen abſolutè damnabant, imò dicebant, mortaliter peccare conjuges, ſi abſque ſpe prolis conveniant; ex quo fit, eos exiſtimare conjuges non peccare, ſi ſpe prolis convenirent. Errabant tamen primò, quia gradus affinitatis & conſanguinitatis, tam carnalis, quàm ſpiritualis, & alia impedimenta, tum Ordinis, tum publicæ honeſtatis; aliaque & cætera ab Eccleſia ſtatuta reprobabant; unde inferebant, non peccare hominem, etſi conſanguineam, aut etiam ſororem in uxorem ducat. Secundò, quia Eccleſiam damnabant quòd continentiam Clericis indixerit. Et quòd continentes oſculis & amplexibus non peccare aſſererent.

VI. Quintò: Sacramentum Ordinis è Sacramentis ejiciebant, pro-

probum quemlibet laicum Sacerdotem eſſe dicentes, ut ex ipſorum Libro de Antichriſto c. 4. refert Perrinus Lib. 1. de Doctrina Waldenſium, cui jungitur etiam Seyſellus fol. 52. Errorem hunc ſuum S. Petri oraculo tuebantur dicentis Epiſt. 1. cap. 2. de omnibus Chriſtianis v. 9. *Vos autem Genus electum, Regale Sacerdotium, Gens ſancta, populus acquiſitionis, ut virtutes annuntietis ejus, qui de tenebris vos vocavit in admirabile lumen ſuum.* Et cap. 4. v. 10. *Unuſquiſque ſicut accepit gratiam in alterutrum illam adminiſtrantes, ſicut boni diſpenſatores multiformis gratiæ Dei.*

Ex his inferebant, laicis omnibus, quin etiam mulieribus, prædicandi facultatem fuiſſe tributam: quod colligebant etiam ex verbis Pauli 1. ad Cor. cap. 14. v. 5. *Volo vos loqui linguis .... ut Eccleſia ædificationem accipiat.* Et Jacobi c. 4. v. 17. *Scienti bonum facere & non facienti, peccatum eſt illi.* Unde colligebant, omnes qui Verbum Dei prædicare ſciunt, eo munere fungi debere. Item ex illo loco S. Marci cap. 9. ubi diſcipuli Chriſto dixere: *Magiſter, vidimus quemdam in nomine tuo Dæmonia ejicientem, qui non ſequitur nos, & prohibuimus eum. Jeſus autem ait: Nolite prohibere eum. Nemo eſt enim qui faciat virtutem in nomine meo, & poſſit citò malè loqui de me. Qui enim non eſt adversùm vos, pro vobis eſt.* Ecce, inquiebant, iſte non ſequebatur Apoſtolos: & tamen quia Dæmonia ejiciebat in nomine Chriſti, Dominus imperat eis, ne prohibeant. Igitur ſi Chriſti nomen prædicamus, quamvis Epiſcopos, & alios Sacerdotes non ſequamur, non tamen debent nos prohibere. Hæc & alia referunt Reynerus, & Bernardus Abbas de Fonte Calido Lib. contra Waldenſes cap. 4. & 8. ubi hunc errorem refellit.

VII. Sextò: Sacramentum Extremæ Unctionis rejiciebant. Id conſtat ex eorum Libro de Antichriſto cap. 4. apud Perrinum, ex Reynero, & Ebrardo de Bethunia cap. 11. Loco autem Extremæ Unctionis *Conſolamentum* (ut vocabant) adhibebant, teſte Ermengardo Lib. contra Waldenſes cap. 4. cujus Ritum ita deſcribit:
„ Qui major, vel Ordinatus dicitur, ablutis manibus, Librum
„ Evangeliorum tenens, eum, vel eos qui ad Conſolamentum re-
„ cipiendum conveniunt, admonet, ut ſpem ſalutis in Deo, & in
„ eo Conſolamento ponat. Et ſic ſuper capita eorum Libro poſi-
„ to, Orationem Dominicam ſepties dicunt, & S. Joannis Evan-
„ gelium *In principio* &c. uſque ad hæc verba *Gratia & veritas*
„ *per Jeſum Chriſtum facta eſt.* Viris abſentibus mulieres conſola-
„ mentum infirmis faciebant „. Eo peccatorum omnium remiſſionem abſque ſatisfactione ulla conſequi ſe credebant. Infirmum inter alia adhortabantur, ut certam fiduciam & ſecuritatem remiſ-

miſſionis peccatorum per merita Chriſti haberet: quod & nunc faciunt Calviniſtæ, & cum hoc Viatico mittunt homines ad Inferos.

§. IV.

Waldenſium errores circa alia.

I. Primò: Solum Scripturæ Sacræ textum, ſuo privato ſpiritu intellectum recipiebant, Traditionem, Expoſitiones Patrum, Decreta & Decretales abjiciebant, habentes pro fabulis quidquid præter textum Bibliorum à Prædicatoribus diceretur. Id præter Reynerum Claudius Seyſellus fol. 10.

II. Secundò: Excommunicationem aliaſque cenſuras Eccleſiaſticas contemnebant, teſte Reynero. Quod tamen intelligendum eſt de cenſuris à Prælatis Eccleſiæ Catholicæ Apoſtolicæ & Romanæ latis. Nam poteſtatem excommunicandi contumaces Eccleſiæ à Chriſto collatam credebant, & excommunicatos omni Eccleſiæ auxilio, miniſterio, conſortio, & unione privari dicebant, ut docet Liber ab ipſis editus de Diſciplina Sectæ apud Perrinum in Hiſtoria Waldenſium & Albigenſium. Sed quia Sectam dumtaxat ſuam veram eſſe contendebant, auctoritatem excommunicandi apud ſe ſolos ajebant reſidere.

III. Tertiò: Diſpenſationes Eccleſiæ & Indulgentias, necnon Sacras Peregrinationes deridebant. Id referunt Reynerus, Pilichdorffius hos refellens errores, & Claudius Seyſellus Taurinenſis Archiepiſcopus, qui poteſtatem concedendi Indulgentias egregiè vendicat.

IV. Quartò: Sanctorum invocationem impugnabant, Reliquias, Translationes, Sanctorum Canonizationes, Vigilias, Feſtivitates eorum contemnebant. Miraculis ad ipſorum monumenta patratis nullam adhibebant fidem. Id aſſerunt Reynerus, Pilichdorffius cap. 16. & 20. Ermengardus cap. 10. & Claudius Seyſellus qui ait „ Sanctos electos Dei, immo & ipſam Chriſti Genitricem „ honorandos negant, illiſque cæremoniarum cultum prohibent „ exhiberi, hoc pacto Divinæ Majeſtati derogatum iri reputan- „ tes „. Quòd ipſe dixit: *Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſervies*. Quod & Apoſtolus confirmat dicens: *Soli Deo honor & gloria*. Conſtat hoc ex eorum Confeſſione fidei exarata in eorum Libro, qui inſcribitur *Kalendarium ſpirituale*, à Paulo Perrino exſcriptâ in Hiſt. Waldenſium cap. 12. Ex Libro eorum de Antichriſto cap. 3. & ex eorum Catechiſmo apud eundem Perrinum Lib. 1. de Doctrina Waldenſium, ubi Beatam Virginem Mariam gra-

Digitized by Google

gratiâ quidem plenam confitentur, ſed in ſe ipſa (inquiunt) non ut eam aliis communicet, quod unius Chriſti proprium eſt, de quo legimus: *De plenitudine ejus omnes accepimus & gratiam pro gratia.*

V. Quintò: Crucem Chriſti ejuſque ſignum & Sanctorum Imagines execrabantur. Hoc præter Reynerum teſtantur Pilichdorffius cap. 33. & Ebrardus de Bethunia cap. 17., eorum errorem circa Crucem Domini ejuſque Signum refellentes. Hunc apertè aſtruunt in Expoſitione Decalogi inſerta in eorum Libro de Virtutibus, ex quo eam exhibet Perrinus Lib. 1. de Doctr. Waldenſium cap. 3. Hunc errorem cap. 80. in Iconomachis, Cap. 84. §. 1. in Claudio Taurinenſi, Cap. 86. §. 1. in Gandulfo, & alibi in modernis Acatholicis quoad hunc & alios errores vera Waldenſium progenie, refutavi.

VI. Sextò: Purgatorium negabant, duos tantum ſtatus, & loca duo animarum poſt mortem admittentes, æternam beatitudinem & æternam damnationem, Cœlum & Infernum. Ita præfati Auctores. Claudius tamen Seyſellus (qui in Vallibus Sabaudiæ & Pedemontium pro eorum converſione multum laboravit, & cui proinde noti erant eorum errores) dicit, eos abſolutè non negare, Purgatorium eſſe poſſe, ſed duas tantum vias eſſe poſt mortem ex Scripturis ſe didiciſſe: de tertia ſibi non conſtare, ideòque à precibus pro defunctis abſtinere. Quo poſito ſic contra eos diſcurrit,, Concedamus & hanc rem in ambiguo eſſe: nonnè multò ,, humanius eſt & præſtabilius ſecuriorem hanc viam amplecti: ,, ex qua nihil omninò evenire poſſit mali, etiamſi proficiat nihil? Ex ipſa mentis pietate præmium aliquod expectare à Deo ,, poſſumus: ſicut & qui eleemoſynam facit ei, quem & bonum ,, putat & pauperem, cùm ſit dives & malus. Si enim Chriſto ,, credimus, non perdet hic mercedem ſuam. Igitur ſi verum eſt ,, quod tui Barbæ aſſeverant, nihil perdis, imò etiam Deum tibi ,, propitias. Si vera eſt Romanæ Eccleſiæ in hoc articulo fides, ,, non modò ſi non facis, maximum præmium amittis, verùm cum ,, ſumma ingratitudine ſummam committis impietatem: utpotè ,, qui cum exigua re inæſtimabile beneficium proximis tuis conferre faciIlimè poſſis, illud aut deneges aut negligas. Quis ,, enim non eum crudelem exiſtimaret, qui parenti vel amico ,, ægrotanti eâ ratione medicorum & medicaminum opera negaret, quòd an profutura ſint non habeat compertum,,? Sic ad hominem contra ipſos arguit doctiſſimus Archipræſul.

VII. Septimò: Eccleſiâs, Altaria, eorumque conſecrationes, ornatum, & ſacram ſupellectilem, ſacerdotalia indumenta, lu-

minaria, thurificationes, aquam benedictam, alioſque ſacros ritus rejiciebant, & deridebant: Deum in Templis habitare negantes; quòd ſcriptum ſit Act. 17. v. 24. quòd Deus *Non in manufactis templis habitat*. Nec majoris virtutis eſſe orationes fuſas in Templo, quàm in cubiculo: ad ſuum errorem detorquentes verba Chriſti Matthæi 6. v. 6. *Tu autem cùm oraveris intra in cubiculum tuum* &c. Cùm tamen Chriſtus ipſe Templum Domum Orationis vocaverit Lucæ 19. v. 46. *Scriptum eſt quia Domus mea Domus orationis vocabitur*, & eam profanantes flagello ejecerit. Ex Eccleſiarum contemtu fiebat, ut ſacram ſepulturam deſpicerent, melius non eſſe aſſerentes, ut defuncti hominis cadaver in cœmeterio, quàm in agro aut alio profano loco ſepeliatur.

Confraternitates etiam contemnebant, quaſi propter quæſtum inſtitutas, & piam fidelium conſuetudinem Sanctos in Altari Patronos eligentium. Exorciſmos pariter & omnem Eccleſiæ curam circa energumenos irridebant, aſſerentes nullum hominum à tempore Paſſionis Chriſti poſſe à Dæmone vexari.

VIII. Octavò: Jejunia Eccleſiæ quaſi idololatriam & ſuperſtitionem redolentia averſabantur, liberum eſſe cuivis Chriſtiano, quolibet die & horâ manducare, vel jejunare. Id conſtat ex ipſorum Libro de Antichriſto cap. 4. apud Perrinum Lib. 3. de Doctrina Waldenſium, & Seyſello. Hoc amplexi ſunt inter alia moderni Pſeudo-Reformati.

IX. Nonò: Nullum peccatum eſſe veniale, ſed omnia mortalia aſſerebant. Item Juramentum nullum eſſe licitum, etiam in judicio, & peccatum mortale eſſe dicebant, freti verbis Chriſti Matth. 5. v. 34. *Nolite jurare omnino . . . ſermo veſter ſit: eſt, eſt, non, non*. Contra hunc errorem ſupra egi cap. 80. de Bagnolenſibus §. 1. Hinc perfecti inter eos potiùs mori, quàm jurare eligebant. Qui verò apud eos imperfecti erant; jurabant impoſitâ ſibi neceſſitate, coactionis vel metus vel prodendi arcani periculo juramentum excuſantes. Homicidium quocumque modo, etiam in vindictam criminum à Judice mandatum, peccatum mortale eſſe dicebant: ſoli enim Deo vindictam eſſe reſervandam aſſerentes; utebantur dicto Pauli Rom. 12. 19. *Mihi vindicta & ego retribuam*, & Chriſti Matth. 13. v. 29., qui petentibus an zizania eſſet eradicanda à tritico, reſpondit, non: ſed *ſinite utraque creſcere uſque ad meſſem*. Hoc tamen aliqui eorum non ita defendunt, ut aliqua homicidia non excuſent, ea ſcilicet, quæ ex rationabili cauſa, & ex lege ſunt permiſſa, ſatiſque illis foret, ut ob hæreſim ſuam in eos poteſtas ſecularis corporali pœnâ non animadverteret. Cæterùm ſeculares Magiſtratus pœnam capitis in malefactores jure de-

decernere docuerunt in Libro quem inſcripſere *Lumen & Theſaurum fidei*. Unde oppoſitum Catharis potiùs quàm puris Waldenſibus tribuendum videtur.

Hi enim licèt Principes ac Judices in æternum damnari aſſererent, eis tamen reverentiam & obedientiam præſtandam docent in Confeſſione fidei apud Perrinum in Hiſtoria Waldenſium cap. 12. his verbis: *Honorem debemus ſeculari Poteſtati, in ſubjectione, obedientia, promto animo, & ſolutione tributorum*.

§. V.

Waldenſes in varias ſectas diviſi.

I. HÆreſis hæc non ſolùm, ut ſupra dixi, variis nominibus fuit appellata, ſed velut hydra diverſas ſectas tanquam diverſa capita produxit, adeòque ſibi invicem contrarias, ut in hoc ſolùm convenirent, ut unaquæque errores erroribus adderet; & illi contingeret, quod ædificatoribus Turris Babel in pœnam accidit, ut unus unâ, alius aliâ lingua loqueretur, nec intelligeret unuſquiſque vocem proximi ſui. Sectas has recenſet Reynerus cap. 6. Libri ſui de Hæreticis.

II. Primam ſectam conſtituebant *Runcarii*, qui ad Waldenſium dogmata infamem illum errorem addebant, quòd *Nullus poterat peccare à cingulo deorſum, quia Dominus ait: Ex corde exeunt fornicationes*. Quare hujus ſectæ miniſter quidam nomine Eurandus, qui ut licitam exercebat & profitebatur ſodomiam, Pariſiis captus, & pertinax igni traditus, maluit Sodomæ civis mori, quàm Eccleſiæ filius vivere.

III. Secundam formabant *Sciſcidenſes*, qui à Waldenſibus eo differebant, quòd Euchariſtiam recipiebant.

IV. Tertiam *Ortlibenſes*, qui de Articulis Fidei interrogati, omnes confitebantur, ſed myſticè intelligebant. Trinitatem fuiſſe negabant ante Nativitatem Chriſti. Tunc primùm habuiſſe Filium Jeſum dicebant ex Joſeph ſemine natum, quem B. Virgo in ſectam eorum traxit: quâ ratione Filius Dei factus eſt. Ipſo verò prædicante acceſſiſſe tertiam Perſonam, nempè S. Petrum ejus cooperatorem, eumque eſſe Spiritum Sanctum. Mundum æternum eſſe. Reſurrectionem corporum vitamque æternam ſpirituum nullas eſſe. Tunc Judicium ſupremum futurum, cùm Papa & Imperator ad eorum ſectam convertentur. De Paſſione, Reſurrectione, aliiſque Chriſti Myſteriis nihil credebant. Filium Dei ſuſcepiſſe Crucem, ideſt, veram pœnitentiam ſive vitam ipſorum,

in quam peccatum mortale non cadit. Baptiſmum nihil valere, niſi quantum valent merita baptizantis. Parvulis non prodeſſe. Judæos in ſecta ſua ſinè Baptiſmo ſalvari. Corpus Chriſti eſſe purum panem. Corpus verò ipſorum eſſe verum Chriſti Corpus. Matrimonium licitum eſſe ac bonum, ſi conjugati continenter vivant, cæterùm carnalem copulam malam eſſe.

V. Quartam *Ordibarii*, qui Mundum non habere principium aſſerebant. Chriſtum filium fuiſſe Joſeph & Mariæ, peccatorem, qui ſectam ipſorum reſtaurando ſalvus factus ſit. Hunc paſſum non fuiſſe. Ipſos eſſe Patrem & Filium & Spiritum Sanctum: Illum nempè eſſe Patrem, qui primò ſectam ipſorum intraret: Filium eſſe illum, qui ejus prædicatione ad ſectam traheretur: Spiritum Sanctum, qui in ſecta ipſorum eſſet perfectus. Et alia quæ æquè inſanos & blaſphemos eos demonſtrabant.

VI. Quintam *Cathari* conſtituebant. His teſte Reynero communes erant opiniones. Quòd Diabolus fecit hunc Mundum & omnia quæ in eo ſunt: Quòd Baptiſmus & cætera Sacramenta nihil proſunt ad ſalutem, nec eſſe vera Chriſti & ejus Eccleſiæ Sacramenta, ſed deceptoria, diabolica, & Eccleſiæ malignantium. Matrimonium & ejus actum peccatum eſſe mortale, nec à Deo graviùs puniri homines propter adulterium & inceſtum, quàm propter connubium. Carnis reſurrectionem futuram negant. Eſum carnium, ovorum, vel caſei, urgente etiam neceſſitate lethalis peccati damnant & hoc quia omnis caro immunda eſt, utpotè ex coitu nata & factura Diaboli. Item quòd in nullo caſu jurare liceat. Quòd Poteſtates ſeculares mortaliter peccent puniendo capitali pœna malefactores vel hæreticos. Quòd nemo poſſit ſalvus fieri, niſi per eos. Quòd parvuli baptizati non leviùs punientur, quàm homicidæ & latrones. In hoc tamen diſſident Albanenſes dicentes, quòd nulla creatura boni Dei peribit. Omnes etiam negant Purgatorium. Eſt etiam communis omnium Catharorum opinio, quòd peccaret graviusquicumque ex iis occideret ſpontè avem aliquam à minima avicula uſque ad maximam, & quadrupedia à muſtella uſque ad elephantem. De cæteris tamen animalibus non ſic dicitur. Hæc ex Raynero communia erant Catharorum deliramenta.

VII. Catharos tres in ſectas diviſos Raynerus memorat. *Albanenſes*, *Cantorezenſes*, *Bagnolenſes*, qui in Longobardia potiſſimum graſſabantur. Albanenſium duæ factiones erant: unius caput eminebat *Gileſinanza* Veronenſis Epiſcopus: alterius *Joannes de Lugduno* (ſivè de Lugio) Bergomenſis Antiſtes. Prioris factionis Albanenſes, præter communes Catharorum errores præcitatos, aper-

apertiùs aſſerebant, duo Principia, Boni nempè & Mali. Item quòd Trinitas, Pater, Filius, & Spiritus Sanctus non ſunt unus Deus, ſed quòd Pater major eſt Filio, & Spiritus Sancto. Utrumque Principium, ſivè uterque Deus creavit ſuos Angelos & ſuum Mundum; ſed Mundus iſte creatus & formatus eſt à Malo Deo, & omnia quæ in eo ſunt. Addebant, quòd Diabolus cum Angelis ſuis in Cœlum aſcendens commiſſo prælio cum Michaele Archangelo & Angelis boni Dei, tertiam partem creaturarum boni Dei indè extraxit, & eas quotidiè infundit in corporibus hominum, & in brutis, & de uno corpore tranſmittit in aliud, donec dictæ creaturæ reducantur in Cœlum; & has vocant populum Dei, animas & oves Iſrael. Item quòd Filius Dei non aſſumſit humanam naturam in veritate, ſed ejus ſimilem in Beata Virgine, quam dicunt fuiſſe Angelum: ac proindè nec verè comedit & bibit, nec verè paſſus, mortuus & ſepultus eſt, nec ejus reſurrectio fuit vera; ſed fuerunt hæc omnia putativè, ſicut de eo dicitur in Luca, *ut putabatur filius Joſeph*. Similiter de miraculis quæ ipſe fecit. Addebant, quòd Abraham, Iſaac, & Jacob, & Moyſes & cæteri Patres antiqui, atque Beatus Joannes Baptiſta fuerunt inimici Dei & miniſtri Diaboli, qui, ut ajebant, fuit Auctor totius Veteris Teſtamenti, exceptis Libris Job, Pſalmorum, Salomonis, Sapientiæ, Jeſu filii Sirach (ideſt Eccleſiaſtici) & Libris omnium Prophetarum, quorum aliquos (nempè illos qui ſcripti fuerant ante deſtructionem Jeruſalem, quam Jeruſalem Cœleſtem fingebant) in Cœlo fuiſſe ſcriptos ſomniabant. Item dicebant, quòd Mundus iſte numquam habebit finem. Quòd Judicium futurum jam factum eſt, nec ampliùs fiet. Et quòd Infernus, & ignis æternus, ſive pœnæ æternæ ſunt in hoc mundo tantùm. Hæc Reynerus, qui concludit, quòd has omnes opiniones tenebant omnes Albanenſes generaliter in prædicto tempore, exceptis ſimplicioribus, quibus ſingula non revelabantur.

VIII. Altera *Albanenſium* factio Joannem de Lugduno (ſive de Lugio) auctorem habens, aliquas præfatarum opinionum tenebat, & aliquas mutavit in pejus, & alios de ſuo addidit errores, ut infra patebit, Primò enim duo quidem principia unum boni, alterum mali ponebat. Sed principium mali in omnium vitiorum cauſa collocabat, quæ Deos, vel Deas appellabat. Cùmque omnium iſtorum radix ſit malitia vel cupiditas, hanc omnium malorum primum principium ponebat. Secundò, creare non eſſe ex nihilo aliquid facere, ſed ex præjacente materia; vel mutando de bono in melius, quo modo Chriſtus fuit à Patre creatus, juxta illud Iſaiæ *Ego Deus creavi eum*; vel de malo faciendo bonum, ut Apoſto-

ſtolus dicit, *creati in Chriſto in operibus bonis*; vel de malo in pejus mutando. Tertiò, dicebat omnes creaturas eſſe ab æterno, bonas cum Deo bono, & malas cum malo: Creatores autem non præcedere creaturas æternitate, ſed causâ & naturâ, ita ut creatura exeat à Deo ab æterno, ſicut radius à ſole, qui non præcedit radios ſuos tempore, ſed tantùm causâ vel naturâ. Has ad alterum mundum pertinere dicebat: Hunc enim adſpectabilem à Diabolo, vel potiùs à poteſtate vel patre Diaboli factum, nec principium durationis habuiſſe nec finem habiturum. Deum bonum habere alium mundum, in quo ſunt homines & animalia, & omnia iſtis viſibilibus ſimilia, ac ibi fieri conjugia, fornicationes, & adulteria. Addens quòd populus boni Dei contra præceptum ipſius duxerit aliquando filias mali Dei in uxores, ex quo concubitu vetito nati ſint gigantes, & alii multi diverſis temporibus.

Deum bonum non eſſe omnipotentem blaſphemabat. Velle quidem quantum in ſe eſt omnia bona in ſuis cteaturis: ſed hanc Dei voluntatem impediri à Deo malo hoſte ſuo, cum quo ab æterno habuit bellum. Unde concludebat, quòd bonus Deus non potuit facere perfectas creaturas, quamvis hoc voluerit, & hoc propter reſiſtentiam mali Dei, qui malitiam inſeruit ab æterno in eis. Indè inferebat, nihil eſſe, nec etiam ipſum Deum, quod habeat liberum arbitrium quod vult faciendi. In omni creatura etiam in Chriſto adeſſe potentiam peccandi, ita tamen in eo fuiſſe à bono Deo oppreſſam, ut ſuo caruerit effectu. Deum bonum vi ſcientiæ ſuæ non præſcire mala quæ ipſe non facit, ea tamen punire facta à populo ſuo, & propterea miſiſſe diluvium, & aliis pœnis populum Iſrael mulctaſſe.

Animas de corpore in corpus tranſmutandas credebat, & omnes in fine à pœna & culpa liberandas. Omnes Scripturæ Sacræ Libros Divinos eſſe: at in alio mundo ſcriptos, in quo etiam Adam & Evam conditos dicebat. Veteres Patriarchas & Prophetas, necnon S. Joannem Baptiſtam, Deo placuiſſe, ſed alterius mundi homines fuiſſe. Chriſtum verè natum, mortuum, ſepultum, verè etiam reſurrexiſſe. Sed hæc omnia in mundo ſuperiori geſta, & non iſto, quem vocabat Infernum, ad quem deſcendit Chriſtus, ut animas liberaret. Has & alias hujus Hæreſiarchæ inſanas blaſphemias in ſuo Libro ab ipſo edito ſe legiſſe Reynerus teſtatur.

IX. Tertiam Albanenſium *Catharorum* ſectam Mediolani circa annum 1190. graſſatam tradit Bonacurſus illorum quondam in ea civitate magiſter; qui ad fidem Catholicam converſus, Librum contra illos edidit inſcriptum *Vita Hæreticorum*, in quo præcipuos eo-

eorum errores recenſuit, & confutavit. Liber extat in Spicilegio Dacherii tom. 1. novæ edit. pag. 208. *Quidam illorum*, inquit, *dicunt Deum creaſſe omnia elementa, alii dicunt illa elementa Diabolum creaſſe: ſententia tamen omnium eſt, illa elementa Diabolum diviſiſſe. Dicunt etiam eundem Diabolum Adam de limo terræ feciſſe, & quemdam Angelum lucis in eo ſummâ vi incluſiſſe .... Hevam dicunt fuiſſe, cum qua concubuit, & indè natus eſt Cain, de ſanguine cujus dicunt natos eſſe canes, ideoque tam fideles ſunt hominibus. Conjunctio Adæ cum Heva, ut dicunt, fuit pomum vetitum. Alium errorem inducunt, & dicunt, ſcilicet omnia quæ facta ſunt in aere, in mari, & in terra, facta eſſe à Diabolo, ſicut homines, animata & inanimata. Ex filiabus Hevæ & Dæmonibus dicunt natos eſſe gigantes, qui cognoverunt per Dæmones patres ſuos, Diabolum omnia creaſſe. Unde Diabolus dolens eos iſta ſcire, dixit* „ Pœnitet me feciſſe hominem „. *Unde quia Noe hoc ignoravit, à diluvio liberatus eſt, cui dicunt dictum eſſe à Diabolo* „ Ingredere in arcam „. *Enoch ab eodem translatum eſſe dicunt.*

Iterum dicunt, quæcumque ſunt facta vel dicta Abrahæ, Iſaac, & Jacob à Dæmone dicta & facta eſſe. Dicunt etiam quòd Diabolus Moyſi in rubro apparuit, & loquutus eſt ei. Inſuper miracula quæ facta ſunt in conſpectu Pharaonis per Moyſen; & quòd filii Iſrael tranſierunt per mare rubrum, & educti ſunt in terram promiſſionis; & de loquutione Dei ad ipſum, & de Lege quam dedit illi Deus: omnia iſta dicunt & credunt eſſe facta ab ipſo Diabolo magiſtro eorum. De dictis Sanctorum Prophetarum dicunt, quædam eſſe revelata à ſpiritu Dei, quædam à ſpiritu maligno. Unde Apoſtolus „ Omnia probate; quod bonum eſt tenete „ 1. Theſſal. 5. v. 21. *David propter adulterium & homicidium damnant. Heliam in curru à Diabolo delatum eſſe dicunt. De Angelo à Deo Zachariæ miſſo, Angelum Diaboli aſſerunt. Ipſum quoquè Joannem, quo nemo major eſt teſtante Domino, damnant. Quare? Quia Dominus dicit in Evangelio* „ Qui minor eſt in Regno Cœlorum, major eſt illo „ Matth. 11. v. 11. *Et quia dubitavit de Chriſto cùm dixit* Lucæ 7. v. 19. „ Tu es qui venturus eſt, an alium expectamus „? *Mariam Matrem Domini noſtri credunt natam fuiſſe ....*

De Chriſto dicunt, quòd non habuit animatum corpus, non manducavit, neque bibit, ſed nec aliqua ſecundùm hominem fecit, ſed videbatur ita. Dextrum latronem dicunt in Inferno eſſe. Non credunt Corpus Chriſti reſurrexiſſe, nec in Cœlum aſſumptum fuiſſe, neque carnis reſurrectionem, nec Chriſtum deſcendiſſe in Infernum. Non credunt Filium æqualem Patri, quia dixit Joan. 14. v. 28. „ Pater major me eſt „. *Crucem dicunt characterem eſſe beſtiæ, quæ in Apo-*

Apocalypſi eſſe legitur, & *abominationem ſtantem in loco Sancto*. *Beatum Sylveſtrum dicunt Antichriſtum fuiſſe*, *de quo legitur in Epiſtolis* 1. Theſſal. 2. v.4. „ Filius perditionis *eſt*, qui extollitur ſupra omne quod dicitur Deus „. *A tempore illo dicunt Eccleſiam eſſe perditam*. *Nullum credunt in conjugio ſalvari poſſe*. *Doctores damnant omnes*, *videlicet Ambroſium*, *Gregorium*, *Auguſtinum*, *Hieronymum*, & *alios univerſaliter damnant*. *Si quis manducaverit carnem*, *vel ova*, *ſeu caſeum*, *vel aliquid beſtialis naturæ*, *quòd damnationem ſibi manducat*. *Per Baptiſmum aquæ Spiritum Sanctum nullo modo credunt poſſe accipi*: *nec aliquam ſubſtantiam viſibilem credunt ullo modo in Corpus Chriſti poſſe converti*. *Credunt etiam*, *quòd omnis qui jurat damnabitur*: & *credunt nullum poſſe ſalvari*, *niſi quâdam ſuâ impoſitione manuum*, *quam Baptiſmum appellant*, & *renovationem Sancti Spiritus*. *Ipſum Diabolum credunt eſſe Solem*, *Lunam dicunt eſſe Hevam*, & *per ſingulos menſes dicunt eos fornicari ut vir cum aliqua meretrice*. *Omnes Stellas credunt eſſe Dæmones*. *Ad ultimum dicunt ſinè illis neminem poſſe ſalvari*. Hâc peſte verè diabolicâ, quia totum Deo eripit, ut illud in Diabolum transferat, Bonacurſo teſte infecta erat Mediolanenſis Civitas, pro qua expurganda S. Galdinus tunc Archiepiſcopus & Cardinalis ſtrenuè laboravit.

X. *Cantorezenſes* (alia Catharorum ſecta, inquit Reynerus) de uno tantùm Principio benè ſentiunt: ſed multi ex iis errant in Trinitate & Unitate. Item confitentur, quòd Deus ex nihilo creavit Angelos, & quatuor elementa; ſed errant credendo, quòd Diabolus de licentia Dei formavit omnia viſibilia, ſive hunc mundum, & corpus etiam primi hominis, cui infudit ut animam unum Angelum, qui in modico peccaverat, ex quo omnes animæ tanquam ex traduce ſunt. Item reprobant totum Vetus Teſtamentum, putantes ejus auctorem fuiſſe Diabolum, exceptis his tantummodò verbis in Novo Teſtamento inductis à Chriſto & Apoſtolis laudatis, velut iſta *Ecce Virgo concipiet*, & alia. Cæterum Moyſen damnant, & de aliis Patriarchis, Patribus, & Prophetis, ac de S. Joanne Baptiſta, dubitant. Dicunt inſuper aliqui, Chriſtum humanum corpus non habuiſſe, ſed angelicum, ſivè cœleſte, & B. Virginem fuiſſe Angelum. Qui verò confitentur, Chriſtum verum corpus humanum aſſumſiſſe, negant illud eſſe glorificatum; ſed dicunt, Chriſtum in die Aſcenſionis ſuæ illud depoſuiſſe in Cœlo aereo, illud reſumturum in die Judicii. Quo peracto in præjacentem materiam tanquam cadaver putridum fore reſolvendum. Dicebant tandem, quòd animæ Beatæ Virginis, Apoſtolorum, omniumque Sanctorum non ſunt adhuc in gloria, nec erunt uſque ad diem

Digitized by Google

diem Judicii, ſed in quodam hujus aeris loco ſunt cum Corpore Jeſu Chriſti.

XI. *Bagnolenſes*, ſeu *Bajolenſes* (tertia Catharorum ſecta) conveniunt cum Cantorezenſibus, excepto quòd iſti dicunt, quod animæ creatæ ſunt à Deo ante Mundi conſtitutionem, & tunc etiam peccaverunt. Et quòd B. Virgo fuit Angelus non homo, & quòd Chriſtus ex ea non ſumſit naturam humanam, nec verè fuit paſſus aliquem dolorem, ſed habuit corpus cœleſte.

XII. Sectæ Catharorum erant etiam *Pathareni*, ſeu *Patharini*, & *Cotarelli*. Hoc nomine Patharini ſe ipſos vocabant, quaſi Patientes, ſeu paſſionibus expoſitos, ſicut Martyres. Ita Fridericus II. Imperator in ſuo ſecundo Edicto contra novos hæreticos: *In exemplum*, inquit, *Martyrum*, *qui pro fide Catholica martyrium ſubierunt*, *Pathareno ſe nominant*, *velut paſſioni expoſitos*. Cùm enim Catharorum peſtis, quæ Italiam inquinabat, undique perquireretur ad necem & exterminium, ut patet ex Edicto Innocentii III. anno 1207., quo præcipit, ut quicumque hæreticus & maximè Patharenus fuerit inventus capiatur, & Curiæ ſeculari tradatur puniendus ſecundùm Leges: & bona illius in tres partes publicarentur; ideò in errore pertinaces mori potiùs eligentes, martyribus ſe comparabant.

Errabant autem Pathareni primò: Quia putabant, Chriſtum phantaſma fuiſſe non hominem, & ſic nec verè natum, nec baptizatum, nec verè tentatum, nec paſſum, nec mortuum, nec ſepultum, nec verè reſurrexiſſe, nec in Cœlum aſcendiſſe. Secundò: De Trinitate Perſonarum malè ſentiebant, dicentes, quòd tres Perſonæ poſt Judicium erunt una Perſona tantùm, quaſi in Deo poſſit eſſe mutatio aut viciſſitudinis obumbratio. Tertiò: Duos creatores ponebant, duo æterna principia, unum viſibilium, alterum inviſibilium. In aliis quoquè cum cæteris errabant. Hæc habentur in Theſauro Anecdotorum P. Martene Tom. 5., & in Manuſcr. Codice Biblioth. FF. Prædicatorum S. Honorati Pariſiis.

XIII. *Cotarelli* ſectâ Patharenis adhærebant. De his inter alios Guillelmus de Nangis in Chron. ad ann. 1183. hæc habet: *In Provincia Bituricenſi ſeptem millia Cotarellorum*, *& eò ampliùs interfecti ſunt ab illius terræ incolis in unum contra Dei inimicos confœderatis*: *iſti enim terram Franciæ vaſtantes prædas indè ducebant*, *homines captos ſecum viliſſimè trahebant*, *& cum uxoribus captorum ipſis videntibus*, *proh nefas*! *dormiebant*: *& quod deterius eſt*, *Eccleſias Dei conſecratas incendebant*, *Sacerdotes & viros Religioſos captos ſecum ducentes*, *& in tormentis quæ ſibi faciebant*, *irriſoriè* Cantores *eos vocantes*, *ſubſannabant dicentes*, Cantate nobis, Cantores, can-

cantate. *Et confeſtim eis alapas dabant, vel cum groſſis virgis eos cædebant. Quidam verò ſic flagellati beatas animas Domino reddiderunt, alii longâ carceris cuſtodiâ ſemimortui, datâ pro redemtione pecuniâ ad propria redierunt. Iidem etiam Cotarelli, quod cum gemitibus & ſuſpiriis pronuntiandum eſt, damnoſiùs operando Eccleſias ſpoliantes Corpus Domini de vaſis aureis vel argenteis, in quibus pro infirmorum neceſſitate reſervabatur, extrahentes, & in terra viliter projicientes, pedibus conculcabant. De corporalibus verò concubinæ eorum pepla capitibus ſuis componebant, calices quoquè ſecum irreverenter portantes & lapidibus confringentes detrahebant. Eodem tempore multi hæretici combuſti ſunt in Flandria .... Hi dicebant, omnia æterna à Deo creata, corpus autem hominis & omnia tranſitoria à Luciabolo creata. Baptiſmum parvulorum & Eucharistiam reprobabant. Sacerdotes Miſſas celebrare ex avaritia & oblationum cupiditate dicebant.* Extant hæc in Spicilegio Dacherii Tom. 3. novæ edit. pag. 13.

XIV. *Paſagii* factio hæreticorum erat, qui teſte Bonacurſo ſupra citato Tom. 1. Spicil. docebant primò: Quòd Moſaica Lex ſit ad literam obſervanda, & quòd Sabbatum Circumciſio & alia legalia adhuc ſtatum habeant. Secundò: Quòd Chriſtus Dei Filius non ſit æqualis Patri. Tertiò: Quòd Pater Filius & Spiritus Sanctus tres quidem Perſonæ ſint, ſed non unus Deus, & una ſubſtantia. Quartò: Omnes Doctores & totam Eccleſiam Românam judicant, & condemnant.

XV. Hæ ſunt Waldenſium & Catharorum fœdæ propagines. Supereſſent Albigenſes. Sed de his inferiùs agam. Si ſingulas conſideres, invenies eas quidem in aliquibus inter ſe diſſidere. Si tamen omnes ſimul complectaris, collectionem omnium hæreſum, quæ ab exordio uſque ad hæc tempora Eccleſiæ veritatem tollere conatæ ſunt, in eis deprehendes: ideòque ſuperiùs jam rejectas. Et maximè contra Dei unitatem, Perſonarum Trinitatis æqualitatem, Sacramenta, omneſque contra Eccleſiam Romanam conſpiraſſe. Quæ ſingula, ſi attentè perſpexeris, tandem videbis, ex quibus fontibus Moderni, qui Eccleſiæ Reformatores ſe jactant, ſua dogmata hauſerint, & quos habuerint ſuorum dogmatum magiſtros. Quare Danæus unus ex iſtis Opuſc. de Hæreſ. c.38. agens de antiquis Catharis, damnat Catholicos Romanos, quòd Waldenſes ut hæreticos proſcribant, dicens „ Quum autem hæc Ca-
„ tharorum hæreſis eſſet omnibus, & meritò quidem, odioſa,
„ poſterior ætas ad prægravandam bonam ſancti Evangelii cau-
„ ſam, homines verè Evangelicos infami Catharorum nomine
„ calumniata eſt, quos eoſdem etiam Waldenſes; Pauperes de Lugdu-

„ Lugduno, Arnaldiſtas vocavit „. Ita Danæus dum Waldenſium &c. cauſam agit, agit & ſuam.

§. VI.

Waldenſium ritus diſciplina externique mores.

I. SI in puris Waldenſibus exteriorem diſciplinam & mores attendamus, ſpecie tenus laudabiles apparebunt. Paſtores ſuos habebant, quos vocabant *Barbas*. Miniſterii Candidati Evangelia Matthæi & Joannis, Epiſtolas omnes Canonicas, Salomonis, Davidis, & Prophetarum Libros (quos lingua Gallica recitabant) memoriter maxima ex parte recitare debebant. Deinde bono teſtimonio probati, ad prædicandi munus manum impoſitione admittebantur. Miniſtris alimenta & indumenta communibus ſumtibus præbebantur. Seniores præterea ad regendum populum eligebant. Is autem inter Miniſtros erat ordo. Qui eſt in primo & ſupremo ordine dicebatur Epiſcopus. Qui eſt in ſecundo, Filius major. Qui eſt in tertio, Filius minor. Qui in quarto & ultimo dicitur Diaconus. Alios ordines non admittunt; ſed cæteros vocant Chriſtianos & Chriſtianas. Præfati Ordines conferuntur ab Epiſcopo, & etiam à Filiis de licentia Epiſcopi ſolâ manuum impoſitione, & Libri Novi Teſtamenti ſuper caput Ordinandi. Mortuo autem Epiſcopo, Filius minor adornabat in Epiſcopum Filium majorem, qui poſtea ordinabat Filium minorem in Filium majorem. Filius minor poſtea eligebatur à cœtu ibi congregato, & poſtea ab Epiſcopo ordinabatur. Verùm cum prædicta ordinatio Epiſcopi à Filio majori, & Filii majoris à Filio minori à multis non probaretur, incongruum enim videbatur, quòd Filius inſtituat & quaſi generet Patrem: ideò hæc forma in hanc aliam converſa eſt, videlicet: Quòd Epiſcopus ante mortem ſuam ordinet Filium majorem in Epiſcopum, & altero iſtorum mortuo Filius minor efficiatur Filius major & Epiſcopus eâdem die: Quo fiebat, ut quælibet eorum Eccleſia eodem tempore duos haberet Epiſcopos, ſicut una mulier duos viros.

II. Diſciplina eorum talis erat. Si quis in grave crimen lapſus eſſet, prædicandi munere interdicebatur, & extra ſocietatem ejiciebatur. Quotannis in Synodum, ubi poterant, conveniebant Paſtores, ut de rebus ſectæ agerent. Quâdam excommunicationis ſpecie utebantur, quâ graviorum criminum reos plectebant. Nefas exiſtimabant, Filios abſque parentum conſenſu nubere.

III. Quoad mores verò caſtiſſimi ac integerrimi apparebant.

Ita Reynerus Lib. de Hæreticis cap. 7. *Sunt*, inquit, *in moribus compoſiti & modeſti: ſuperbiam in veſtibus non habent, quia nec pretioſis, nec multùm abjectis utuntur. Negotiationes non habent propter mendacia & juramenta & fraudes vitandas, ſed tantùm vivunt de labore ut opifices. Doctores etiam ipſorum ſunt ſutores & textores. Divitias non multiplicant, ſed neceſſariis ſunt contenti. Caſti etiam ſunt, maximè Leoniſtæ: temperati in cibo & potu, ad tabernas non eunt, nec ad choreas, nec ad alias vanitates. Ab ira ſe cohibent. Semper operantur, diſcunt, vel docent, & ideò parum orant. Ad Eccleſiam fictè vadunt, offerunt, confitentur, communicant; interſunt prædicationibus, ſed ut Prædicantem capiant in ſermone. Cognoſcuntur etiam in verbis præciſis & modeſtis. Cavent à ſcurrilitate, detractione, verborum levitate, mendacio & juramento, nec dicunt* verè *vel* certè, *& ſimilia, quia hæc reputant juramenta. Item ad quæſtiones rarò directè reſpondent; ut ſi quæratur ab ipſis: Scis tu Evangelium, vel Epiſtolas? Reſpondet: Quis docuiſſet me iſta? Vel dicit: Hujuſmodi debent ſcire qui ſunt magni vel profundi intellectus, vel qui ad hoc ſunt otioſi, & idonei.* Hoc hypocriſis tegumento animi ſui malitiam vaferrimè ſimplicibus occultabant.

IV. De iſtis repeti poſſunt quæ de ſui temporis Apoſtolicis dicebat Bernardus Serm. 65. *Quod ſignum dabitis, ut palam fiat peſſima hæreſis hæc, docta mentiri non linguâ tantùm, ſed vitâ? Et quidem recens vaſtatio vineæ vulpem indicat affuiſſe: ſed neſcio quâ arte fingendi ita ſua confundit veſtigia calllidiſſimum animal, ut quà vel intret, vel exeat, haud facilè queat ab hominibus deprehendi. Cùmque pateat opus, non apparet auctor; ita per ea quæ in facie ſunt, cuncta diſſimulat. Denique ſi fidem interroges, nihil Chriſtianius: Si converſationem, nihil irreprehenſibilius; & quæ loquitur, factis probat. Videas hominem in teſtimonium ſuæ fidei frequentare Eccleſiam, honorare Presbyteros, offerre manus ſuum, confeſſionem facere, Sacramentis communicare. Quid fidelius? Jam quod ad vitam moreſque ſpectat, neminem circumvenit, neminem ſupergreditur, neminem concutit. Pallent inſuper ora jejuniis, panem non comedit otioſus, operatur manibus unde vitam ſuſtentat. Ubi jam vulpes? Tenebamus eam; quomodo elapſa eſt è manibus? Quomodo tam repentè diſparuit? Inſtemus, inveſtigemus. A fructibus ejus cognoſcemus eam. Et certè vinearum demolitio teſtatur vulpem.*

Mulieres relictis viris, & item viri dimiſſis uxoribus, ad iſtos ſe conferunt. Clerici, Sacerdotes, populis Eccleſiiſque relictis, intonſi & barbati apud eos inter textores & textrices plerùmque inventi ſunt. An non gravis demolitio iſta? An non opera vulpium hæc? Verùm non apud omnes fortè iſta tam manifeſta deprehenduntur: & ſi ſint,

ſint, non eſt, unde probentur. Quonam modo capimus illos? Revertamur ad conſortium & contubernium feminarum: hoc enim inter eos nemo qui careat. Interrogo unumquempiam horum. Heus tu bone vir? Quænam hæc mulier, & unde hæc tibi? Uxor ne tua? Non, inquit, nam voto meo iſtud non convenit. Filia ergo? Non. Quid igitur? Non ſoror, non neptis, non aliquo ſaltem propinquitatis, vel affinitatis gradu attinens tibi? Nullo prorsùs. Et quomodo tuta tibi cum iſta continentia tua? Sanè nec licet tibi illud. Cohabitationem (ſi neſcis) virorum & feminarum in iis qui vovere continentiam, Eccleſia vetat. Si non vis ſcandalizare Eccleſiam, ejice feminam. Alioquin ex hoc uno cætera, quæ non adeò manifeſta ſunt, procul dubio manifeſta fiunt. Hactenus S. Bernardus.

V. De facto ex hoc ſigno Waldenſes, ut doloſas vulpes, præter cætera agnovit, ac rejecit Innocentius. Cùm enim, ut refert Abbas Uſpergenſis in Chronico ad ann. 1212. petiiſſent à Sede Apoſtolica tanquam religioſum inſtitutum approbari, dicentes ſe gerere vitam Apoſtolicam, nihil volentes poſſidere, aut certum locum habere: Pontifex inter alia hoc in eis reprobavit: *Quòd viri & mulieres ſimul ambulabant in via, & plerumque ſimul manebant in una domo: & de eis diceretur quòd quandoque ſimul in eiſdem lectulis accubabant. Quæ tamen omnia ipſi aſſerebant ab Apoſtolis deſcendiſſe.* Nec ſolùm eorum inſtitutum probare renuit, ſed eos apertè damnavit in Concilio Œcumenico Lateranenſi IV. anno 1215. Cùm antea damnati fuiſſent ab Alexandro III. in Concilio Turonenſi anno 1163., in Lateran. III. à Lucio III. Pontifice Maximo anno 1179., & in Conc. Senonenſi anno 1198. quæ Gregorius IX. in Conſtitutione edita anno 1236. quæ inſerta eſt Lib. 5. Decretalium Tit. 7. de Hæreticis Cap. Excommunicamus (15.) confirmavit his verbis: *Ecommunicamus & anathematizamus univerſos Hæreticos, Catharos, Patarenos, Pauperes de Lugduno, Paſſaginos, Joſephinos, Arnaldiſtas, Speroniſtas &c. Damnati verò per Eccleſiam ſeculari Judicio relinquantur animadverſione debitâ puniendi* &c.

VI. Ex his apparet, nihil profuiſſe Waldenſibus externam morum integritatem, nec cuiquam alii prodeſſe poſſe, ſi non adſit vera & Catholica fides. Unde de eis appoſitè ſcribit Ebrardus de Bethunia Antihæreſeos cap. 16. *Fidem negligentes Chriſtianam, Chriſti diſcipulos ſe faciunt appellari, cùm ſint potiùs Antichriſti. In operibus enim ſolummodo confidentes fidem prætermittunt, cùm fides operibus potiùs ſit præponenda. Revolvens enim paginas Scripturarum, opera præter fidem valere non reperi.* Sicut enim *fides ſinè operibus mortua eſt* (Jacobi 2. v. 26.) Ita *ſinè fide impoſſibile eſt placere Deo* (Heb. 16. v. 6.) *ante quam, & ſinè qua omninò nulla cuj-*

juſquam bona opera æſtimanda ſunt, quoniam quod non eſt ex fide peccatum eſt (inquit S. Auguſt. Epiſt. 188. aliàs 143. circa finem) Qui enim benè operantur, ſed in fide deficiunt, currunt, ſed extra viam ſalutis currunt. Sed de his ſatis.

CAPUT XCIV.

De Albigenſibus.

§. I.

Albigenſium ortus, & progreſſus.

I. ALBIGENSES ab Albi ſeu Albiga Urbe non longè à Toloſa ſita in Aquitania regione juxta ripam Tarnis fluvii cognomen ſumſere: ideò autem quia Albigenſium, & totam Toloſatum Provinciam ſuis erroribus infecere. Secta hæc Waldenſium fuit propago, vel potiùs diſſectio: quia à puris Waldenſibus diſtincti plura tum in dogmate tum in moribus addiderunt, & quidem impia & turpia, partim à Manichæis, partim ab aliis antiquis excerpta: Ita ut multorum colluvies ſectarum in Albigenſium ſectam, velut ſentinam quandam, confluxerit.

II. Hujus hæreſis ſemina in regionibus Toloſæ jam dudum jacta fuiſſe eruitur, nam anno 1119. Toloſæ habitum eſt Concilium, in quo Can. 3. ſic ſtatuitur: *Porrò eos qui religionis ſpeciem ſimulantes, Dominici Corporis & Sanguinis Sacramentum, puerorum Baptiſma, Sacerdotium & cæteros Eccleſiaſticos Ordines, & legitimarum damnant fœdera nuptiarum, tanquam hæreticos ab Eccleſia Dei pellimus & damnamus, & per Poteſtates exteras coerceri præcipimus. Defenſores quoquè ipſorum ejuſdem damnationis vinculo, donec reſipiſcant, mancipamus.* Hæc autem ſemina à Manichæis jacta fuiſſe, ex eo conſtat, quòd, anno 1020. Roberto Rege, ut habetur in fragmento Aquitanicæ Hiſtoriæ apud Ducheſne Tom.4.pag.80., eo tempore decem ex Canonicis S. Crucis Aurelianis probati ſunt eſſe Manichæi; quos Rex Robertus, cùm nollent ad Catholicam converti fidem, igne cremari juſſit. Simili modo apud Toloſam inventi ſunt Manichæi, & ipſi igne cremati ſunt: & per diverſas Occidentis partes Manichæi exorti per latibula ſeſe occultare cœperunt, decipientes quoſcumque poterant. Contra ipſos ergo in præfato Canone loquitur Concilium Toloſanum anno 1119.

III. Ita execranda ſecta per multos annos ſe ſe occultabat: ſed anno 1160. in Novempopulonia (ideſt *Guaſcogna*) ſic dicta à novem po-

Digitized by Google

populis' quibus conſtat, & in vicinis regionibus Toloſæ & Albigenſi caput erexit, ac vires ſumſit: Hinc, qui primò dicti fuerunt *Populicani*, deinde *Provinciales*, tandem Albigenſium nomen adepti ſunt. Quare in Concilio Turonenſi anno 1163. Canon 4. *Ut cuncti Albigenſium hæreticorum conſortium fugiant* inſcriptus, ſic ſtatuit: *In partibus Tholoſæ damnanda hæreſis dudum emerſit, quæ paulatim more cancri ad vicina loca ſe diffundens, per Guaſconiam & alias Provincias quamplurimos jam infecit. Quæ dum in modum ſerpentis intra ſuas evolutiones abſconditur, quantò ſerpit occultiùs, tantò graviùs Dominicam vineam in ſimplicibus demolitur. Unde contra eos Epiſcopos & omnes Domini Sacerdotes in illis partibus commorantes vigilare præcipimus, & ſub interminatione anathematis prohibere, ut ubi cogniti fuerint illius hæreſis Sectatores, ne receptaculum quiſquam eis in terra ſua præbere, aut præſidium impertire præſumat. Sed nec in venditione, aut emptione aliqua cum eis omninò commercium habeatur: ut ſolatio ſaltem humanitatis amiſſo, ab errore viæ ſuæ reſipiſcere compellantur. Quiſquis autem contra hæc venire tentaverit, tanquam particeps iniquitatis eorum anathemate feriatur. Illi verò ſi deprehenſi fuerint, per Catholicos Principes cuſtodiæ mancipati, omnium bonorum amiſſione mulctentur. Et quoniam de diverſis partibus in unum latibulum crebrò conveniunt, & præter conſenſum erroris nullam cohabitandi cauſam habentes, in uno domicilio commorantur; talia conventicula & inveſtigentur attentiùs, & ſi vera fuerint, canonicâ ſeveritate vetentur*. Ita providè contra emergentem hæreſim Turonenſis Synodus.

IV. Ut autem aliquâ pietatis larvâ tegere, & incautis errores ſuos faciliùs inſinuare poſſent, *Boni homines* ſe appellabant. Patet hoc ex Synodo Lumbarienſi Galliæ Narbonenſis à Gerardo Epiſcopo Albienſi anno 1176. contra ipſos congregata, in qua eorum damnatio his verbis concipitur: *Talis definitiva ſententia lata eſt ſuper altercatione, & aſſertione, atque impugnatione fidei Catholicæ, quam expugnare nitebantur quidam, qui faciebant ſe appellari* Boni homines, *quos manutenebant homines de Lumbers*. Quibus poſtremis verbis indicatur, eorum fraude, nedum ſimplicem populum, ſed & Principes captos fuiſſe, & eorum præſidio ſectam nedum ſuaſionum fallaciâ, ſed & armorum vi fuiſſe dilatatam. Sed de hoc infra.

§. II.

§. II.

Albigenſium errores, diſciplina, & mores.

I. NOn aliunde Albigenſium errores tutiùs haurire poſſe me judico, quam ex Albigenſium Hiſtoria, quam edidit & Innocentio III. Romano Pontifice nuncupavit Petrus Vallium Cernaji Ordinis Ciſtercienſis Monachus, qui cum Guidone Abbate avunculo ſuo poſtea Carcaſſonenſi Epiſcopo ad prædicandum contra Albigenſes in partes Toloſatum venit, & bellis contra eos interfuit.

II. Errabant ergo primò: Quia duos conſtituebant Creatores; inviſibilium ſcilicet, quem vocabant Benignum Deum; & viſibilium, quem Malignum Deum nuncupabant. Novum Teſtamentum Benigno Deo; Vetus autem Maligno Deo attribuebant, & illud omninò repudiabant, exceptis quibuſdam auctoritatibus, quæ de Veteri Novo Teſtamento ſunt inſertæ, & has ob reverentiam Novi Teſtamenti recipiebant. In hoc Manichæos, & alios antiquos hæreticos ſequebantur, quos ſupra rejeci. Et ſanè ſi auctor legis eſſet malus Deus, cur Chriſtus Evangelii auctor dixit Joan. 5. *Si crederetis Moyſi, crederetis forſitan & mihi. Ipſe enim de me ſcripſit. Quod ſi literis illius non creditis, quomodo verbis meis credetis?* Et iterum Matth. 5. *Non veni Legem ſolvere ſed adimplere.* Rursùs: *Oportet impleri quæ ſcripta ſunt in Lege & Prophetis & Pſalmis de me* &c. Lucæ 24. Quia verò dicebant, ſe recipere Moyſen, & Prophetas & Pſalmos in his tantùm teſtimoniis, quæ inducuntur à Jeſu, & Apoſtolis; Reſpondetur, quòd ſi inſtrumentum vel ſcriptum aliquod Teſtamentum proferatur, & in aliqua parte ſui credatur, vel totum debet credi, aut in nulla ſui parte recipi. Ita hunc errorem Concilium Lumbarienſe prælaudatum confutat. Sicut qui Alcoranum rejicit, nihil de Alcorano in auctoritatem recipit. Et eò magis, quia

Inſuper Veteris Teſtamenti mendacem Deum aſſerebant. Nam Protoplaſtis dixit: *Quâcumque die comederitis de ligno ſcientiæ boni & mali, morte moriemini*, nec tamen poſt comeſtionem mortui ſunt. Quòd ſi mendax, quomodo Chriſtus ei adhibendam vult eſſe fidem? Illum quoquè ut homicidam execrabantur, quia Sodomitas & Gomorrhæos incineravit, aquis diluvii Mundum delevit, & quia Pharaonem & Ægyptios mari obruit. Sed punitio Mundi per diluvium, & Sodomorum per ignem laudatur in Evangelio Lucæ cap. 7., ubi dicitur ſimile futurum in adventu filii homi-

minis. Submerſio Pharaonis & Ægyptiorum laudatur à Sancto Stephano coram Judæis Act. 7. Si ergo Albigenſes ea, quæ in Novo Teſtamento ex Veteri laudantur, laudanda eſſe cenſebant, non video cur propter prædictas juſtas punitiones Deum auctorem tanquam homicidam damnare præſumerent. Eâdem ratione non video, quomodo dicerent Deum V. T. creare & curare corpora, & Deum Novæ Legis creare & curare animas. Si enim omnia quæ in Nova Lege ad animarum ſalutem peracta ſunt, in antiqua fuerunt à Deo prænuntiata, & promiſſa; quâ impietate ſibi duos Deos fingebant, unum malum corpora ſola curantem, alium bonum curantem animas; nec potiùs dicunt, unum eumdemque Deum ſtatutis temporibus utraque curaſſe, quia utraque & omnia creavit?

III. Secundò dicebant, omnes Veteris Teſtamenti Patres fuiſſe damnatos, & S. Joannem Baptiſtam eſſe de Dæmonibus majoribus unum. Sed cùm hi præfati in Novo Teſtamento, quod ipſi ſe recipere dicunt, celebrentur, quis non videt eos ſecummet pugnare?

IV. Tertiò dicebant, ſeu veriùs blaſphemabant, quòd Chriſtus ille, qui natus eſt in Bethlehem terreſtri & viſibili, & in Jeruſalem crucifixus, malus fuit: & quòd Maria Magdalena fuit ejus concubina, & ipſa fuit mulier in adulterio deprehenſa, de qua legitur in Evangelio. Bonus enim Chriſtus, ajebant, nunquam comedit vel bibit, nec veram carnem aſſumſit, nec unquam fuit in hoc mundo niſi ſpiritualiter in mente Pauli. Dixi in Bethlehem terreſtri & viſibili, quia aliam terram novam, & inviſibilem fingebant, in qua ſecundùm quoſdam bonus Chriſtus natus fuerat, & crucifixus. Sed cùm Evangelia contrarium dicant, & Paulus ipſe Chriſtum, qui in ipſo ſpiritualiter inhabitabat, teſtetur mortem crucis hìc ſubiiſſe; mentiuntur ergo dum Evangelia & Pauli Epiſtolas ſe admittere dicunt. Quòd autem dicebant Mariam Magdalenam fuiſſe concubinam Chriſti, inaudita blaſphemia eſt; ideòque ad Inferos cum auctoribus dejicienda.

V. Quartò aſſerebant, bonum Deum duas habuiſſe uxores *Collam*, & *Collibam*, & ex ipſis filios & filias procreaſſe. Alii dicebant unum eſſe Creatorem, ſed habuiſſe filios Chriſtum & Diabolum. Alii omnes creaturas bonas fuiſſe, ſed per filias hominum omnia fuiſſe corrupta. Hæc de Deo & Chriſto impiè fabulabantur.

VI. Quintò, Romanam Eccleſiam ſpeluncam latronum, & meretricem Apocalypſis appellabant. Hæc omnium hæreticorum prava indoles fuit, & ad noſtra tempora perſeverat, Eccleſiam quæ eo-

eorum erroribus contradicit, & cui rebelles ſunt, impudentibus lacerare calumniis.

VII. Sextò, Sacramenta Eccleſiæ ad nihilum redigebant. Aquam Baptiſmi nil plus habere, quàm aquam fluvii aſſerebant. Sacroſancti Corporis Chriſti Hoſtiam à pane communi non differre palàm docebant, ſimplicium animis hanc inſtillantes blaſphemiam, quòd ſi in menſa Euchariſtica panis in Corpus Chriſti converteretur, ſicut panis manducatione conſumitur, ita & Corpus Chriſti; adeò ut, etſi magnitudinem Alpium in ſe contineret, jamdudum à comedentibus fuiſſet conſumtum. Ita miſeri Capharnaitarum errore involvebantur. Putabant autem conſecratione, non panem, ſed ſe ipſos ſumentes fieri Corpus Chriſti; & hoc non noſtrâ, ſed ſuâ conſecratione evenire. Ita cum Catharis Germanis ſentiebant, de quibus Elbertus Abbas S.Florini Serm. 1. ſcribit: *Corpus Domini & Sanguinem nullo modo noſtrâ conſecratione fieri, aut à nobis per communicationem percipi poſſe credunt. Se autem ſolos in menſis ſuis Corpus Domini facere dicunt, ſed in verbis illis dolum habent: Non enim verum illud Corpus Chriſti ſignificant, quod de Virgine natum fuiſſe credimus, ſed ſui ipſius carnem Corpus Domini vocant: & in eo quòd corpora ſua nutriunt, Corpus Domini ſe facere dicunt.*

VIII. Septimò, Confirmationem, Confeſſionem Sacramentalem, Ordinationem Miniſtrorum in Eccleſia Catholica, Miſſam, tanquam ritus ſuperſtitioſos & prorsùs inanes rejiciebant. In his moderni Hæretici conveniunt.

IX. Octavò, non modò Baptiſmum infantium reprobabant, ſed Baptiſmum aquæ nemini prodeſſe dicebant contra expreſſam Domini in Evangelio voluntatem. Contra hanc quoquè Matrimonium meretricium eſſe, nec aliquem poſſe in ipſo ſalvari filios & filias generando, dicebant. Cùm tamen in omne libidinis genus effuſi eſſent.

X. Nonò, Reſurrectionem carnis negabant. Comminiſcebantur enim, Animas noſtras eſſe Spiritus illos apoſtatas, qui ſuperbiâ è Cœlo præcipites cecidere. Unde reliquerunt corpora ſua glorificata in aere; eadem reſumturæ poſtquam de corpore in corpus terreſtre ſepties hìc pertranſeundo pœnitentiam egiſſent. Hinc Cæſarius Heyterbacheenſis Lib. 5. de Dæmonibus cap. 21. refert, quòd *quidam Monachus cernens quemdam militem in equo ſedentem loqui cum aratore ſuo, hæreticum illum æſtimans, ſicut fuit, propiùs accedens ait: Dicite mihi, probe vir, cujus eſt ager iſte? Reſpondente illo, meus eſt, ſubjecit: & quid de fructu illius facitis? Ego, inquit, & familia mea de eo vivimus, aliquid etiam erogo pauperibus. Di-*

Dicente Monacho, quid boni ſperatis de eleemoſyna illa? Reſpondit miles hoc verbum: Ut ſpiritus meus glorioſè pergat poſt mortem. Tunc Monachus: Quo perget? Ait miles: ſecundùm meritum ſuum; ſi benè vixit & hoc apud Deum meruit, exiens de corpore meo intrabit in corpus alicujus futuri principis, ſive regis, ſive alterius cujuslibet illuſtris perſonæ, in quo delicietur; ſi autem malè, corpus intrabit miſeri pauperiſque, in quo tribuletur. Credidit ſtultus ſicut & cæteri Albigenſes, quòd anima ſecundùm merita per diverſa tranſeat corpora, etiam animalium, atque ſerpentium. Hæc Cæſarius.

XI. Decimò: Quidquid beneficii mortuis à vivis impenditur, irridebant, Purgatorium & preces pro defunctis negantes.

XII. Undecimò: Sacrarum Imaginum uſum & venerationem idololatriam eſſe effutiebant, & campanas tubas Dæmonum. Hinc deformes pingebant Sanctorum Imagines, ut earum intuitu devotio fidelium ab eis averteretur. Imaginem quoquè Chriſti crucifixi indecorè pingebant in deriſum, & opprobrium Crucis, & Chriſti in ea pendentis. Imaginem quoquè S. ejus Genitricis effingebant monoculam ac deformem; & miracula ad eam facta negabant. Imò eam meretricem fuiſſe blaſphemè proclamabant dicentes (teſte Guillelmo de Nangis in Chronico ad an. 1209.) *Haa Meretrix Sancta Maria*. Nec mirum ſi effræni impudentiâ in Matris virginitatem debaccharentur, qui Chriſtum ejus filium, ut ſupra horrens notavi, Concubinarium Mariæ Magdalenæ (quod nec Diabolus auſus fuiſſet) impiè effutiebant.

XIII. Duodecimò: Duos Petrus de Valle Cernaji Albigenſium ordines diſtinguit. Quidam perfecti, ſive *Boni homines* dicebantur; alii credentes. Perfecti nigrum habitum præferebant, de caſtitate gloriabantur, eſum carnium, ovorum, caſei omninò deteſtabantur; adeò ut ſi quis eorum carnes ova vel caſeum comediſſet, non ſolùm dicerent peccaſſe mortaliter, ſed omnes illos, quos in articulo mortis conſolatus fuerat, amittere ſpiritum, & neceſſe eſſe eos iterum conſolari, ſi adhuc viverent, & qui ſalvati erant, peccante conſolatore de Cœlo cadere. Oh fatuitatem! Jurare inſuper quâcumque occaſione illicitum eſſe propugnabant. Qui vocabantur *Credentes* dediti erant uſuris, rapinis, carnis illecebris, perjuriis, & perverſitatibus univerſis. Porrò ſecuriùs & effrænatiùs peccabant, quia credebant, ſinè ablatorum reſtitutione, ſinè Confeſſione & Pœnitentia ſe eſſe ſalvandos, dummodò in ſupremo mortis articulo *Pater noſter* dicere, & manuum impoſitionem à Magiſtris, ſeu Conſolatoribus ſuis recipere potuiſſent. E numero enim Magiſtrorum ſuorum quoſdam habebant Magiſtratus, quos Diaconos & Epiſcopos vocabant, quorum manus impoſitione quilibet

libet ex Credentibus illicò ſalvari, & ad Cœlos evolare ſibi adulabantur. Sibi tamen mentiebantur; nam, ut ſupra dixi, plura debebant pertranſire corpora terreſtria, antequam in Cœlis cœleſte corpus reſumere poſſent.

XIV. Decimotertiò: Quidam eorum ab umbilico & inferiùs peccare poſſe neminem effutiebant, nec peccari graviùs dormiendo cum matre, vel ſorore, quàm cum qualibet alia. Quod docebant, opere complebant, in omne libidinis genus ſe effundentes. Hæc Lucas Tudenſis Lib.3. adv. Albigenſes cap.5. ſe accepiſſe ſcribit ab illis, qui olim illius hæreſis cœno ſordidati, ad Catholicam veritatem Dei gratiâ redeuntes, ſe ſe purgaverant: *Efferuntur*, inquit, *effrænes per varia deſideria carnis, & nulla eſt nociva delectatio, quam non pertranſeat eorum luxuria. Abutitur filius matre, frater fratre, & pater in filia turpitudinem operatur. Retorquent ſui erroris mercedem in ſemetipſos; quorum ſunt blaſphemi & ſinè miſericordia ſenes, ad omne nefas promtiſſimi juvenes, luxurioſi & protervi adoleſcentes: impuri pueri ſinè certo patre: infantes cum lacte matris virus erroris ſugentes; mulieres effrontes & ſinè verecundia, loquacitate garrulâ, ut alios decipiant, per domos diſcurrentes*. Hi eorum mores. Quis non exhorreat?

XV. Alia non minus impia profitebantur; nempè non referre in lucro pecuniarum, an benè vel malè partæ eſſent, quia nec bona acquiſitio illarum ſalvat, nec mala damnat. Nec bona opera prodeſſe, nec obeſſe mala, quia par pœna maneret omnes qui extra eorum ſectam morerentur. Hinc putidas fabulas in Catholicæ Eccleſiæ dedecus, & Sacrorum Miniſtrorum opprobrium fingebant. Profanas condebant ſcripturas, quibuſdam Philoſophorum ſententiis eas ornantes, cujus generis erat liber ab ipſis *Perpendiculum Scientiarum* inſcriptus, ut faciliùs in legentium animos hæreſim inſinuarent. Sanctorum Patrum elevabant auctoritatem; & ut incerta à fidelibus haberentur, operi unius, puta Auguſtini, titulum Ambroſii, vel alterius præfigebant.

Schedulas occultè ſpargebant, tanquam à Filio Dei ſcriptas, & per Sanctorum Angelorum manus tranſmiſſas, quod ſimplicibus teſtari videbatur odor quo perfuſæ erant. In eis hæretica dogmata veritatibus Catholicis ſic permixta erant, ut per dulcedinem Catholicorum virus hæreticæ pravitatis incautis blandè propinarent. Quas rudes Presbyteri legentes, errorem ſuis plebibus, neſcientes, ac nolentes inſinuabant.

XVI. Falſa inſuper fingebant miracula ad tumulum Arnaldi hæretici, & alterius hominis facinoroſi. Fontem juxta ſcaturientem ſanguine polluerunt, ut aqua in ſanguinem verſa crederetur. Ve-

Veniebant homines clam muneribus ſubornati, alii cæci, alii claudi, alii energumeni, alii aliis vexati morbis ſe fingentes, hauſtâ illius fontis aquâ recipere ſe mentiebantur ſanitatem (hoc, ut publica fama retulit, ad ſepulchrum Diaconi Paris mendacio illudere conati ſunt moderni Novatores) Has autem præſtigias quibuſdam detegentes, ſimilibus actibus fieri miracula in Eccleſia coram Sanctorum corporibus aſſerebant. Nec tamen defuere, qui ipſis crederent, & in hæreſim laberentur. Qui tamen à Sanctis Prædicatoribus moniti fuerunt, ut ab hoc facto abſtinerent, ac reſipiſcerent. Sed hæretici contra eos, & maximè contra Fratres Prædicatores & Minores recèns exortos odium converterunt, eos ſues, & religionis ſimulatores eſſe impudenter mentientes.

XVII. Impudentiam porrò ſuam, imò horrendam impietatem, manifeſtarunt, cùm, ut refert Cæſarius loco ſupra citato, obſeſsâ à Catholicis Biterrenſi civitate, in Catholicorum aſpectu, *Hæretici ſuper volumen Sacri Evangelii mingentes, de muro illud contra Chriſtianos projecerunt, & ſagittis poſt illud miſſis clamaverunt: Ecce Lex veſtra, miſeri.* Magìs autem ſacrilegum fuit alterius hæretici facinus, quòd in odium Chriſti, & ad confuſionem noſtræ fidei Toloſæ egit. Nam *juxta Altare majoris Eccleſiæ ventrem ſuum purgavit, & pallâ Altaris ipſas immunditias deterſit. Cæteri verò furori furorem adjicientes ſcortum ſuper ſacrum Altare poſuerunt in aſpectu Crucifixi eo ibi abutentes. Poſtea ipſam Sacram Imaginem detrahentes brachia ei præſciderunt, multò militibus Herodis* (Pilati) *deteriores, qui mortuo, ne ejus crura frangerent, pepercerunt*: Indè *Crucifixi collo fune alligato per plateas illum traxerunt*. Ita Cæſarius. Quis vel Judæus vel Paganus vel alius quiſpiam inimicus Chriſti talia contra ipſum unquam patravit? Alia prætereo, quæ in deriſionem, nedum Catholicæ, ſed Chriſtianæ fidei impii illi in dies agere non deſiſtebant.

XVIII. Solùm deſcribam ritum, quo eos qui ſectæ nomen dabant, recipiebant. Cæremoniæ ſacrilegæ Præſes, dicebat „ Amice, ſi vis eſſe de noſtris, oportet, ut renuncies toti Fidei, quam „ tenet Romana Eccleſia. Reſpondebat, Abrenuntio. Ergo, in- „ quiebat, accipe Spiritum Sanctum à bonis hominibus; & tunc „ aſpirabat ei ſepties in ore. Item dicebat illi, Abrenuntias Cru- „ ci, quam tibi fecit Sacerdos in Baptiſmo, in pectore, & in ſca- „ pulis, & in capite de oleo & Chriſmate? Reſpondebat, Abre- „ nuntio. Credis, quòd aqua illa operetur tibi ſalutem? Reſpon- „ debat, Non credo. Abrenuntias velo illi, quod tibi baptizato „ Sacerdos poſuit in capite? Reſpondebat, Abrenuntio. Tunc „ omnes ipſi manus imponebant, oſculabantur eum, & induebant

„ bant veſte nigrâ: & ex illa hora unus ex ipſis cenſebatur „.
Ita refert Petrus Vallium Cernaji.

§. III.

Contra Albigenſes ſacra prædicatio.

I. HÆreſis hæc nedum fraudulenta, ſed & violenta fuit, quia non ſolùm errorum ſuaſione, ſed armorum vi urbes ac populos occupare tentabat: ac propterea ad eam exterminandam, tum Veritatis Catholicæ prædicatione, tum Secularium Principum potentiâ uti neceſſe fuit. Primi ergo qui ſpiritualibus prædicationis armis hanc hæreſim aggreſſi memorantur, fuere Arnaldus Ciſtercienſis Abbas, Petrus de Caſtronovo, & Radulphus ejuſdem Ordinis Profeſſores Apoſtolicâ Legatione Innocentii III. muniti. His velut dux prædicationis Didacus Epiſcopus Oxomenſis acceſſit, cujus conſilio cæteri, dimiſſis equis ac ſuperfluo comitatu rejecto, Apoſtolicam prædicandi rationem aſſumſere. Primus eorum cum hæreticis congreſſus in Caſtro Montis Regalis Carcaſſonenſis Diœceſis habitus eſt. Ibi coram Judicibus per quindecim dies diſputatione habitâ, hæretici convicti fuere. Sed Judices hæreticis faventes ſententiam ſuſpenderunt, nec diſputationis acta tradere Catholicis voluerunt.

II. Hâc partâ victoriâ animatus laudatus Arnaldus Abbas, duodecim alios Religioſos athletas ad id munus deſtinavit, qui cum aliis, quos ſecum adduxerant, omnem præferentes humilitatem, ac pedites incedentes, ſtatim ab Abbate in varia loca ad prædicandum miſſi ſunt: ita refert Petrus de Valle Cernaji cap. 5. Aliam in Monte Regali cap. 9. idem Petrus habitam fuiſſe diſputationem coram præfatis Apoſtolicæ Sedis Legatis tradit. In hac cùm Epiſcopus Oxomenſis Romanam Eccleſiam ut Apoſtolicam commendaſſet, Arnaldus Ottonis unus è primariis ſectæ ſe ſe oppoſuit dicens, Romanam Eccleſiam non eſſe Sanctam, & Sponſam Chriſti, ſed Eccleſiam Diaboli & doctrinam Dæmoniorum, & eſſe illam Babylonem, cujus in Apocalypſi meminit Joannes, matrem fornicationum & abominationum, ebriamque ſanguine Sanctorum, & Martyrum Jeſu Chriſti, ejuſque ordinationem non eſſe ſanctam, neque bonam, neque ſtatutam à Domino Jeſu Chriſto; & quòd numquam Chriſtus neque Apoſtoli ordinaverunt, aut poſuerunt ordinem Miſſæ, ſicut hodie ordinatur. Ita de Eccleſia Romana ejuſque ordinatione loquebantur Albigenſes. (Cùmque moderni Hæretici eaſdem & pejores in eam evomant blaſphemias, vi-

videat pius Lector, quos habeant magiſtros) His Epiſcopus Oxomenſis contrarium opponere paratum ſe obtulit. Sed datis utrimque ſcriptis coram Judicibus, qui laici erant, res infecta remanſit.

III. Cùm Oxomenſis Epiſcopus reditum ſuum in Hiſpanias pararet, ipſum ad Appamias convenere Fulco Toloſanus, & Navarrus Conſoranenſis, Epiſcopi, & plurimi Abbates. Habitâque ibi diſputatione convicti ſunt Albigenſes, adeò ut qui diſputationis Judex erat vir nobilis & potens hæreſim ejuravit, & deinceps hæreticos pro virili impugnarit. E contra vero Petrus de Caſtronovo Fontis Frigidi Ciſtercienſis Monachus ſanctiſſimus & Legatus Apoſtolicus, qui Raymundum Comitem Toloſanum præcipuum hæreticorum fautorem communione privaverat, ab eo ſub promiſſo ſatisfaciendi vocatus, ſed poſtea cùm minis eum occidendi dimiſſus fuiſſet, & recedenti duo ejuſdem comites famuli ſe adjunxere, & cum eo hoſpitati ſunt. Mane autem facto Petrus Miſsâ celebrata de hoſpitio receſſit, & dum ad flumen Rhodanum perveniſſet, unus è duobus famulis prædictis ipſum lanceâ feriit inter coſtas: qui ad percuſſorem converſus, iteratis ſæpiùs verbis: *Deus tibi dimittat, & ego dimitto*, poſt modicum vitam Martyr finivit, & in Eccleſia S. Ægidii tumulatus eſt. Ita Guillelmus de Nangis in Chronico ad ann. 1208. & Petrus Vallis Cernaji cap. 8. qui addit, quòd perlato ad Innocentium III. tanti facinoris nuntio, Pontifex latâ in occiſorem, in Comitem & quoſcumque criminis participes excommunicationis ſententiâ, Legati ſui necem vindicarit.

IV. Poſt aliquot elapſos annos Albigenſes conſtituerunt ſibi Antipapam in finibus Bulgarorum, Croatiæ, & Dalmatiæ, quemdam inter eos famoſum nomine Bartholomæum è Carcaſſona oriundum, quem Papam ſuum appellabant. Hic in partibus illis, in quibus error invaluerat, etiam Epiſcopos & alios illarum regionum multos ad ſuam traxerat pravitatem. Ad eum confugiebant Albigenſes, ut ad eorum conſulta reſponderet. Bartholomæus iſte hunc ſuis literis titulum præfigebat *Servus Servorum Sanctæ Fidei N. ſalutem*. Creabat Epiſcopos & Eccleſias ordinabat (veriùs deordinabat.) De his Card. Epiſcopus Portuenſis, & in partibus illis Apoſtolicæ Sedis Legatus Archiepiſcopum Rotomagenſem, ejuſque Suffraganeos per literas certiores fecit, eos hortans, ut Senonis cum aliis Prælatis Franciæ convenirent, huic malo remedium allaturi. Hoc tamen remedium præſtitit mors, quæ non multo poſt præfatum Bartholomæum Antipapam è vivis eripiens tumultum hunc hac in parte finivit.

V. In Albigenſis hæreſeos confutatione, & hæreticorum conver-

verſione decennio laboravit S. Pater Dominicus, qui ad hunc finem etiam Ordinem Prædicatorum inſtituit, qui prædicationibus ſuis poſſent errantes ad rectæ fidei tramitem revocare. Cùm enim Oxomenſis Epiſcopi comes eſſet, diſputationibus cum illis habitis interfuit, eoſque ſtrenuè impugnavit voce ac ſcripto, quod Deus miraculo inſigni per ignem comprobavit. Hoc refert Petrus Vallis Cernaji Ciſtercienſis Monachus in ſua Albigenſium Hiſtoria c. 7. his verbis: *Diſputaverant quâdam die quidam Prædicatores noſtri viri Religioſi adverſùs Hæreticos. Unus autem de noſtris Dominicus nomine, vir totius ſanctitatis, qui ſocius fuerat Epiſcopi Oxomenſis, auctoritates, quas in medium produxerat, redegit in ſcriptum, & cuidam hæretico tradidit ſchedulam illam, ut ſupra objectis deliberaret. Nocte igitur illâ erant hæretici congregati in una domo ſedentes ad ignem. Ille autem, cui vir Dei tradiderat ſchedulam, produxit eam in medium. Tunc dixerunt ſocii ſui, ut in medium ignem illam projiceret, & ſi combureretur, vera eſſet fides imò perfidia hæreticorum: ſi verò incombuſta maneret, fidem quam prædicabant noſtri, veram eſſe faterentur. Quid plura? In hoc conſentiunt omnes; ſchedula in ignem projicitur, ſed cùm in medio igne aliquantulum moram feciſſet, incombuſta penitùs ab igne reſilivit. Stupentibus qui aderant, unus cæteris durior ait illis: Projiciatur in ignem iterum, & tunc experiemini pleniùs veritatem. Projicitur iterum, iterum reſiliit incombuſta: quod videns ille durus & tardus ad credendum, dixit iterum: Trinâ vice projiciatur, & tunc ſinè dubio rei exitum cognoſcimus. Projicitur tertiò, nec tunc quidem comburitur, ſed integta ab igne reſiliit & illæſa. Hæretici autem viſis tot ſignis, nec tunc ad fidem voluerunt converti, ſed in ſua manentes malitia diſtrictiſſimè ſibi invicem inhibuerunt, ne miraculum iſtud per narrationem alicujus ad noſtrorum notitiam perveniret: ſed miles quidam qui erat cum illis, qui aliquantulùm conſentiebat fidei noſtræ, noluit celare quod viderat, ſed pluribus enarravit. Factum eſt totum hoc apud Montem Regalem, ſicut ab ore viri religioſiſſimi* (ipſius S. Dominici) *audivi, qui ſchedulam hæretico tradidit ſuperſcriptam*. Ita Petrus de Valle Cernaji.

VI. Aliud ſimile miraculum à Deo ejuſdem S. Dominici operâ in partibus Carcaſſonæ, & quidem publicè, patratum fertur. Cùm enim ferveret diſputatio, conventum eſt inter Catholicos & hæreticos, ut quiſque dogmata ſua ſcripto traderet, & experimento ignis probaret. Libellum veritates Catholicas continentem edidit S. Dominicus; hæretici conſcripſere ſuum. Uterque in ardentes prunas projicitur. Hæreticorum libellus ſtatim conſumitur: Catholicorum verò, quamvis ter in ignem projectus, ter reſi-

Digitized by Google

reſiliit illæſus, & tandem in alta trabe reſedit. Quæ trabes poſt longum tempus in Eccleſiam Fratrum Prædicatorum Carcaſſone translata, & ante Sacellum S. Dominici collocata fuit, unà cum pictura factum miraculi exhibente his appoſitis carminibus:

Illæſus dignè Sancti liber exit ab igne.
Sed flammis dignis errores corripit ignis.

VII. Deus, qui veritatem Catholicam in igne comprobavit, veritatem quoquè Corporis Chriſti in Euchariſtia in aquis duplici prodigio confirmare voluit. Utrumque refert Cæſarius Heiſterbachenſis Lib.9. cap.12. & 13.: quæ ad removendos modernos Hæreticos præſertim Calviniſtas pertinaciter eam negantes placet referre: *Tempore illo*, inquit, *quando manifeſtari cœperunt hæreſes Albienſes, quidam maligni virtute diabolicá ſuffulti quædam ſigna atque portenta oſtenderunt, quibus & eaſdem hæreſes roboraverunt, & multos fidelium in fide ſubverterunt: ſuper aquas ambulaverunt, & non ſunt ſubmerſi. Cernens hoc Sacerdos quidam* (S. Dominicum putant aliqui) *fide Catholicus & vitá Religioſus, ſciens vera ſigna cum falſa doctrina eſſe non poſſe, Corpus Domini cum pixide ad flumen, ubi illi populis ſuas oſtenſuri erant virtutes, deportavit, dixitque in audientia omnium: Adjuro te, Diabole, per eum, quem in manibus porto, ne in hoc flumine ad hujus populi ſubverſionem per hos homines tantas exerceas phantaſias. Poſt hæc verba, illis ſuper undas fluminis ambulantibus ut priùs, Sacerdos turbatus Corpus Dominicum in flumen jactavit. Mira Chriſti potentia! Mox enim ut elementum tetigit Sacramentum, phantaſia ceſſit veritati, & pſeudo illi ſancti quaſi plumbum deſcendentes in profundum ſunt ſubmerſi: pyxis verò cum Sacramento ſtatim ab Angelis ſublata eſt. Videns Sacerdos hæc omnia, de miraculo quidem exultavit, ſed de jactura Sacramenti doluit: totam verò noctem ita lacrymis & gemitu tranſigens, mane pyxidem cum Sacramento reperit ſuper Altare. Hæc nobis eodem tempore relata ſunt.*

VIII. Alterum prodigium idem Cæſarius ita deſcribit: *Aliud in mari de Corpore Domini contigit miraculum, quod non ſilebo. Quando in iſta magna expeditione naves ex omni parte Alemanniæ congregatæ mare intraverunt, ob cauſas diverſas præceptum eſt Sacerdotibus, ne in aliqua navi Corpus Dominicum ſervaretur. Quæ cùm omnes juſſis obtemperarent, una ſola navis Friſonum obedire noluit, quæ citiùs inobedientiæ pœnam ſolvit. Dei ſiquidem judicio confracta eſt, & pyxis ſervans Corpus Domini cum cæteris quæ in navi erant ejecta, homines verò aliis navibus ſubvenientibus liberati ſunt: & ecce vident eminus pyxidem in pelago natantem, quæ tam celeri motu ad naves feſtinabat, ut velificare videretur: quæ cùm in navim* unam

unam recepta fuiſſet, aliud in ea viſum eſt miraculum. Cùm operculum ejus eſſet patulum, nec zonâ circa nodum firmatum, inter undas illas procelloſas, nec una quidem guttula intravit. Hermannus Decanus Sancti Gereonis in Colonia qui præſens fuit, & hæc vidit, pro magno miraculo ea ſolet recitare. Hæc ex auditu à teſtibus coævis & præſentibus refert Cæſarius. Immeritò igitur Cave, & Oudin ſectarii tanquam ſuſpectæ fidei illum traducunt.

IX. Hiſce tamen prodigiis Albigenſes nihil permoti, ſed ut olim Pharao & Ægyptii ad Moyſis portenta magis obdurati, Raymundo Comite Toloſano ſuo patrocinio eis animum addente, errores ſuos paſſim ſpargere non deſiſtebant, & ſectarios numero & qualitate in dies augere. Quare ad expeditionem Apoſtolicam contra ipſos numero & viribus augendam, S. Dominicus de ſuo Prædicatorum Ordine inſtituendo cogitavit. De hoc referam, quæ Guillelmus de Podio Laurentii in Chronico cap. 10. ſcripſit: *Continuato itaque biennio & ampliùs hoc labore, cùm accenſum ignem per hanc viam extinguere non valerent benedicti Dei Pugiles, attendentes quòd res iſta altiori conſilio indigeret, clamare ad Sedem Apoſtolicam ſunt coacti, & ut cœpta prædicatio remaneret, de ordinandis perpetuis Prædicatoribus eſt proviſum, inſpirante Domino, & hac de cauſa ſub beato Epiſcopo Domino Fulcone Ordo Prædicatorum eſt exorſus. Quorum Vexillifer Beatus Dominicus, prælationem ſuſcepit pariter & laborem: ſuper quo non intereſt narrationem meam proſequi, cùm per hiſtoriam vitæ ſuæ, & Ordinis ubique dilatati evidentiam, ſit jam volentibus atque nolentibus manifeſtum, verumque, ſecundùm quod dicit Beatus Apoſtolus, oportuiſſe hæreſes eſſe in noſtris temporibus, ſive regionibus, ut Ordo Beatus non tam apud nos, quàm apud totum mundum fructuoſus & publicus appareret.* Ita Guillelmus, qui Raymundo juniori Raymundi Toloſani Comitis filio à Sacris fuit.

X. Ejuſdem ſancti viri labores, & Ordinem ad hæreticos expugnandos inſtitutum aſſerunt Auctor Chronici, cui titulus: *Præclara Francorum facinora*, ubi ad ann. 1206. ubi hæc habet: *Ordinem Fratrum Prædicatorum incœpit S. Dominicus in partibus Toloſanis, ubi verbo & exemplo contra hæreticos exorſus eſt biennio antea prædicare ſub anno Domini 1204. & hoſpitem ſuum ab hæretica pravitate convertit primâ nocte quâ Toloſæ hoſpitio ſunt recepti*. Lucas Tudenſis Lib. 2. adv. Albigenſes cap. 11. Platina Lib. de Vitis Pontificum in Innocentio III. Paulus Æmilius Lib: 5. de Rebus Geſtis Francorum in Philippo Auguſto, ubi: *Recepti*, inquit, *Prædicatores Fratres, qui literis ſe excolerent, concionibus edocerent, jus alienum minimè uſurparent. Dominicus auctor extitit, & doctus & ſanctus vir, & acerrimus hæreſum inſectator*. Confirmat hæc Conradus Abbas Urſper-

Digitized by Google

Urſpergenſis auctor coævus in Chronico ad ann. 1212. ubi dicit, quòd ſicut ad corrigendos Pauperum de Lugduno ſuperſtitioſos & ſuſpectos mores Ordinem Minorum Papa confirmavit: ita ad emendandum Humiliatorum audaciam, qui omnia facere volebant ſinè licentia Prælatorum, nempè prædicare, confeſſiones audire &c., Ordinem Prædicatorum approbavit: *Quæ volens*, inquit, *corrigere Papa Ordinem Prædicatorum inſtituit & confirmavit. Illi quippè rudes & illiterati cùm eſſent, operibus manuum inſtabant, & prædicabant, accipientes neceſſaria à ſuis credentibus. Iſti verò ſtudio & lectioni Sacræ Scripturæ jugiter inſiſtentes tantùm in ſcribendo Libros opus faciebant, & eos diligentiſſimè à magiſtris ſuis audiebant, ut cum ſagittis & arcu, & omni armatura fortium poſſent ingredi & ſtare pro defenſione Sanctæ Matris Eccleſiæ: & ex adverſo aſcendere, & ponere murum pro domo Iſrael, dum fidem roborant, virtutes inflammant, ſtatuta Eccleſiæ docent & collaudant, vitia hominum & pravitates redarguunt & caſtigant. Nihilominus Sedi Apoſtolicæ in omnibus obediunt, à qua auctoritatem præcipuam trahunt.*

XI. Hinc auctore S. Dominico Sanctæ Inquiſitionis Officium fuiſſe primùm à Summo Pontifice inſtitutum, ac eidem Sancto Viro, ac Fratribus Prædicatoribus ad hæreſim exterminandam primùm ac præcipuè demandatum, conſentiunt Auctores. Quo in munere tanto zelo pro fide laboraverunt, ut multa etiam paſſi ſint. Nam cùm circa annum 1234. fuiſſent à Summo Pontifice in partibus Toloſanis ad hoc deputati Frater Petrus Cellani & Guillelmus Arnaldi ejuſdem Ordinis, & ſtrenuè munus ſuum implerent, Epiſcopo Tornacenſi Legato eis manum præbente; nonnulli factâ conſpiratione, Inquiſitores & ipſum etiam Epiſcopum coegerunt Toloſâ exire, & etiam totum Conventum Fratrum Prædicatorum unà cum illis ejecerunt, ut refert Guillelmus de Podio Laurentii in Chron. cap.43. Qui ſacro inſtructo agmine bini & bini ex Urbe exierunt animis ad martyrium comparatis, Symbolum Fidei & Antiphonam *Salve Regina* concinentes. Quos Joannes Viennenſis Archiepiſcopus Sanctæ Sedis Legatus reſtituit, & Inquiſitionem ſummâ libertate exerceri juſſit. Poſtea verò Sancti Regis Ludovici potentiâ Toloſanus Comes in ordinem redactus eſt, victiſque Albigenſibus, & ex magna parte deletis, Inquiſitio innovata fuit; tum ab Alexandro IV. commiſſio data Priori Pariſienſi ſuper negotio Inquiſitionis contra hæreticos in omnibus partibus Regni Franciæ inſtituendæ; ut habetur in Novo Theſauro Anecdotorum P. Martene Tom. 1. pag. 1814.

XII. Inter cæteros in munere Inquiſitionis effulſit Fr. Petrus de Verona Virgo Doctor & Martyr, qui pro ea ſanguinem fudit.

Digitized by Google

Cùm enim Apoſtolicâ auctoritate eſſet Inquiſitor in partibus Mediolano ſubjectis, cùmque anno 1252. relictâ Como Mediolanum ad extirpandam hæreticam pravitatem pergeret, quidam de hæreticorum credentibus, prece eorum ac pretio inductus, in itinere eum invadens, multis impreſſis vulneribus Fidei Symbolum recitantem crudeliter occidit. Quem Innocentius IV. ſequenti anno Sanctorum Martyrum numero adſcripſit, ac velut Sanctæ Inquiſitionis Tutelarem Eccleſia noſtris etiam temporibus veneratur.

§. IV.

Sacrum contra Albigenſes bellum.

I. CUm Albigenſes in dies non ſolùm numero ſed potentiâ Raymundi Comitis Toloſani, & aliorum Principum præſidio augerentur, Urbeſque multas non ſolùm erroribus inficerent, ſed & armis occuparent, & in Eccleſias Sacroſque Miniſtros impiè graſſarentur; viſum eſt Innocentio III. Summo Pontifici brachii ſecularis auxilium implorare, ut qui nedum errantes, ſed furentes, perniciem animabus & corporibus inferebant, armis etiam frænarentur. De hoc Cæſarius Heiſterbachenſis Lib. 5. cap. 21. *In tantum*, inquit, *Albienſium error invaluit, ut brevi intervallo temporis infecerit uſque ad mille Civitates, & ſi non fuiſſet gladiis fidelium repreſſus, puto, quòd totam Europam occupaſſet. Anno Domini milleſimo ducenteſimo decimo prædicata eſt contra Albienſes in tota Alemannia & Francia Crux, & aſcenderunt contra eos anno ſequenti de Alemannia Lupoldus Dux Auſtriæ, Adolphus Comes de Monte, Willielmus Comes Juliacenſis, & alii multi diverſæ conditionis & dignitatis. Simile factum eſt in Francia, Normannia atque Pictavia. Horum omnium prædicator & caput erat Arnoldus Abbas Ciſtercienſis, poſtea Archiepiſcopus Narbonenſis.*

II. Porrò quia ſacra hæc expeditio non ad perdendos homines, ſed ad exterminandum errorem ordinabatur, priùs corda ſuaſione & prædicatione emollire, quàm corpora ferire tentabat: ſacris cantibus & hymnis magìs, quàm tubis milites parabantur ad prælium. His territi plures ex iis cedebant. *Quia* (inquit Petrus de Valle Cernaji) *ſicut poſtea confeſſi ſunt, plus timebant eos cantantes quàm pugnantes, pſallentes quàm inſidiantes, orantes quàm infeſtantes*. His armis inſtructi Catholici licèt pauci numero, exercitum centum millium armatorum ſub Alphonſo Rege Aragonum, & Raymundo Toloſate contra fidem pugnantium, ut ne decima quidem pars conſiſteret, profligavere. Hujus piæ præliandi artis au-

auctores erant Epiſcopi, qui in exercitu erant cum Sancto Dominico. Ita poſt Petrum de Valle Cernaji refert L.6. de Geſtis Francorum Paulus Æmilius: *Circiter centum millia armatorum in acie adversùs Simonem* (de Monfortio) *ne decimâ quidem parte hoſti parem conſtitiſſe ferunt, & Dux & milites Confeſſione priùs, & Sacrâ Communione operati ſe cœleſti ope muniere. Pontifices Toloſatium, Agatenſium, Lodovenſium, Convenarum, quos populares ſedibus exegerant, in noſtrorum exercitu erant cum Dominico ſancto viro. Hi non arma gerebant, non ſtringebant enſes. Dum committitur, dum trahitur prælium, Deum Optimum Maximum precantur, pro cauſa ſua ſtet; ducem ſe ſuis militibus præſtet: Crucem, quam pro militiæ Inſigni accepiſſent, invictam velit: Qui hoſtes viribus, ope omni humanâ ſuperiores ſint, eos ne ſineret etiam de his triumphare, qui omnem ſpem ſuam in Numine collocaſſent. Moveretur cauſa, precibus, obſervationibus, votis. Valuerunt lacrymæ, vicit Religio, fuſa, fugata multitudo à paucitate, furor à Religione. Comites effugere. Rex Tarraconenſis cecidit: Toloſates maximè cladem ſenſere, nullâ propè domo cladis experte. Gladio multi, flumine plures, dum omnia minùs quàm hoſtem timent, dum per medios gurgites evadere conantur abſumti. Plus viginti millia deſiderata, cæteri armis exuti. E nobilitate noſtra unus omninò interiit cum paucis admodum, atque his neque ſanguine neque virtute inclytis. Utque præclarè vicerat Simon, ita non ſegniter victoriâ uſus bellum circumtulit, oppida circumjecta cœpit*. His & aliis Paulus Æmilius inter cæteros celebrat ſacri belli proſperum eventum, ſuæ cauſæ patrocinante Deo. Geſta ſunt ad Murellum (ſeu Muretum) oppidum Aquitaniæ ad Garumnam fluvium.

III. Multis aliis adversùs Albigenſes, & eorum fautores præclarè geſtis, in ſecunda Toloſæ obſidione Simon Comes Monfortius ictu lapidis interfectus eſt anno 1217. in craſtino S. Jo. Baptiſtæ, vir æquè pius ac ſtrenuus, velut alter Judas Machabæus. Perlato enim nuntio, hoſtes è munitionibus ſuis egreſſos in Cruceſignatum exercitum impetum facere; cùm Miſſam audiens urgeretur ut abſque mora ſuccurreret, dixit: *Non exibo, niſi priùs videro meum Redemtorem*. Peractâque conſecratione, & Chriſti Corpore & Sanguine adoratis ait: *Nunc dimittis ſervum tuum, Domine, ſecundùm verbum tuum in pace, quia viderunt oculi mei ſalutare tuum*. Et addit: *Eamus, & ſi oportuerit, moriamur pro illo, qui pro nobis dignatus eſt mori*. Ita refert Petrus Vallis Cernaji cap. 86. Ipſum Innocentium III. in Epiſtola ad ipſum data vocat *Verum ac ſtrenuum Militem Chriſti, & invictum Catholicæ fidei propugnatorem*. Anno 1222. Raymundus Comes Toloſanus impius fidei hoſtis ſubitâ

bitâ morte extinctus eſt. Licèt autem quædam pœnitentiæ ſigna dediſſet, quia tamen levia erant & æquivoca, nec ab excommunicatione fuerat abſolutus, ſacrâ ſepulturâ privatus eſt. Ei ſucceſſit Raymundus junior.

IV. Almaricus Simonis Monfortii filius, bello proſequendo ſe imparem videns, & Raymundi junioris vires augeri, jura ſua, & ſacri belli Ducatum in Ludovicum VIII. Regem Chriſtianiſſimum tranſtulit. Qui numeroſum exercitum duxit in Albigenſes, oppida caſtraque plurima, & Avenionem poſt trium menſium obſidionem recuperavit anno 1226. Ejuſdem Regis Geſta Guillelmus de Podio Laurentii refert, ad eumque ſcripſit Honorius III. literas quibus ipſius zelum ad conterendos Albigenſes excitat. Sacrum iſtud bellum poſtea redintegravit S. Ludovicus IX. Gregorio IX. Pontifice eum adhortante, cujus literas Annalibus Eccleſiaſticis inſeruit Odoricus Raynaldus ad ann. 1228. Eodem itaque anno à Regio & Cruceſignatorum exercitu obſeſsâ Toloſâ, & ſive captâ, ſive in deditionem acceptâ, ſive ſolùm agrorum & vinearum vaſtatione contritâ, Raymundus junior Comes in eas conditiones pacis, quas ipſi tum Rex tum Sedis Apoſtolicæ Legatus præſcripſit, conſenſit, & præcipuè ut totam terram ſuam ab hæreticis Albigenſibus purgaret. Qui omni præſidio deſtituti ac diſperſi, ad paucas reliquias ſenſim fuerunt redacti, nec tamen lues totaliter extincta fuit.

In hoc Dei providentia ſpecialiter effulſit, qui Sancti Ludovici Regis pueritiam tam glorioſâ tamque utili rei Chriſtianæ pace, & Albigenſium debellatione honorare voluit, ut quod Cruceſignatus exercitus tot annorum ſpatio conficere non potuerat, ipſe adhuc minorennis Blancâ Matre Regnum procurante perficeret. Ita Guillelmus de Podio Laurentii: *Sic*, inquit, *Deus ejus pueritiam honoravit, quòd de pluribus conditionibus in prædicta pace contentis & obtentis, unaquæque per ſe ſola ſufficeret quaſi ad redemtionis pretium, ſi Rex eundem Comitem inveniſſet adversùm ſe in campeſtri prælio & cæpiſſet.* Toloſates Eccleſiæ reconciliati ſunt anno 1229. à Petro de Collemedio Legati Apoſtolici vices gerente.

V. Plura adversùs Albigenſes celebrata ſunt in Galliis Concilia, quæ percurrere poterit Lector apud Alexandre in Hiſt. Sec. 13. & 14. cap. 3. art. 1. §. 5. Eorum errores confixi fuere à Concilio Œcumenico Lateranenſi IV. anno 1215. ſub Innocentio III. celebrato, in cujus cap. 1. oppoſitum eorum erroribus his verbis ſancitur: *Unum univerſorum principium, Creator omnium inviſibilium & viſibilium, ſpiritualium & corporalium ſuâ omnipotenti virtute ſimul ab initio temporis utramque de nihilo condidit creaturam ſpiritualem*

tualem & corporalem, Angelicam videlicet & Mundanam; ac deinde humanam quaſi communem ex ſpiritu & corpore conſtitutam. Diabolus enim & Dæmones alii, à Deo quidem naturâ creati ſunt boni, ſed ipſi per ſe facti ſunt mali; homo verò Diaboli ſuggeſtione peccavit.

Hæc Sancta Trinitas ſecundùm communem eſſentiam individua, & ſecundùm proprietates perſonales diſcreta, per Moyſen & Sanctos Prophetas, alioſque famulos ſuos juxta ordinatiſſimam diſpoſitionem temporum, doctrinam humano generi tribuit ſalutarem. Et tandem Unigenitus Dei Filius Jeſus Chriſtus, à tota Trinitate communiter Incarnatus, ex Maria ſemper Virgine Spiritus Sancti cooperatione conceptus, verus homo factus ex anima rationali & humanâ carne compoſitus, una in duabus naturis perſona, viam vitæ manifeſtiùs demonſtravit. Qui cùm ſecundùm Divinitatem ſit immortalis & impaſſibilis, idem ipſe ſecundùm humanitatem factus eſt paſſibilis & mortalis: quin etiam pro ſalute humani generis in ligno Crucis paſſus & mortuus, deſcendit ad Inferos, reſurrexit à mortuis, & aſcendit in Cælum. Sed deſcendit in anima, reſurrexit in carne, aſcenditque pariter in utroque: venturus in fine ſeculi judicare vivos & mortuos, & redditurus ſingulis ſecundùm opera ſua, tam reprobis, quàm electis. Qui omnes cum ſuis propriis corporibus reſurgent, quæ nunc geſtant; ut recipiant ſecundùm merita ſua, ſive bona fuerint ſive mala: illi cum Diabolo pœnam perpetuam, & iſti cum Chriſto gloriam ſempiternam.

Una verò eſt fidelium univerſalis Eccleſia, extra quam nullus omninò ſalvatur. In qua idem ipſe Sacerdos & Sacrificium Jeſus Chriſtus: cujus Corpus & Sanguis in Sacramento Altaris ſub ſpeciebus panis & vini veraciter continetur, Tranſubſtantiatis pane in Corpus & vino in Sanguinem, Poteſtate Divinâ, ut ad perficiendum myſterium unitatis accipiamus ipſi de ſuo, quod accepit ipſe de noſtro. Et hoc utique Sacramentum nemo poteſt conficere, niſi Sacerdos, qui fuerit ritè ordinatus ſecundùm claves Eccleſiæ, quas ipſe conceſſit Apoſtolis, & eorum Succeſſoribus Jeſus Chriſtus. Sacramentum verò Baptiſmi, quod ad invocationem individuæ Trinitatis, Patris & Filii & Spiritus Sancti conſecratur, in aqua, tam parvulis, quàm adultis, in forma Eccleſiæ, à quocumque ritè collatum, proficit ad ſalutem. Et ſi poſt ſuſceptionem Baptiſmi quiſquam prolapſus fuerit in peccatum, per veram Pœnitentiam ſemper poteſt reparari.

Non ſolùm autem virgines & continentes, verùm etiam conjugati, per fidem rectam & operationem bonam placentes Deo, ad æternam merentur beatitudinem pervenire. Hanc Fidei Catholicæ expoſitionem referre volui, quia non ſolùm Albigenſis, ſed aliarum tam præcedentium, quàm ſubſequentium hæreſeon plura capita conterit.

VI. Placet pro complemeto unam ex cauſis afferre, quâ mota fuit Eccleſia, ut nedum ſpirituali, ſed & temporali Principum gladio Albigenſes compeſceret: Hanc refert Cæſarius Heiſterbachenſis dicto Lib. 5. cap. 21. ubi ait: *Albienſes antequam veniret contra eos exercitus Domini, ut ſupra dictum eſt, Miramomelinum Regem de Marroch in auxilium ſibi invitaverant, qui de Afric a in Hiſpanias cum tam incredibili multitudine venit, ut totam Europam ſe obtinere poſſe ſperaret. Mandavit Innocentio Papæ, quia equos ſuos in porticu Eccleſiæ Beati Petri vellet ſtabulari, & ſuper illam vexillum ſuum figere: quod ex parte impletum eſt, etſi ſecùs quàm ipſe cogitaſſet. Et quia Deus frangit omne ſuperbum, eodem tempore, ſcilicet anno gratiæ milleſimo ducenteſimo duodecimo, decimoſexto Kal. Auguſti de exercitu ejus ſexaginta millia pugnatorum ceciderunt, ipſe verè ſe in Siciliam transferens, ex dolore mortuus eſt. Cujus vexillum principale in bello captum Innocentio eſt tranſmiſſum, & in Eccleſia prædicta ad Chriſti gloriam erectum.* Hæc de Albigenſibus dicta ſufficiant.

CAPUT XCV.

De Almarico, ejus Diſcipulis, Abbate Joachim, & Evangelio Æterno.

§. I.

Almarici conditio & error.

I. ALMARICI conditionem, errorem, & exitum ita refert Armoricus auctor coævus in Hiſtoria de Vita & Geſtis Philippi Auguſti ad annum 1209. his verbis „ In diebus illis ſtudium literarum florebat Pariſiis, nec legimus tantam „ aliquando fuiſſe ſcholarium frequentiam Athenis, vel Ægypti, „ vel in qualibet parte Mundi, quanta locum prædictum ſtudendi „ gratiâ incolebat. Quod non ſolùm fiebat propter loci illius admirabilem amœnitatem, & bonorum omnium ſuperabundantem affluentiam; ſed etiam propter libertatem, & ſpecialem „ prærogativam defenſionis, quam Philippus Rex, & Pater ejus „ ante ipſum, ipſis ſcholaribus impendebant. Cùm itaque in eadem nobiliſſima Civitate non modò de trivio & quadrivio; verùm & de quæſtionibus juris Canonici & Civilis, & de ea facultate quæ de ſanandis corporibus & ſanitatibus conſervandis ſcripta eſt, plena & perfecta inveniretur doctrina, ferventiori ta-

,, tamen deſiderio ſacram paginam & quæſtiones Theologicas do-
,, cebantur .
II. ,, Fuit igitur in eadem Sacra Facultate ſtudens quidam
,, Clericus *Almaricus* nomine, de territorio Carnotenſi, villâ
,, quæ *Bena* dicitur, oriundus. Qui cùm in arte Logica peritus
,, eſſet, & ſcholas de arte illa & de aliis artibus liberalibus diù
,, rexiſſet, tranſtulit ſe ad ſacram Paginam excolendam: ſemper
,, tamen ſuum per ſe modum docendi & diſcendi habuit, & opi-
,, nionem privatam, & judicium quaſi ſectum & ab aliis ſepara-
,, tum. Unde & in ipſa Theologia auſus eſt conſtanter aſſeverare:
,, *Quòd quilibet Chriſtianus teneatur credere, ſe eſſe membrum Chri-*
,, *ſti (intelligebat naturale membrum) nec aliquem poſſe ſalvari, qui*
,, *hoc non crederet, non minùs, quàm ſi non crederet, Chriſtum eſſe*
,, *natum & paſſum, vel alios fidei articulos;* ipſe hoc dictum aude-
,, bat dicere, annumerandum eſſe.
III. ,, Cùm igitur in hoc ei ab omnibus Catholicis univerſali-
,, ter contradiceretur, de neceſſitate acceſſit ad Summum Ponti-
,, ficem (Innocentium) qui auditâ ejus propoſitione, & Univer-
,, ſitatis Scholarium contradictione ſententiavit contra ipſum.
,, Redit ergo Pariſios, & compellitur ab Univerſitate confiteri
,, ore, quòd in contrarium prædictæ opinioni ſuæ ſentiret (ore,
,, dico, quia de corde nunquam diſſenſit.) Tædio ergo & indigna-
,, tione affectus, ut dicitur, ægrotavit, & lecto incumbens, de-
,, ceſſit in brevi, & ſepultus eſt juxta Monaſterium S. Martini de
,, Campis ,,. Quamvis, ut infra dicam, poſtea ejus oſſa indè ex-
tracta & in ſterquilinium projecta fuerint.

§. II.

Almarici Diſcipulorum errores.

I. Almarico extincto, hæreſis nedum extincta non fuit, ſed novis ac ſacrilegis blaſphemiis ſe in ejus Diſcipulis manifeſtavit: & quidem per ſequentia dicendo: Poteſtatem Patris duraſſe ſolùm quamdiù viguit Lex Moſaica. Hâc poſtea abolitâ Legem novam à Chriſto Filio Dei inſtructam, ſed hanc uſque ad eorum tempora viguiſſe dicebant, & tunc tempus Spiritus Sancti incœpiſſe, quo nec Baptiſmus, nec Confeſſio, nec Euchariſtia, nec alia Sacramenta ad ſalutem neceſſaria ampliùs eſſent, ſed ſola gratiâ interiori Spiritus Sancti abſque ullis externis operibus ſalvari poſſe. Imò caritatis virtutem ſic ampliabant, ut id quod aliàs peccatum eſſet, ſi in virtute fieret caritatis, diceretur jam non eſſe pec-

Digitized by Google

peccatum. Unde & ſtupra, & adulteria, & alias ſimiles corporis voluptates caritatis nomine adornabant: Mulieribus cum quibus peccabant, & rudibus quos decipiebant, impunitatem peccati promittentes: Deum tantummodò bonum, & non juſtum aſſerentes. Ita referunt præfatus Armoricus, & Rigoldus auctores coævi ad annum 1209.

II. Eorum errores accuratiùs, & diſtinctiùs explicat Cæſarius Heiſterbachenſis Lib.5. cap.22. Primò: *Dicebant*, inquit, *non aliter eſſe Corpus Chriſti in pane Altaris, quàm in alio pane & in qualibet re*. Secundò: *Sic Deum locutum fuiſſe in Ovidio, ſicut in Auguſtino*. Tertiò: *Negabant reſurrectionem corporum, dicentes, nihil eſſe Paradiſum, neque Infernum, ſed qui haberet cogitationem Dei in ſe, quam ipſi habebant, haberet in ſe paradiſum; qui verò mortale peccatum, haberet infernum in ſe, ſicut dentem putridum in ore*. Quartò: *Altaria Sanctis ſtatui, & Sacras Imagines thurificare, idololatriam eſſe dicebant; eos qui oſſa Martyrum deoſculabantur ſubſannabant*. Quintò: *Maximam etiam blaſphemiam auſi ſunt dicere in Spiritum Sanctum, à quo omnis munditia eſt & ſanctitas: ſi aliquis eſt in Spiritu Sancto, ajebant, & faciat fornicationem, aut aliquá aliá pollutione polluatur, non eſt ei peccatum, quia ille Spiritus, qui eſt Deus, omninò ſeparatus à carne, non poteſt peccare, & homo qui nihil eſt, non poteſt peccare, quamdiù ille Spiritus, qui eſt Deus, eſt in eo. Ille operatur omnia in omnibus. Unde concedebant, quòd unuſquiſque eorum eſſet Chriſtus & Spiritus Sanctus*. Hæc Cæſarius. Vide Lector lacunas, ex quibus noſtri temporis Hæretici ſuas expiſcati ſunt hæreſes.

III. Omnia hæc verè blaſphema ex ſupradicto falſo principio, quòd ſcilicet, omnis Chriſtianus teneatur credere ſe eſſe membrum naturale Chriſti & Dei, vel Almaricus inferebat, vel Diſcipuli ejus, & apud ſuos clanculum ſeminabant. Alios errores, alia deliria Almarico, vel potiùs ejus Diſcipulis tribuit Prateolus de Vitis & Sectis Hæreticorum, & ante ipſum Martinus Polonus in Chronico: *Ideas, quæ ſunt in mente Divina, creare, & creari*; cùm ſecundùm Auguſtinum, nil niſi æternum & incommutabile ſit in mente Divina. Item: *Quòd ideò finis omnium dicitur Deus, quia omnia reverſura ſunt in eum, ut in Deo immutabiliter quieſcant, & unum individuum & incommutabile in eo permanebunt*. Et *ſicut alterius naturæ non eſt Abraham, alterius Iſaac, ſed unius ac ejuſdem: ſic dixit, omnia eſſe unum, & omnia eſſe Deum*. Dixit enim: *Deum eſſe eſſentiam omnium creaturarum, & eſſe omnia*. Item dixit: *Quòd ſicut lux non videtur in ſe, ſed in aere: ſic Deus neque ab Angelo, neque ab Homine videbitur in ſe, ſed tantùm in creaturis*. Item aſſeruit:

Quòd,

Quòd, ſi homo non peccaſſet, in duplicem ſexum partitus non fuiſſet, nec generaſſet; ſed eo modo quo Sancti Angeli multiplicati ſunt, multiplicati fuiſſent & homines; & quòd per reſurrectionem utriuſque ſexus, adunabitur ſicut, ut aſſerit, fuit priùs in creatione. Et talem dixit Chriſtum fuiſſe poſt reſurrectionem. Hi omnes (inquit Martinus Polonus mei Ordinis Auctor circa ann. 1276.) in Libro, qui inſcribitur *Peri phyſeon*, qui cum Almarici ſequacibus Pariſiis combuſtus fuit.

IV. Propter ſequentes etiam errores, Almaricianos fuiſſe damnatos & combuſtos, ex Actis Pariſienſis Concilii apud Martene Tomo 4. Anecdotorum apparet; nempè, quòd Pater à principio operatus eſt ſinè Filio & Spiritu Sancto uſque ad ejuſdem Filii Incarnationem. Secundò: Quòd Pater in Abraham incarnatus fuit, Filius in Maria, Spiritus Sanctus in nobis quotidiè incarnatur. Tertiò: Quòd omnia unum ſint, quidquid eſt, eſt Deus. Unde Bernardus quidam ex eis, ſe nec igne cremari, nec torqueri poſſe dicebat, quia quidquid in eo erat, Deum eſſe aſſerebat. Quartò: Deum viſibilibus indutum indumentis eſſe in omnibus rebus, & ſic Corpus Chriſti in Euchariſtia ſubeſſe ante verborum prolationem putabant. Quintò: Filium incarnatum nil aliud eſſe, quàm viſibili formæ ſubjectum. Sextò: Spiritum Sanctum in eis incarnatum eis omnia revelare, & hanc eſſe corporum reſurrectionem. Unde ſe ipſos jam reſuſcitatos aſſerebant. Ac proindè ſe ſoli ſcientiæ ſubjacere excluſâ fide & ſpe. Septimò: Parvulos ex eis progenitos non egere Baptiſmo. Tandem quòd Filius uſque modò operatus eſt; ſed Spiritus Sanctus ex hoc nunc uſque ad conſummationem ſeculi incipit operari. Has blaſphemias protulerunt quatuor Sacerdotes, duo Diaconi, tres Subdiaconi, qui 18. Kal. Decembris anno 1210. juxta S. Honorati Baſilicam degradati, 12. Kal. ejuſdem menſis ſupplicio extincti fuere.

V. Iſta ſunt Sectariorum Almarici deliria, in quibus ſi non ſolùm omnia, nedum Catholicæ, ſed Chriſtianæ veritati contraria, ſed etiam aliqua ſibi invicem pugnantia Lector inveneris, ne mireris: Quia cùm hæc ſecta Almarici plures habuerit ſectatores, quorum quilibet ambitione elatus ſe magiſtrum efferre erroris affectabat; factum fuit, ut unus unâ, alius aliâ viâ à veritate diſcederet: ſemel enim ac membrum ab unitate corporis ſe abſcidit, influxum à capite recipere ampliùs nequit, ſed quaſi navis ſinè nauta ac remige quaquâverſum omni vento circumfertur. Quod in Modernis etiam apparet, inter quos tot errores ſunt ferè quot capita, ut in eadem domo unus unius ſectæ, alius alterius ſint, & dummodò à fide Catholica alieni ſint, pacificè ſimul conveniunt.

Digitized by Google

Quare Paulus ad Epheſios cap. 4. eos ita monet, ut ſint *ſolliciti ſervare unitatem ſpiritus in vinculo pacis, unum corpus & unus ſpiritus, ſicut vocati eſtis in una ſpe vocationis veſtræ.... Ut jam non ſimus parvuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ in nequitia hominum, in aſtutia ad circumventionem erroris.*

VI. Horum perfidia hoc modo detecta eſt (inquit Cæſarius Heiſterbachenſis loco ſupra relato) „ Quidam Willelmus aurifaber inter eos præcipuus, qui ſe miſſum à Domino mentiebatur, venit ad magiſtrum Rodulphum de Namuntico, dicens ſe eſſe miſſum à Domino, & hos infidelitatis articulos ei propoſuit: Pater ſub quibuſdam formis operatus eſt in Veteri Teſtamento, ſcilicet Legalibus; & Filius ſimiliter ſub quibuſdam formis, ut in Sacramento Altaris, & Baptiſmo, & aliis. Sicut ceciderunt formæ Legales in primo Chriſti adventu, ita nunc cadent omnes formæ, quibus Filius operatus eſt, & ceſſabunt Sacramenta; quia perſona Spiritus Sancti clarè manifeſtabit ſe in quibus incarnabitur, & principaliter per ſeptem viros loquetur, quorum unus ipſe Willelmus erat.

„ Ipſe prophetabat, quòd infra quinque annos iſtæ quatuor plagæ evenire deberent. Prima ſuper populum, qui fame conſumetur. Secunda erit gladius, quo ſe Principes interficient. Tertia, in qua terra aperietur, & deglutiet Burgenſes. In quarta deſcendet ignis ſuper Prælatos Eccleſiæ, qui ſunt membra Antichriſti. Dicebat enim quia Papa eſſet Antichriſtus & Roma Babylon; & ipſe ſedet in Monte Oliveti, ideſt, in pinguedine poteſtatis „. Hæc pſeudo-propheta: unde ſubdit Cæſarius: *Jam treſdecim lapſi ſunt anni, & nihil horum contigit, quæ pſeudo ille propheta futura intra quinquennium prædixerat.* „ Et ut favorem ſibi captaret Philippi Regis Franciæ, etiam hoc adjecit, Regni Francorum ſubjicerentur omnia Regna & filio ejus, qui erit in tempore Spiritus Sancti, & non morietur: & dabuntur duodecim panes Regi Francorum, ideſt, ſcientia Scripturarum & poteſtas „.

VII. Tot auditis inſaniis & blaſphemiis, nihil commotus Rodulphus, ſed ſibi non diſplicere prudenter ſimulans, quæſivit à Willelmo num haberet ſocios; quos ille ſtatim nominavit. Tunc videns Rodulphus, huic periculo quod imminebat Eccleſiæ ſe ſolum non ſufficere, dixit Willelmo, datum ſibi à Deo eſſe Sacerdotem, cum quo eorum dogmata plenius edoceri poſſet. Porrò ut famæ & conſcientiæ ſuæ conſuleret, prævio plurium in Theologia Doctorum conſilio unà cum eis adiit Petrum Pariſienſem Epiſcopum, eumque de omnibus, quæ audierat à Willelmo, & quæ illi dixerat, cer-

certiorem fecit. Conſilium ſuum probarunt cum Epiſcopo cæteri, ut ipſe & alter Sacerdos hujus ſectæ homines diligenter inquireret. Rodulphus igitur ſic miſſus imitabili modo fingebat ſe eſſe de ſecta eorum, cùm ad eos veniebat, & illi revelabant ei ſecreta ſua tanquam eorum ſectæ participi, ut putabant. Miſſione hâc per tres menſes peractâ, reverſi ad Epiſcopum viſa & audita ei narraverunt. Quo audito Epiſcopos per Provinciam ad eos comprehendendos miſit. Et ita hujus ſectæ plures Sacerdotes, Clerici, & laici, ac mulieres diutiùs latentes, prout Domino placuit, tandem detecti & capti Pariſios adducti, & in Concilio ibidem congregato convicti, & condemnati, & ab Ordinibus, in quibus erant degradati, traditi fuerunt Curiæ Philippi Regis, qui tanquam Rex Chriſtianiſſimus & Catholicus, vocatis apparitoribus, contumaces omnes fecit cremari, & cremati ſunt Pariſiis extra portam in loco, qui dicitur Campellus. Mulieribus autem, & aliis ſimplicibus, qui per majores corrupti fuerant, & decepti, pepercerunt. Hæc ex Cæſario Armorico, & Rigordo coævis ſunt excerpta.

VIII. Addunt tandem præfati Auctores, quòd prædictus Almaricus, quia conſtabat, hanc ſectam ab eo originem habuiſſe, licèt in pace Eccleſiæ, ut putabatur, ſepultus fuiſſet, ab univerſo Concilio etiam poſt mortem excommunicatus fuit, & condemnatus, & à cœmeterio ſacro ejectus, & oſſa & cinis ejus per ſterquilinium fuerunt diſperſa. Sicque per Dei gratiam exorta hæreſis extincta eſt. At quia ejus profeſſores Ariſtotelis Libris abutebantur; ideò eos Libros præfatum Concilium prohibuit. Quam prohibitionem confirmat Gregorius IX. in Bulla ad Magiſtros & Scholares Pariſienſes anno 1233. his verbis: *Libris illis naturalibus, qui in Concilio Provinciali ex certa ſcientia prohibiti fuere Pariſiis, non utantur, quouſque examinati fuerint, & ab omni errorum ſuſpicione purgati*. Libri ergo Ariſtotelis fuerunt prohibiti, quia, ut Rigordus ait, Libelli quidam erant ab Ariſtotele, ut dicebantur compoſiti, & de novo Conſtantinopoli è Græco in Latinum tranſlati, ex quibus hi hæretici ſuos errores confirmabant. Cæterùm Libros & doctrinam tum Metaphyſicæ tum Phyſicæ Concilium præfatum perpetuò non prohibuiſſe, ex eo colligo, quòd S. Thomas, qui paucis poſt annis in Pariſienſi Univerſitate docuit, & tamen ſuper Metaphyſicæ, & Phyſicæ Ariſtotelis Libros egregia edidit Commentaria. Unde fit, Librorum Ariſtotelis lectionem prohibitam fuiſſe ſolùm ad tempus, & verum ſcripſiſſe Cæſarium Heiberſtachenſem citato cap. 22. *Eodem tempore præceptum eſt Pariſiis, ne quis infra triennium legeret Libros naturales*: ad differentiam Librorum Davidis de Dinanto, & de Theologia Gallicè Scriptorum, quos ait perpetuò fuiſſe

fuiſſe prohibitos *Libri Magiſtri David*, *& Libri Gallici de Theologia perpetuò damnati ſunt & excuſſi*. Et meritò. Nam David de Dinanto ſtultiſſimè aſſerebat, Deum eſſe materiam primam, teſte S. Thoma 1. p. qu. 3. art. 8., & Libri Gallici de Theologia, aliqua contra fidem continuiſſe credendi ſunt.

§. III.

Joachimi Abbatis error.

I. JOachim Florenſis Monaſterii in Calabria, unde erat oriundus, Abbas Ciſtercienſis innotuit poſt annum 1175. & obiit anno circiter 1200. vir in Divinis Scripturis continuâ lectione ſtudioſus & eruditus, qui ut propheta ſuo tempore habitus, etiam futura prædicere conatus eſt. Re verâ tamen potiùs ex conjecturis Scripturarum, quàm ex ſpiritu prophetico loquutus fuiſſe videtur. Multa enim futura prædixit, quæ nec tunc quidem, nec poſtea evenerunt. Ita ſentit Trithemius in Chronico Hirſaugienſi ad ann. 1196. Commentaria in varios Sacræ Scripturæ Libros adornavit, ac præſertim in Apocalypſim, quæ juſſu Lucii III. & Urbani III. inchoata, Clemente III. adhortante perfecit. Sed dum Petri Lombardi Magiſtri Sententiarum doctrinam de Trinitate impugnare conatur, in errorem labitur.

II. Scripſerat Petrus Lombardus in 1. Sententiarum Diſt. 5. de Divina Eſſentia: *Quoniam quædam ſumma res eſt Pater, & Filius & Spiritus Sanctus, & illa non eſt generans, neque genita, neque procedens*. Propter hæc verba commotus Abbas Joachim edidit Libellum de Trinitate contra Petrum, quem hæreticum & inſanum vocavit, quaſi in Deo ultra tres Perſonas poneret quartum ab eis diſtinctum, nempè Eſſentiam. Ita S. Thomas Opuſc. 24. ubi relatis Magiſtri Petri præfatis verbis, ſubjungit: *Joachim autem Abbas Florenſis Monaſterii non benè capiens verba Magiſtri prædicti, utpotè in ſubtilibus fidei dogmatibus rudis, prædictam Magiſtri Petri doctrinam hæreticam reputavit, imponens ei quòd quaternitatem induceret in Divinis, ponens tres Perſonas, & communem Eſſentiam, quam credebat, ſic poni à Magiſtro Petro, quaſi aliquid diſtinctum à tribus Perſonis, ut ſic poſſit dici quaſi quartum. Credebat enim, quòd ex hoc ipſo quòd dicitur, Eſſentia Divina nec eſt generans nec genita nec procedens, diſtinguatur à Patre qui generat, & à Filio qui generatur, & à Spiritu Sancto qui procedit. Et ideò ipſe Joachim proteſtatur, quòd in Divinis non eſt aliqua res una, quæ ſit Pater, & Filius & Spiritus Sanctus, ſive res illa dicatur ſubſtantia, ſive eſſentia,*

tia, ſive natura (his enim tribus nominibus idem intelligimus) ſed ne videretur totaliter à fide Nicænæ Synodi recedere, concedebat, quòd Pater & Filius & Spiritus Sanctus ſunt una eſſentia, una ſubſtantia, una natura: quaſi una eſſentia poſſit prædicari de tribus Perſonis, ut dicamus, tres Perſonæ ſunt una Eſſentia; non autem è converſo, ut dicatur una Eſſentia eſt tres Perſonæ.

III. *Sed in hoc ipſo quòd concedebat tres Perſonas eſſe unam Eſſentiam, vel ſubſtantiam, vel naturam, non habebat ſanum intellectum. Non enim ponebat unitatem Eſſentiæ trium Perſonarum eſſe veram, realem, & ſimplicem, ſed quaſi ſimilitudinariam, & collectivam, ideſt quaſi ex pluribus congregatam, ſicut multi homines dicuntur unus populus, & multi fideles dicuntur una Eccleſia, ſecundùm illud Act.* 4. „ Multitudinis credentium erat cor unum & anima una „ *& ſecundùm illud Apoſtoli* 1. *ad Cor.* 6. „ Qui adhæret Deo, unus ſpiritus eſt „ *ſcilicet cum ipſo. Et* 1. *ad Cor.* 3. „ Qui plantat, & qui rigat, unum ſunt... *In quibus omnibus ſignificatur unitas collectiva, & non vera & ſimplex.*

IV. Quòd verò (proſequitur S. Thomas) iſto tantùm ſenſu, nempè unitate morali, affectivâ, concordiæ una trium Perſonarum Divinarum eſſentia diceretur, nonnullis Sacræ Scripturæ teſtimoniis Joachimus Abbas probare nitebatur ex S. Joan. Evangelio c. 17. ubi Chriſtus pro fidelibus ſuis Patrem exorans, ait: *Rogo, Pater, ut omnes unum ſint, ſicut tu Pater in me, & ego in te: ut & ipſi in nobis unum ſint... Et ego claritatem quam dediſti mihi, dedi eis, ut ſint unum, ſicut & nos unum ſumus. Ego in eis, & tu in me, ut ſint conſummati in unum.* Ex quibus verbis ita diſcurrebat: Fideles Chriſti non eâ ratione ſunt unum, ut ſint aliqua una res, quæ ſit communis omnibus: ſed unum ſunt collectione, ideſt una Eccleſia propter unitatem Catholicæ Fidei, & tandem erunt in patria Regnum unum propter unionem perpetuæ & indiſſolubilis caritatis: ergo tres Perſonæ Divinæ non ſunt una Eſſentia, quaſi ſit una res communis omnibus, ſed ſunt unum quemadmodum fideles unum ſunt. Uſurpabat etiam illud 1. Joannis cap. ultimo: *Tres ſunt qui teſtimonium dant in Cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus; & hi tres unum ſunt. Et tres ſunt qui teſtimonium dant in terra, ſpiritus, aqua, & ſanguis. Et hi tres unum ſunt.* Si ergo eo modo unum ſunt qui teſtimonium dant in Cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus, quomodo unum ſunt qui teſtimonium dant in terra, ſpiritus, aqua, & ſanguis, cùm iſta unum ſint ſolâ unitate collectivâ, ſic erunt tres Perſonæ Divinæ.

Scio S. Thomam Opuſc. præfato velle, hæc ultima verba *Et hi tres unum ſunt* dicta de ſpiritu, aqua, & ſanguine in veris exempla-

plaribus deſiderari, ſed in quibuſdam exemplaribus appoſita fuiſſe dici ab Arianis, ad pervertendum intellectum ſanum auctoritatis prædictæ de unitate eſſentiali trium Divinarum Perſonarum. Attamen præfata verba in purioribus Codicibus inveniri, oſtendi tum ſupra Tomo 1. hujus Operis Tract. de Auctoritate Librorum Relig. Chriſt. cap. 2. §. 2. à num.26., tum Tom. 4. in 1. p. Tract. de Trinit.q.1. Dub.2. §.2. à num.30. quò Lectorem remitto. Cæterùm hæc argumentandi ratio, quâ Joachimus utebatur, ab Arianis accepta erat, ut ex Operibus SS. Athanaſii & Hilarii liquet: ideòque palam eſt, eum ſubtilioris Theologiæ ignorantiâ in errorem Arianorum impegiſſe. Videantur alia quæ S. Thomas in Opuſc. citato pro veritate Catholica affert.

V. Hinc delatus Joachim Libellus contra Petrum Lombardum ad Innocentium III. in Concilio Lateranenſi IV. communi Patrum decreto reprobatus & damnatus eſt cap.2. &c., rejectis ſupradictis rationibus, quibus Joachimus movebatur, ita ſtatutum fuit: *Nos autem Sacro & Univerſali Concilio approbante credimus & confitemur cum Petro, quòd una quædam ſumma res eſt, incomprehenſibilis quidem & ineffabilis, quæ veraciter eſt Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus, tres ſimul Perſonæ, ſingulatim quælibet earumdem. Et ideò in Deo Trinitas eſt ſolummodò, non Quaternitas, quia quælibet trium Perſonarum eſt illa res, videlicet ſubſtantia, eſſentia, ſive natura Divina, quæ ſola eſt univerſorum principium, præter quod aliud inveniri non poteſt: & illa res non eſt generans, neque genita neque procedens; ſed eſt Pater qui generat; Filius qui generatur; & Spiritus Sanctus qui procedit: ut diſtinctiones ſint in Perſonis & unitas in natura. Licèt igitur alius ſit Pater, alius Filius, alius Spiritus Sanctus, non tamen aliud. Sed id quod eſt Pater eſt Filius & Spiritus Sanctus, idem omninò; ut ſecundum Orthodoxam & Catholicam fidem conſubſtantiales eſſe credantur.*

VI. Indè ad ſolvendas Joachimi rationes procedens: *Cùm ergo*, inquit, *Veritas pro fidelibus ſuis ad Patrem orat, Volo, inquiens, ut ipſi ſint unum in nobis, ſicut & nos Unum ſumus; hoc nomen* Unum, *pro fidelibus quidem accipitur, ut intelligatur unio caritatis in gratia; pro Perſonis verò Divinis ut attendatur identitatis in natura unitas, quemadmodum Veritas alibi ait* „ Eſtote perfecti, ſicut & Pater veſter Cœleſtis perfectus eſt „. *Ac ſi diceret manifeſtiùs: Eſtote perfecti perfectione gratiæ, ſicut Pater veſter Cœleſtis perfectus eſt perfectione naturæ: utraque ſcilicet ſuo modo; quia inter Creatorem & creaturam non poteſt tanta ſimilitudo notari, quin inter eos major ſit diſſimilitudo notanda.*

VII. Tandem concludit: *Si quis igitur ſententiam, ſive doctrinam*

nam præfati Joachim in hac parte defendere vel approbare præſumſe-rit, tanquam hæreticus ab omnibus confutetur. Ex nullo tamen per hoc Florenſi Monaſterio, cujus ipſe Joachim extitit inſtitutor, volumus derogari: quoniam ibi & regularis inſtitutio eſt, & obſervantia ſalutaris: maximè cùm idem Joachim omnia ſcripta ſua nobis aſſignari mandaverit, Apoſtolicæ Sedis judicio approbanda, ſeu etiam corrigenda: dictans Epiſtolam, cui propriâ manu ſubſcripſit, in qua firmiter confitetur, ſe illam fidem tenere, quam Romana tenet Eccleſia, quæ cunctorum fidelium, diſponente Domino, Mater eſt & Magiſtra. Extat hæc Epiſtola apud Dupleſſis de Novis Erroribus Tom. 1. pag. 121. Ex quo conſtat, Joachimi damnatum quidem ut hæreticum fuiſſe errorem, ſed Joachimum non fuiſſe in perſona hæreticum, quia errorem cum pertinacia non defendit, ſed judicio Eccleſiæ illum ac ſe ſubmiſit. Quare Honorius III., qui Innocentio ſucceſſit, Epiſcopo Biſignani mandavit: *Quatenus per totam Calabriam faciatis publicè nuntiari, quòd eum* (Joachimum) *verum Catbolicum reputamus, & regularem obſervantiam, quam inſtituit, ſalutarem.*

VIII. Aliis erroribus Joachimum notant aliqui, ſed immeritò: cùm notandi ſint quidam phanatici, qui ex ejus ſcriptis malè intellectis eos fabricarunt: & præcipuè Auctor Libri, qui inſcriptus erat *Evangelium Æternum*, de quo ſequenti §. ſermo erit.

IX. Præfatus Abbas Joachim varia futura prænuntiavit. Sed an verus propheta, an verò pſeudo-propheta fuerit, controvertitur. S. Thomas in 4. Sent. diſt. 43. qu. 1. art. 3. quæſtiunc. 2. ad 3. ubi ait, aliqua prædici: *Non prophetico ſpiritu ſed conjecturâ mentis bumanæ, quæ aliquando ad verum pervenit, aliquando fallitur. Et ſimiliter videtur eſſe de dictis Abbatis Joachim, qui per tales conjecturas de futuris aliqua vera prædixit, & in aliquibus deceptus fuit.* Baronius ad ann. 1198. num. 5. quibuſdam Abbatis Joachim prædictionibus præmiſſis, concludit: *Tam ſuis vanis reſponſis, quàm inanibus prophetiis inventus eſt, non Dei propheta, ſed pſeudo-propheta.* Idem ſenſit Rogerius de Hoveden in Annalibus Anglicanis ad ann. 1190. Ejus tamen vaticinia vindicavit Gregorius de Laude, ſeu de Lauro, Abbas Sagittarii Ordinis Ciſtercienſis in ſuo Libro, cui titulus: *Beati Joannis Joachim Abbatis Apologetica, ſive Mirabilium veritas defenſa*, Neapoli edito anno 1560. Papebrochius quoquè in Actis SS. ad diem 29. Maii multa ab eo prædicta & impleta refert. Soveges in Vita S. Dominici ab eo tam S. Patriarcham quàm Ordinem illius præmonſtratum ita narrat: *Hunc Beatum Patrem Dominicum, quaſi præſentem obtulit facto & verbo Venerabilis Abbas Joachim Florenſis Ordinis Inſtitutor. Facto quidem, quòd babitu, non quem primò ut Canonicus Regularis Sanctus Domi-*

nicus tulit, ſed quem à Beata Virgine, Fratrem Reginaldum inungente, recepit, Fratribus ſuis oſtendit, & in quodam Monaſterio Ordinis ſui in Calabria depinxit, dicens: Citò ſurrecturus eſt in Eccleſia Ordo novus docentium, cui præerit unus Major, ac cum eo & ſub eo erunt duodecim præfatum Ordinem regentes, qui ſicut Patriarcha Jacob cum duodecim filiis ingreſſus eſt Ægyptum, ſic ille cum illis duodecim in illo Ordine poſt ipſum majoribus ingredietur, & illuminabit Mundum. Cùm venerint, illos cum honore excipite. Porrò cùm poſt multum tempus S. Dominicus cum Sociis per illud Monaſterium tranſiiſſet, Monachi (idem Auctor refert) *Exierunt eis obviàm cum Crucibus, & cum canticis ſpiritualibus, & in omnibus locis ſuis ipſos ſicut Fratres proprios exhibent & pertractant.* Hæc pro veritate prophetici ſpiritus in Joachim.

§. IV.

De Evangelio Æterno.

I. ABbatis Joachim famam Anonymus, vel Anonymi quidam obſcurarunt, dum ex ejus ſcriptis pravè intellectis Opus quoddam erroribus ſcatens evulgarunt, quod *Evangelium Æternum*, ſeu *Evangelium Spiritus Sancti* inſcripſerunt. De Auctore hujus Libri diſcutitur. Auctor Evangelii exiſtimatus fuit Joannes de Parma Ordinis Fratrum Minorum, qui nimio ſtudio erga Libros Abbatis Joachim, præcipuè ejus Commentaria ſuper Apocalypſim, Opus iſtud circa annum 1330. elaboravit, quod alii ejuſdem Ordinis Fratres poſtea evulgarunt: continebat autem, tres ſtatus hominum pro diverſis temporibus à Deo diſpoſitos fuiſſe: primum, ordinem conjugatorum, qui in Veteri Teſtamento ad Patrem pertinente claruit: ſecundum, ordinem Clericorum tempore gratiæ à Chriſto Domino inſtitutum: tertium ſtatum eſſe ordinem Religioſorum hominum voluntariam paupertatem ſectantium, qui à Spiritu Sancto illuſtrandus erat majori gratiâ, unde hoc vocabant Evangelium Spiritus. Et dicebant, quòd Lex Evangelica neminem ad perfectum ducebat, ſed Lex Spiritus: & ſic ſe habebat Lex Evangelica ad Legem Spiritus, ſicut Lex Vetus ad Legem Gratiæ. Quare ſicut Lex Vetus per Legem Gratiæ fuit abrogata: ita Lex Evangelica in anno milleſimo ducenteſimo ſexageſimo evacuari debebat, & Lex Spiritus ſubintrare.

II. Et certè ſuper hoc quidam Fratres Minores accuſati fuere. Nam Waddingus ipſe in Annal. FF. Minorum ad ann. 1256. confitetur, S. Bonaventuram Pariſiis inquiſiviſſe in quoſdam Fratres Mi-

Minores, qui Joachimi doctrinam pertinaciter defendebant. In Tuſcia etiam interrogatus fuit Joannes de Parma, ſed examine facto non eſt inventa in eo iniquitas, niſi quòd nimiùm propenderit in doctrinam & tutelam Abbatis Joachim: atque hæc ipſa humiliter coram Cardinale & Patribus retractavit. Itaque, inquit Waddingus, non ſinè cauſa illi Commentarii ſuper ſcriptis Abbatis Joachim, Joanni de Parma aſſignabantur. Fratres verò, qui errori pertinaciter adhæſerunt, perpetuo carceri ſunt addicti, ut referunt Beſſanus S. Bonaventuræ ſocius, Jacobus de Tundo, & S. Antoninus 3.p. Chron. tit.24.cap.7. Attamen ab erroris ſuſpicione liber Joannes de Parma, vitâ doctrinâ & miraculis claruit, & Beati appellationem Apoſtolicâ Sede non prohibente obtinuit. Camerini quieſcit, ubi diem obiit extremum anno Chriſti 1289. Ejus vitam ex Annalibus Waddingi deſcriptam ediderunt Henſchenius & Papebrochius inter Acta SS. ad diem 19. Martii.

III. Hujus *Evangelii Æterni* primum auctorem faciunt aliqui Almaricum, vel Diſcipulos ejus, de quibus §. præcedenti egi. Quibus non invitus aſſentirer, cùm multa quæ in eo continentur cum erroribus Almarici & ſuorum conveniant. Hoc poſito, circa annum 1200. ab Almarico, vel aliquo ex ejus diſcipulis, hunc Librum fuiſſe compoſitum putari poteſt. Sed cùm anno 1210. Almarici Sectarii igne combuſti fuiſſent, aliquandiù in tenebris jacuit ſcriptum illud, quod poſtea divulgatum fuit anno 1254. ut Guillelmus de S. Amore teſtatur Lib. de Periculis noviſſimorum temporum cap.8. addens: *Quoniam jam ſunt quinquaginta quinque anni, quòd aliqui laborant ad mutandum Evangelium Chriſti in aliud Evangelium*. Cui Libro alii errores poſtea additi fuere in Commentariis ſuper Libro Concordantiarum, & aliorum Opuſculorum Joachimi Abbatis. Unde ſub hoc titulo evulgatus fuit. Et ejus defenſores damnati fuere in Synodo Arelatenſi anno 1260., cùm priùs anno 1255. & 1256. Alexander IV. illum ſub hoc nomine damnaſſet.

IV. Errores in *Evangelio Æterno* contenti, referente Alexandre in Hiſt. Seculi 13. & 14. cap.3. art.4., ſequentes ſunt. I. Quòd doctrina Joachim excedit doctrinam Chriſti, & conſequenter Veteris & Novi Teſtamenti. II. Quòd Evangelium Chriſti non eſt Evangelium Regni, & ideò non eſt ædificatorium. III. Quòd Novum Teſtamentum eſt evacuandum, ſicut Vetus evacuatum eſt. IV. Quòd Novum Teſtamentum vim non habebit ultra annum Chriſti 1260. Et qui poſtea vivent homines erunt in ſtatu perfectorum. V. Quòd Evangelio Chriſti Evangelium alterum ſuccedet, nimirùm Lex Spiritus. VI. Spiritualem intelligentiam Novi Teſtamenti non eſſe commiſſam Pontifici Romano, ſed tan-

tùm literalem. Unde ſi de ſpirituali judicet temerarium eſſe judicium ejus, nec illi acquieſcendum. VII. Solos Nudipedes idoneos eſſe ad reliquos homines edocendos res ſpirituales & æternas. VIII. Deum Judæos etiam in Judaiſmo pertinaces beneficiis cumulaturum, & ab hoſtibus eos impugnantibus liberaturum. IX. Eccleſiæ Græcæ ſeceſſionem à Romana laudabat, Græcoſque magis ambulare ſecundùm ſpiritum quàm Latinos, aſſerebat. Et ſicut Filius operatur ſalutem populi Latini, qui ipſum repræſentat: ſic Pater operatur ſalutem populi Græci, qui repræſentat Spiritum. X. Monachos non teneri ad mortis diſcrimen ſubeundum, & profundendum ſanguinem pro defenſione fidei, & conſervatione cultus Chriſti. XI. Spiritum Sanctum recipere aliquid ab Eccleſia, ſicut Chriſtus in quantum homo accepit à Spiritu Sancto. XII. Chriſtum & Apoſtolos vitæ contemplativæ perfectionem non fuiſſe conſecutos. XIII. Vitam activam ad tempus uſque Joachimi Abbatis utilem fuiſſe, ſed ipſo adveniente inutilem evaſiſſe. Vitam verò contemplativam ab ipſo Joachim fructuoſam fuiſſe, & modò in perfectis ejus ſucceſſoribus perfectiùs manſuram, & fructus uberiores allaturam. XIV. Quemdam Monachorum Ordinem futurum, qui dignitate & gloriâ reliquis antecellet, in quo implebitur prophetia Pſalmiſtæ dicentis: *Funes ceciderunt mihi in præclaris: etenim hæreditas mea præclara eſt mihi.* Et qui tunc maximè floreſcet, cùm Clericorum Ordo peribit. XV. Sicut in primo ſtatu Mundi commiſſum fuit à Patre totius Eccleſiæ regimen aliquibus ex Ordine conjugatorum: ſic in tertio Mundi ſtatu remittendum à Spiritu Sancto aliquibus ex Ordine Monachorum. XVI. Monachorum Præfectos de receſſu à ſæcularibus, & reverſione ad antiquum populum Judæorum cogitare debere. XVII. Prædicatores ultimi ſtatus Mundi majoris dignitatis & auctoritatis futuros, quàm Prædicatores Eccleſiæ primitivæ. XVIII. Prædicatores & Doctores Religioſos quando infeſtabuntur à Clericis, ad Infideles tranſituros; timendumque, ne ad hoc tranſeant, ut cogant eos in prælium contra Romanam Eccleſiam juxta prophetiam Joannis Apocal. 15.

V. Hæc eſt ſumma errorum in Evangelio Æterno contentorum, ad hoc tendentium, ut depreſſo Ordine Clericorum & Romano Pontifice, Ordo Monachorum extollatur. Hos compendio recenſet & damnat Concilium Arelatenſe anno 1260. ,, Quædam, ,, inquit, contexunt ternaria dicentes, tres ſtatus, vel ordines hominis ſibi invicem ſucceſſione quâdam temporum clarificandos. Primus eſt ordo conjugatorum, qui tempore Patris claruit ,, in Veteri Teſtamento. Secundus eſt ſtatus Clericorum, qui tem-

„ tempore Gratiæ claruit per Filium in hoc ſtatu Mundi medio.
„ Tertius autem ſtatus eſt Ordo Monachorum clarificandus tem-
„ pore majori in Spiritu Sancto. Addunt etiam aliud doctrinæ
„ ſacræ ternarium, videlicet Veteris & Novi Teſtamenti, ac
„ deinceps Evangelii Æterni, ſive Evangelii Spiritus Sancti, dua-
„ bus rotis in viſione prophetica tertiam phantaſticè ſubnectentes, & comparatione ſecuturi; quod Spirituale nuntiabamus
„ Evangelium Spirituale Filii, literale ore blaſphemo & ſacrilego dicere non formidant. Dividunt etiam & diſtinguunt totum
„ hoc ſpatium labentis ſeculi in tria tempora, quorum partem
„ primam Patri attribuunt, ſcilicet Spiritus & Legis Moſaicæ:
„ Secundam attribuunt Filio, quam appellant Spiritus Gratiæ, &
„ duravit annis 1260. Tertiam Spiritui Sancto, quam dicunt tempus amplioris Gratiæ & veritatis revelatæ, ad quod referunt
„ Evangelium, ideſt Filii: *Cùm venerit ille Spiritus Veritatis, docebit vos omnem veritatem* (Jo.16.).... Adnectunt etiam ad
„ prædicta quoddam vivendi Ternarium, trium prædictorum
„ temporum diſtinctione variatum. Per primum namque poſuerunt, in quo vivebant homines ſecundùm carnem. Secundum,
„ quod illi adjunxerunt, inter utrumque, hoc eſt, inter carnem &
„ ſpiritum, uſque in præſens tempus. Et ex hoc ſequetur aliud,
„ in quo vivent ſecundùm ſpiritum, & ab eo videlicet uſque ad
„ finem Mundi.

VI. „ His igitur & hujuſmodi ſibi invicem coaptatis, & connexis Ternariis, quid ab hac perfida & pernicioſa contexitur
„ concordia, niſi quòd exſufiletur deinceps redemtio per Chriſtum facta, & finem habeant Eccleſiæ Sacramenta? Quod Joachimitici ore polluto, ut expreſſimus, quodam modo dicere non
„ formidant, dum evacuandas his temporibus, & abjiciendas aſſerunt omnes figuras, & ſigna: vivida tantummodò maneat
„ Unitas, & abſque Sacramentorum velamine penitùs revelata.
„ Quæ omnia debet deteſtari, abominari, & abjicere quilibet Chriſtianus, qui à Sanctis accepit, & firmâ fide tenet, inviſibilis gratiæ viſibiles eſſe imagines & figuras Eccleſiaſtica Sacramenta;
„ ſub quorum viſibilibus ſpeciebus quibuſdam, ipſe Dei Filius, Dominus Salvator noſter, ſe in Eccleſia ſua uſque ad finem Mundi manere promiſit„. Hactenus Arelatenſis Synodus. Quæ, ſupponens omnia hæc à Sede Apoſtolica jam damnata, Libros Concordantiarum, & alios Joachimi Libros, qui è latebris tunc prodierant, ſub anathemate recipi ac legi prohibuit.

CA-

CAPUT XCVI.

De Stadingis, Circumcellionibus, & Flagellantibus.

§. I.

Stadingi eorumque errores.

I. STadingi (ſeu Stedingi) à *Staden* urbe Germaniæ in confinibus Phriſiæ ac Saxoniæ & Bremenſi tractu nuncupati ſunt. Eorum hæreſis anno circiter 1230. exorta, anno 1234. profligata fuit & extincta. Hæreſis verè diabolica extitit, ac præcipuè inter ruſticos & ſylveſtres propagata per Germaniam. Stadingi Dæmonem habuerunt magiſtrum; pythoniſſis enim utebantur, & per eas diabolica reſponſa reportabant: imò Dæmon ipſe ſub diverſis formis in ſecretis eorum ſcholis conſpicuum ſe præbebat, eoſque ſuo cultui ac ſervitio mancipatos, ad impia, & auditu horrenda flagitia attrahebat. Ei ergo morem gerentes, extinctis lucernis promiſcuam libidinem accendebant. Corpus Dominicum ſingulis annis in Paſchate de manu Sacerdotis accipiebant, illudque in ore ſervantes ex cloaca illa animata (proh nefas) in latrinam expuebant. Cœlorum Dominum violenter, injuſtè, ac fraudulenter ad Inferos Luciferum detruſiſſe blaſphemabant. In hunc credebant miſeri, ipſumque Cœleſtium conditorem, & ad ſuam gloriam præcipitato Domino rediturum effutiebant, nec ante ipſum ſe beatitudinem æternam ſperabant habituros. Omnia quæ Deo placita ſunt non eſſe agenda, imò potiùs agenda quæ Deus odit, tartarei homines aſſerebant. Simulacra cerea faciebant, in eis Dæmonem adorantes. In Clericos & Religioſos viros graſſabantur. Qui ſi fortè in manus eorum inciderent, omni tormentorum genere eos cruciabant. Nec propria eis ſatis erat perditio, ſed quotquot poterant, maximè ruſticos, in eam trahere conabantur. Unde factum eſt, ut ingenti ruſticorum numero ſecta hæc in dies augeretur, qui in confinibus Phriſiæ & Saxoniæ ac Bremenſi tractu paludibus ac fluminibus circumcincti & muniti, omnes Epiſcoporum & Prædicatorum labores inanes irritoſque reddebant.

II. Porrò cum tot in Deum blaſphemæ impietates ſuaſione tolli non poſſent, Deo inſpirante, ferro eas exterminare cogitatum eſt. Tunc Romanæ Eccleſiæ præerat Gregorius IX. qui ad frænandum Stadingorum furorem literas ad Conradum Marburgenſem ex

ex Ordine Prædicatorum dedit, quibus hortatus eſt, ut perfidos revocare à ſcelere niteretur; ſi pertinaces eſſent, ſacram in eos militiam compararet. Paruit Conradus Pontificis mandato, ut ex Anonymo Schafnaburgenſis Continuatore intelligimus, qui ad annum 1232. *Circa Rhenum*, inquit, *& alibi innumerabiles hæretici, per Magiſtrum Conradum de Marburg auctoritate Apoſtolica examinati, ac per ſententiam ſecularem damnati, igne combuſti ſunt. Fuerunt autem præſente eodem Conrado Erphordiæ quatuor combuſti. Anno 1233. Rex (Henricus Friderici Imperatoris filius) & Moguntinus Archiepiſcopus (Conradus) & Magiſter Conradus de Marburg Moguntiæ Conventum Epiſcoporum & Comitum atque Clericorum fecerunt pro quibuſdam infamatis de hæreſi. Inter quos Comes de Seine inducias purgationis ulteriores obtinuit, ſuper aliquos verò qui non comparuerunt, prædictus Conradus de Marburg ibidem populum Cruce ſignavit. Quapropter illi felle amaritudinis commoti, jam dicto Conrado in reditu inſidias juxta Marburg ponentes, ipſum unà cum Gerardo Minoris Ordinis fratre probatæ vitæ viro 3. Kal. Auguſti crudeliter occiderunt*. Hæc Tom.7. Conc. Harduini pag.232. &c.

III. Legati Apoſtolici internecione juſtè commotus Gregorius IX. Sacram Expeditionem in hæreticorum exterminium evulgavit, quæ à piis Catholicis viriliter ſuſcepta fuit. Cruceſignati exercitus præcipui Duces fuere Henricus Brabantiæ Dux, & Florentius Hollandiæ Comes. Efferatiſſimâ rabie pugnarunt Dæmone incitante hæretici: ſed pro Catholicis copiis pugnante Deo, maximâ clade proſtrati ſunt. Sex millia cæſi, cæteri partim aquis ſubmerſi fugiendo, partim alias per regiones diſperſi. Ita Stadingorum hæreſis diſſipata fuit. Conſtant hæc ex Chronico Alberti Abbatis Stadenſis ad ann. 1233. Alberto Krantzio in Metropoli Lib.7. & ex Chronico Belgico Joannis à Leidis Lib.22. cap.14.

IV. Quâ verò occaſione hæreſis iſta exorta fuerit, refert idem Joannes à Leidis citato loco, nimirùm „ Inter Sacerdotes
„ Phriſones Bremenſis diœceſis mulier nobilis, cujuſdam militis
„ uxor, in die ſancto Paſchæ oblationem cujuſdam denarii Sacer-
„ doti proprio fecit: qui contra eam propter denarii inſufficien-
„ tiam ſtultè non timuit murmurare. Completo autem ex more
„ officio, dicta mulier ad communicandum progreditur: cui à
„ Sacerdote ſtultiſſimo, non oblata Dominici Corporis hoſtia, ſed
„ denarius per ipſam oblatus præſentatur, qui clauſis ab ipſa ocu-
„ lis, cum ſummâ devotione ſuſcipitur: quia vera ſuſcipi hoſtia
„ credebatur, illa maſticare incipiens, & in maſticando duritiam
„ ſentiens, dolore tangitur, mente confunditur, metuens culpis
„ propriis, cauſam exiſtere, quòd ſubſtantiam à Sacerdote ſuſce-
ptam

„ ptam non poterat deglutire. Hæc itaque mulier, clauſo ore ab „ Eccleſia ſubitò recedens, necnon cum feſtinatione ad domum „ veniens, linteum mundiſſimum accepit, & in illud, quod ſu- „ ſceperat, apertis labiis reclinavit: quæ mox viſo denario magis „ timuit, quia in Paſchali gratia perficere deſperavit.

„ Hujus igitur triſtitiâ pullulante, & coloris facie mutatâ; „ ecce vir nobilis maritus ejus domum venit, qui faciem conjugis „ plus ſolito mutatam percunctatur. Cujus petitionem variis ne- „ gationibus nititur inflectere, & vultus imaginem excuſare. „ Tandem tamen ad confeſſionem compellitur; dictuſque tenor „ coram viro per ſingula denodatur. Qui, audito negotio, con- „ jugem jubet refici, & doloris materiam à mentis ſuæ penetrali- „ bus elongari. Et quoniam dictus Presbyter in ejus Eccleſia erat „ Vicarius, præfatus miles majorem ſuum ſtudet allicere, & in „ Ducis præſentia dicti Presbyteri negligentiam accuſare. Quo- „ rum utique modo ad emendationem non flectitur, ſed verbis „ minùs decentibus contumaciter elevatur. Quapropter præfati „ militis iracundia magis accenditur. Ad amicorum aures res „ pervenit, quorum conſilio Sacerdos præſcriptus ſuffocatur. „ Quo facto dictus miles ab Eccleſia ad emendationem impeti- „ tur, excommunicationi ſubditur; & hæc omnia ab Epiſcopo „ amicorum etiam conſiliis deciduntur.

„ Præfato itaque milite, anno & ampliùs in damnationis „ ſententia perdurante, totâque illius patriâ ipſum in ſtultitia „ confortante, tandem Provincia illa ad tantam devenit demen- „ tiam, ut hæreticam pravitatem ſumeret; & proh dolor! unuſ- „ quiſque in præfata terra neptem, aut, quod pejus eſt, ſororem; „ vel ipſam in matrimonium duceret genitricem. Inſuper etiam, „ quod nefas eſt, homines prædicti non utentes ratione, reverſi „ ſunt ad idola vana, ſurda, & muta, perpetrantes idolomaniam, „ peccantes cum Diis alienis. Igitur parum curabant de manda- „ tis Summi Pontificis & Imperatoris „. Hactenus Joannes de Leidis; qui ſubinde narrat Legati Apoſtolici necem, ſacram contra ipſos expeditionem, & tandem eorum exterminium. De quibus ſupra.

§. II.

De Circumcellionum erroribus.

I. CIrcumcelliones iſti ab antiquis Donatiſtarum longè diverſi (quo Auctore neſcitur, Waldenſium tamen proles fuiſſe creduntur) circa annum 1249. in Svevia ſurrexerunt. Hi referente

rente Alberto Stadenſi in Chronico ad eundem annum „ Pulſatis „ campanis, & convocatis Baronibus & Dominis terræ in Hallis „ Svevorum, ſic prædicaverunt in publica ſtatione. Primò, quòd „ Papa eſſet hæreticus; omnes Epiſcopi & Prælati ſimoniaci & „ hæretici; inferiores quoquè Prælati cum Sacerdotibus, quia in „ vitiis & peccatis mortalibus, non haberent auctoritatem ligan- „ di & ſolvendi, & omnes illi ſeducerent, & ſeduxiſſent homines.

„ Item quòd Sacerdotes in peccatis mortalibus conſtituti, „ non poſſent conficere. Item quòd nullus vivens nec Papa, nec „ Epiſcopi, nec aliqui alii poſſint interdicere Divina; & qui prohi- „ berent, eſſent hæretici & ſeductores: & licentiaverunt in Civi- „ tatibus interdictis, ut Miſſas audirent ſuper animas ipſorum, & „ Sacramenta Eccleſiaſtica liberè perciperent; quia ipſis perce- „ ptis mundificarentur à peccatis.

„ Item, quòd Prædicatores, & Fratres Minores, Ciſtercien- „ ſes quoquè, & omnes alii pravam vitam ducerent & injuſtam. „ Item, quòd nullus eſſet qui veritatem diceret, & qui fidem ju- „ ſtam opere ſervaret, niſi ipſi & eorum ſocii: & ſi ipſi non ve- „ niſſent, antequam Deus dimiſiſſet in periculo ſuam Eccleſiam, „ priùs ipſos de lapidibus ſuſcitaſſet, vel alios, qui Eccleſiam Dei „ verâ doctrinâ illuminaſſent.

„ Prædicaverunt etiam: Hucuſque veſtri Prædicatores ſe- „ pelierunt veritatem, & prædicaverunt falſitatem. Nos ſepeli- „ mus falſitatem, & prædicamus veritatem. Et in fine: Indulgen- „ tiam, quam damus vobis, non damus fictam, vel compoſitam „ ab Apoſtolico, vel Epiſcopo, ſed de ſolo Deo & Ordine noſtro. „ Et ſic non audemus habere memoriam Papæ, quia ita perverſæ „ vitæ eſt, & tam mali exempli homo, quòd eum tacere oportet. „ Et blaſphemando adjecit idem perfidus Prædicator: Orate, in- „ quit, pro Domino Friderico Imperatore, & Conrado filio ejus, „ qui perfecti & juſti ſunt. Item dixit, quòd Papa non haberet „ auctoritatem ligandi, nec abſolvendi, quia non haberet vitam „ Apoſtolorum, & hoc probare vellet per quamdam Epiſtolam.

„ Iſtos hæreticos fovit, & defendit Conradus, filius Friderici „ Imperatoris quondam, & patrem ſuum ſe per talia venena cre- „ didit defenſare. Sed res lapſa eſt in contrarium, quia Catholicis „ Prædicatoribus audacter reſiſtentibus, & fideles adhortantibus, „ Liberi & Miniſteriales à Conrado receſſerunt, ita ut quaſi exul „ & perfugus de Svevia in Bavaria moraretur „. Ita hanc hære- ſim deſcribit præfatus Stadenſis Abbas Albertus auctor coævus.

II. Errores præfatos quiſquis ſerio pacatoque animo perpen- derit, facilè dignoſcet fuiſſe ſemina zizaniorum, quæ in meſſem

collecta per aream Eccleſiæ moderni pſeudo-Reformatores effundere conati ſunt & adhuc conantur. Totum eorum ſtudium eſt onerare calumniis Romanum Pontificem, Epiſcopos, Prælatos, Sacerdotes, quaſi Evangelicæ doctrinæ corruptores, Monachos, ac Prædicatores tanquam veritatem ſepelientes, & falſitatem ac ſuperſtitiones prædicantes. Se ſolos à Deo miſſos ad Evangelium, quod ſub ſcamno latebat, in apertum prodendum, ac fidei veritates Pontificiorum falſitatibus involutas pandendum, ac Eccleſiam jamdiù obcæcatam illuminandam, propterea ſe Evangelicos nominantes: ex quibus concludunt, Eccleſiam ſub Papa Romano, & ejus Sequacibus à vera Chriſti Eccleſia defeciſſe & alteram Babylonem effectam adulteraſſe. Hiſce impietatibus pleni ſunt tum Lutheri, tum Calvini, tum aliorum Sectariorum, qui in dies prodeunt, Libri; contra quos fusè egi in Vera Eccleſia. Supereſt modò ut Deus miſericors à tenebris errorum ad lucem veritatis eos revolvat.

§. III.

De Flagellantium Secta.

I. Flagellantium Secta Peruſii primùm, deinde Romæ anno circiter 1260. exorta eſt. Qui eam profitebantur, pœnitentiæ ac pietatis fervore adacti, ab umbilico ſursùm nudis corporibus catervatim per agros & civitates, Sacerdotibus cum Crucibus & vexillis præeuntibus, procedebant, flagellis armati, & lacrymis ac ſingultibus Divinam miſericordiam exorantes, piam in ſe carnificinam exercebant, per dies tres & triginta bis in die in honorem vitæ, quam in carne paſſibili Chriſtus in terris duxit, corpus ſuum ad ſanguinem uſque caſtigantes. Siluerunt tunc temporis omnia muſica inſtrumenta, & amatoriæ cantilenæ: ſola cantio Pœnitentium lugubris audiebatur ubique, tam in urbibus, quàm in villis; ad cujus flebilem ſonitum corda ſaxea movebantur, & obſtinatorum oculi ſe à lacrymis continere non poterant. Mulieres quoquè in cubiculis ſuis, non tantùm populares, ſed etiam matronæ nobiles, & virgines delicatæ hæc eadem factitabant. Tunc diſcordes ad pacem redibant, uſurarii & raptores malè parta reſtituere feſtinabant, peccatores quique pœnitentiâ crimina expiabant. Solvebantur captivi, revocabantur exules, condonabantur injuriæ, ſanctitatis & miſericordiæ opera paſſim exercebantur. Ita refert Monachus Paduanus Chronic. Lib. 3.

II. Quis in præfatis Ninivitarum pœnitentiam non crederet redivivam? Et tamen illa Deo accepta, iſta Deo exoſa fuit; illa à Spi-

Spiritu Dei per os Jonæ indicta, iſta à ſpiritu nequam: illa ad avertendos à peccatis populos, iſta ad ſeducendos ſimplices ſub velamine hypocriſis adinventa. Ab Italia in Germaniam penetravit, teſte Henrico Stero in Chronico: ſed ut ab Epiſcopis, & maximè à Sede Apoſtolica approbata non erat, citò in ſuperſtitionem imò & in hæreſim degeneravit. Neminem enim à peccatis abſolvi aſſerebant, niſi Sectæ eorum nomen dediſſet. Mutuò autem ſe ſe auditâ confeſſione à peccatis abſolvebant, etſi laici; ut teſtantur Siffridus Presbyter in Epitome Lib.2., & Longinus Lib.7. Hiſt. Polonicæ; qui dicit, eos in Polonia ab Epiſcopis & Principibus fuiſſe repreſſos.

III. Secta hæc aliquandiù ſopita, renovata eſt anno 1349. in Ungaria & Germania, cujus ſuperſtitioſum ritum deſcribit Albertus Argentinenſis in Chronico apud Urſtiſium parte 2. pag. 140., ubi narrat, quòd dicto anno 1349. cùm peſtilentia inficere cœpiſſet Alemanniam, venerunt de Svevia Spiram ducenti homines in medio Junii, habentes inter ſe unum principalem, & duos magiſtros; qui accurrente populo veſtibus ſe nudaverunt, & calceamentis, ſolas braccas à femore uſque ad talos retinentes; indè ordine quodam in terram ad modum Crucifixi ſe proſternentes, & canoris vocibus flebiliter inſonantes, ſurgentes deinde, ad ſanguinem uſque ſe flagellis quatuor aculeos ferreos habentibus percutiebant, ac ac deinde elevatis in Cœlum manibus orabant. Deinde unus eorum altâ voce legebat Epiſtolam, quam dicebant in Eccleſia S. Petri in Hieruſalem per Angelum præſentatam, in qua ſcriptum erat, Chriſtum offenſum contra Mundi pravitates, rogatum per Beatam Virginem & Angelos, reſpondiſſe, quemlibet per triginta quatuor dies debere ſe exulando flagellare & ſic miſericordiam à Deo conſecuturum. Cùm ergo ad eos Spirenſium plurimi convenirent, nullus recipiebatur, niſi promitteret ſervare prædicta per præfatos dies, & niſi haberet in die ſaltem quatuor denarios, ne mendicare cogeretur, & niſi promitteret, ſe eſſe confeſſum & contritum, ac remiſiſſe omnem injuriam; & habere, ſi uxoratus eſſet, ſuæ uxoris aſſenſum. Non loquebantur cum mulieribus, nec ſuper plumas jacebant. Omnes geſtabant Cruces ante & retrò in veſte, & in pileo, habentes flagella in veſtibus appenſa.

IV. Eò proceſſit iſtorum audacia, ut teſte Trithemio in Chron. Hirſaugienſi ad an.1348., Avenionem, ubi tunc Clemens VI. Pontifex Maximus morabatur, aliqui eorum acceſſerint animo explorandi, quid de eorum Secta Apoſtolica ſentiret Eccleſia. Urbem ergo ingreſſi, ac turmatim intrantes Eccleſiam, ſuo ſe modo flagellabant publicè, orabant in modum Crucis proſtrati nudi ſuper terram, &

magna pœnitentiæ ſigna multipliciter oſtendebant, in tantum, quòd non ſolùm Cives, ſed etiam Cardinales in ſtuporem verterunt, aliquibus eorum tale inſtitutum probantibus. Papa verò rem altiùs conſiderare cœpit, & maturâ deliberatione in ſecretario cordis ſui præhabitâ, ſub excommunicationis pœna, ne deinceps ſeſe publicè flagellarent, prohibuit. Non placuit Cardinalibus iſta prohibitio, qui Sectam illam putabant ſanctiſſimam. Verùm Papa, revocatis in ſuam ſententiam Cardinalibus, datis ad omnes Archiepiſcopos & Epiſcopos literis diſtinctè mandavit, ut ſæpè dictam Flagellantium Sectam in ſuis diœceſibus prorsùs extinguerent, & Sacerdotes Clauſtraleſque eâ infectos carceri mancipareut, eoſque captivos tenerent, donec aliud reciperent in mandatis.

V. Extant præfatæ Clementis literæ ad Archiepiſcopum Moguntinum, & alios Germaniæ Epiſcopos. Quibus poſtquam recenſuit cauſas, quæ ad illam Sectam eliminandam & damnandam eum moverunt, concludit: *Per prædicta tamen nequaquam intendimus probibere, quin Chriſtifideles impoſitam ſibi pœnitentiam, vel etiam non impoſitam, dummodò rectâ intentione & purâ devotione ad illam peragendam procedant, in ſuis hoſpitiis, vel aliàs abſque ſuperſtitioſis congregationibus ſocietatibus & conventiculis ſupradictis, poſſint facere, & ſe in bonis exercendo virtutum actibus, Domino, prout ipſe inſpiraverit, in humilitatis ſpiritu deſervire.* Hinc non damnat Clemens flagellationem uſque ad ſanguinem, quam ſecluſâ oſtentatione & ſcandalo, ſive pii ac prudentis conſcientiæ moderatoris vel ſuperioris judicio, ſive Spiritus Sancti afflatu, viri religioſi animo pœnitente ſecretò faciunt, prout eam Sancti, inter quos S. Pater Dominicus, piè in corpus ſævientes exercebant, & adhuc exercent. Sed eam dumtaxat proſcripſit, quam erroribus & ſuperſtitioſis ritibus contaminatam Flagellantium Secta publicè frequentabat.

VI. Errores, quibus hanc Sectam circa annum 1349. quidam Conradus Schmed faber in Thuringiæ oppido Sangerhuſen cum ſociis contaminavit, refert Theodoricus Urie in Hiſtoria Concilii Conſtantienſis diſtinct. 13. Primò enim dicebant, quòd eorum Secta ſe flagellando cum cantu per Mundum originem habuerit ex quibuſdam literis, quas Angeli ſancti ſuper Altare B. Petri de Cœlo portaverint.

Secundò: Quòd ab eorum Sectæ ortu Deus Papam Romanum, & omnes Epiſcopos cæteroſque Prælatos & Sacerdotes, ne deinceps populo in ſpiritualibus præeſſent, licentiarit, & omni auctoritate ligandi & ſolvendi, aut quaſcumque res conſecrandi, eos ſimpliciter privarit. Ter-

Tertiò : Quòd ſicut in expulſione negotiatorum de Templo propter Sacerdotum malitiam, Chriſtus repudiavit, & abjecit Sacerdotium Judaicum, ita in tranſitu Crucifratrum, nempè Flagellantium, propter Presbyterorum nequitiam, Deus licentiarit & abjecerit Sacerdotium Evangelicum.

Quartò : Quòd poſt tranſitum Crucifratrum, Eccleſiæ & Cœmeteria, aqua, ſal, oleum & Chriſma, ac cætera hujuſmodi Sacramentalia, debuerint & debeant pro non ſacratis haberi, quòd per nullum Sacerdotem potuerint conſecrari.

Quintò : Quòd poſt tranſitum Crucifratrum, Eccleſiæ materiales fuerint & ſint, niſi congeries lapidum, publicæ domus peccatorum, & ſpeluncæ latronum.

Sextò : Quòd Sacerdotes, Baptiſmum aquæ & aliorum ſex Sacramentorum legem prædicando docentes, ſint ſe ipſos cum populo eis credente ſpiritualiter occidentes.

Septimò : Quòd clava mortificationis ſit aſperſorium aquæ benedictæ, & ſcintillæ infernales ſint aſperſæ cum ipſis ejuſdem aquæ guttis.

Octavò : Quòd tota Divini Officii in Eccleſia decantatio, non debeat ſanctius quid reputari, quàm canum ululatio.

Nonò : Quòd in tranſitu Crucifratrum Lex Bapiiſmi aquæ depoſita à Deo, & Lex Baptiſmi proprii ſanguinis ſit inſtituta.

Decimò : Quòd quando Chriſtus in Cana Galilææ circa finem nuptialis convivii aquam albam in vinum rubrum mutavit, deſignavit, quòd circa finem Mundi Baptiſmus aquæ in Baptiſmum ſanguinis mutari deberet.

Undecimò : Quòd ſicut vinum rubrum præ omni vino priùs poſito convivantibus magis placuerit : ita nova Lex Baptiſmi ſanguinis præ cunctis ante datis Legibus à Deo gratiſſima ſit accepta.

Duodecimò: Quòd poſt tranſitum Crucifratrum, nemo potuit ſalvari, & verus exiſtere Chriſtianus, niſi in proprio ſanguine cum flagello de corpore ſuo excuſſo baptizaretur, & Flagellatorum eſſet conſentaneus.

Decimotertiò : Quòd Sacramentum Confirmationis pro nullo debeat reputari. Et non chriſmati Judæi ita benè barbas habeant, & animas, ſicut illi qui ſe à Sacerdotibus faciunt chriſmari.

Decimoquartò : Quòd Sacrorum Ordinum Sacramentum unà cum Sacerdotibus ſit à Deo ſimpliciter abjectum.

Decimoquintò : Quòd Deum & Corpus Chriſti non contineat ſub ſe realiter Altaris Sacramentum.

Decimòſextò : Quòd ſi hoc eſſet verum, quòd in Sacramento Al-

Altaris eſſet veraciter Chriſtus Deus, diù eſſet devoratus etiamſi eſſet mons ingens & magnus.

Hæc verè impia & blaſphema evomebant Flagellantes Sangerhuſani, ut refert citatus Theodoricus Urie apud Dupleſſis Tomo I. de Novis Erroribus pag. 366. Addit Joannes Gerſonius in Tractatu, quem contra eos ſcripſit, quòd „ taliter ſe flagellantes non curant de Sacramento Confeſſionis, vel Pœnitentiæ Sacramentalis, dicentes, quòd hæc flagellatio potior eſt ad delendum peccata, quàm quæcumque Confeſſio: imò eam æquiparant nonnulli vel præponunt martyrio: Quoniam facimus, inquiunt, ultrò fundendo ſanguinem proprium, quod ab aliis Martyres pati cogebantur „. At ſanguinem quidem ultrò fundebant, non pro fide, ſed pro ſua inſania; & ideò martyres erant, non Chriſti, ſed Diaboli, cum quo à toto Orbe Chriſtiano damnari meruerunt.

CAPUT XCVII.

De Guillelmo à S. Amore, Deſiderio Longobardo, & Joanne de Poliaco.

§. I.

Guillelmi errores.

I. Gulielmus, ſive Guillelmus iſte à natalis ſoli Oppido apud Sequanos, cui nomen *Saint Amour*, de Sancto Amore dictus fuit. Hic in Sacra Pariſienſi Facultate Doctor Theologus contra Ordines Fratrum Prædicatorum & Minorum arma ſumens, graviſſimas turbas in Academia Pariſienſi excitavit, ac Odone de Duaco, Nicolao Decano de Barro ſuper Albam, & Chriſtiano Canonico Bellovacenſi Magiſtris, aliiſque tractis in partes, tum concionibus, tum ſcriptis præfatos Religioſos inſectatus eſt, quos etiam ex Academiæ gremio expelli curavit. Totum virus effudit in Concione de *Publicano & Phariſæo*, in Libro *De Periculis noviſſimorum temporum*, & in Quæſtione *De valido Mendicante*, in quibus multa injurioſa, tum contra Ordines Mendicantium, tum contra auctoritatem Romani Pontificis, ut ex ſequentibus patebit, eructabat. Contigit hoc circa ann. 1256.

II. Propoſitiones falſæ & erroneæ in præfatis Libris notatæ, erant ſequentes. Primò (*Cap. 2.*) „ Religioſi Mendicantes, etſi à Summo Pontifice, & ab Epiſcopo miſſi ſunt, prædicare non poſ-

Digitized by Google

„ poſſunt, niſi à Plebanis fuerint invitati. Secundò: Etſi aliis, „ quàm Regularibus viris poſſit committi prædicationis officium; „ videtur tamen, quòd ſalvâ Eccleſiaſticâ Hierarchiâ, prædicationis officium Regularibus viris committi non poſſit. Igitur ſi „ viri Regulares prædicationi ſe immiſceant, videtur quòd non „ ſint à Deo miſſi; & ideò *Pſeudo* ſint reputandi.... Per tales „ inſtabunt, vel inſtant pericula noviſſimorum temporum univerſæ Eccleſiæ.

„ Tertiò (*Cap.*12.) De Evangelio non poſſunt vivere. Quartò: Vivere debent de labore corporis. Quintò: Periculum eſt „ in mendicando; quoniam qui de mendicitate vivere volunt, „ fiunt adulatores, detractores, mendaces, & fures, & à juſtitia „ declinantes. Sextò: Omnia pro Chriſto relinquere, & ſequi „ Chriſtum mendicando, non eſt opus perfectionis. Septimò: Viro „ perfecto, poſtquam reliquerit omnia, vivendum eſt, aut operando corporaliter manibus, aut intrando Monaſterium, ubi habeat „ neceſſaria vitæ. Octavò: Regularibus, quos Eccleſia mendicare permittit, mendicare non licet, cùm faciant contra Apoſtolum & alias Scripturas; & diuturnitas temporis non diminuat „ peccata, ſed augeat. Quapropter ſi etiam confirmatum eſſet ab „ Eccleſia per errorem, nihilominus compertâ veritate revocari „ deberet.

„ Nonò (*Cap.*13.) Invenientur ſeductores iſti inter Chriſtianos apparentes pios, ſtudio literarum ſemper deditos, aſtutos „ & ſciolos, in conſiliis dandis famoſos, non tantùm ad præcepta „ Domini, ſed etiam ad conſilia obligatos; & tales qui ſapientiores & ſanctiores in Eccleſia apparebunt, propter quod electa „ membra Redemtoris eſſe credentur; & ideò vehementer & „ ſubitò nocebunt Eccleſiæ.

„ Decimò (*Cap.*14.) Illi qui non invitati procurant prædicare plebibus alienis, quod eſt officium honoris, præcipuè in Conciliis, & Synodis, & Conventibus magnis, necnon in Curiis Regum, & Prælatorum, non ſunt veri Apoſtoli, ſed Pſeudo. Undecimò: Prædicatores, qui vadunt ad Orthodoxos, qui proprios „ habent Apoſtolos, ſcilicet Epiſcopos ſuos & Presbyteros, non „ vadunt ad ſuam legationem, ſed ad alienam. Unde non ſunt „ veri Apoſtoli, ſed Pſeudo. Et ſummè timendum eſt, ne per „ tales periclitetur Eccleſia, niſi expellantur ab ea.

„ Duodecimò (*Lib. de Valido Mendicante*) Valido Mendicanti facienda non eſt eleemoſyna. Decimo tertiò: Mendicans „ validus graviter delinquit: ergo qui ſcienter ſe ponit in tali ſtatu, videtur, quòd non ſit in ſtatu ſalvandorum. Decimoquartò:

Si

„ Si Frater illius qui prædicavit, etiam poſt prædicationem petit, „ ſimoniam committit: ergo non eſt ei dandum. Decimoquintò: „ Religioſis non licet procurare, ut fiant Magiſtri, quia magiſte- „ rium honor eſt.

„ Decimoſextò (*In Reſponſ. ad objecta*) Fratres non ſunt ad- „ mittendi in Societatem Scholaſticam ſecularium Magiſtrorum, „ niſi de ipſorum voluntate. Nam cùm ſint in ſtatu perfectionis, „ tenentur ad conſilia. Conſilium autem Domini eſt Matth. 23. „ *Nolite vocari Rabbi*. Cùm ergo velint docere ſolemniter, fa- „ ciunt, ut vocentur Magiſtri, & ſic vivunt contra Domini conſi- „ lium, & ita publicè peccant & ſcandalizant; & ſic ſunt evitandi.

„ Decimo ſeptimò: In vilium veſtium uſum acriùs declamans, „ Religioſos viros obliquè perſtringere viſus eſt, quamvis quoſ- „ dam Regulares ſecundùm Regulam ſuam vilibus indumentis „ uti debere fateretur.

„ Decimooctavò: Aſſerebat (*In Collectionibus Scripturæ Sa-* „ *cræ*) Summum Pontificem non poſſe toti Ordini poteſtatem da- „ re prædicandi, Confeſſiones audiendi, & abſolvendi pœnitentes „ per totum Orbem: & quòd Pontificiis privilegiis muniti, ſacra „ illa munia obire non poſſent abſque licentia Parochialium Pre- „ sbyterorum. Decimononò: Fratribus ab Epiſcopo vel Papa ca- „ nonicè deſtinatis confeſſus non ſatisfacit ſtatuto, *Omnis utriuſ-* „ *que ſexus*. Nam præceptum eſt Prælatis curam animarum ha- „ bentibus, quòd ipſi cognoſcant vultus pecorum ſuorum, ideſt „ conſcientias ſubditorum ſuorum. Conſtat autem quòd animos „ & actus ſingulorum non poteſt Prælatus conſiderare, nec plenè „ cognoſcere, niſi audiendo Confeſſiones illorum.

„ Vigeſimò: Romanam Eccleſiam carpebat, quòd tot Mendi- „ cantium Religiones diverſas à tempore Concilii Lateranenſis III. „ inventas, æquanimiter toleraret. Tandem Religioſos Mendican- „ tes, velut Pſeudo-Prædicatores, hypocritas, penetrantes domos, „ otioſos, curioſos, gyrovagos ſugillabat „. His pravum animum ſuum contra Ordines Regularium Mendicantium, nec parcens Romani Pontificis auctoritati, Guillelmus de Sancto Amore in ſcriptis ſuis publicè declaravit. Quid verò lucratus ſit ſtatim oſtendam.

§. II.

Guillelmi de S. Amore errores damnati.

I. MEndicantium cauſam velut propriam ſuſcepit Alexander IV. Romanus Pontifex, ac in eorum defenſionem Diplomata quadraginta, quæ in Pariſienſis Eccleſiæ tabulario aſſervan-

ſervantur, ſucceſſivè expedivit (teſte Alexandre in Hiſt. Sec. 13. & 14. cap. 3. art. 7.) Primò Guillelmi Libellum *De Periculis noviſſimorum temporum* ad ſe delatum, quatuor doctiſſimis Cardinalibus examinandum commiſit, qui ad Sanctitatem Suam (ut teſtatur ipſe in Bulla) retulerunt: *Quia in eo* (continerentur) *quædam perverſa & reproba contra poteſtatem & auctoritatem Romani Pontificis, & Coepiſcoporum ſuorum; & nonnulla contra illos, qui propter Deum ſub arctiſſima paupertate mendicant, mundum cum ſuis opibus voluntariâ inopiâ ſuperantes; alia verò contra eos, qui ſalutem animarum zelantes ardenter, & ſacris ſtudiis procurantes multos in Eccleſia Dei operantur ſpirituales profectus, & magnum faciunt ibi fructum; quædam autem contra ſalutarem pauperum, ſeu Mendicantium Religioſorum ſtatum, ſicut ſunt dilectiſſimi filii Fratres Prædicatores & Minores, qui vigore ſpiritus, ſeculo ſuis divitiis derelicto, ad ſolam Cæleſtem patriam ſuſpirant. Necnon alia plura inconvenientia digna utique confutatione maniſeſtiſſimè comperimus contineri* &c.

II. Hâc ſtante relatione ad Libri damnationem procedens Summus Pontifex: *Nos*, inquit, *Libellum, qui ſic incipit*,, Ecce videntes clamabunt foris,, ; *quique ſecundùm ipſius titulum*,, Tractatus brevis de Periculis noviſſimorum temporum,, *nuncupatur, tamquam iniquum, ſceleſtum & execrabilem, & inſtructiones ac documenta in eo contenta, utpotè prava falſa & temeraria, de Fratrum noſtrorum conſilio, auctoritate Apoſtolicâ reprobamus, & in perpetuum condemnamus; diſtrictè præcipientes, ut quicumque Libellum ipſum habuerit, eum infra octo dies, ex quo hujuſmodi noſtram reprobationem, & condemnationem ſciverit, prorsùs & in toto & in qualibet ſui parte comburere & abolere procuret. In illos enim, qui hujus noſtri præcepti fuerint contemtores, excommunicationis ſententiam promulgamus; firmiter in virtute obedientiæ prohibendo, ne quiſquam prædictum Libellum, ore Apoſtolico jam damnatum, approbare vel quomodolibet defenſare præſumat. Si quis verò præſumſerit, tamquam contumax, inobediens, & rebellis Romanæ Eccleſiæ ab omnibus habeatur: Et nos nihilominus aliàs contra eum taliter procedemus, quòd pœna condigna temerarium feriet, & alii eâ perterriti, à ſimilibus frænabuntur*... *Datum Anagniæ 3. Non. Octobris Pont. noſtri anno* 2. (Chriſti verò 1256.) Hæc Bulla refertur integra in Hiſt. Univ. Pariſ. Tom. 3.

III. Antequam Liber Guillelmi de S. Amore ad judicium Romani Pontificis deferretur, accuſationes adversùs Guillelmum, & ejuſdem Reſponſiones ab Epiſcopis Senonenſis Provinciæ, & Remenſis auditæ fuerant, & utrique parti Antiſtites obtulerunt, ut iſta res in Concilio Senonenſis Provinciæ & Remenſis definiretur.

Hoc Guillelmus de S. Amore lubens acceptavit, imò & ſupplicavit, paratus corrigi ſuper quibus Concilium diceret corrigendum. Sed cùm Fratres Prædicatores timerent, ne Galliarum Epiſcopi Magiſtris & Scholaribus Univerſitatis ſtudii Pariſienſis, tùm etiam Guillelmo de S. Amore, nimis faverent; poſtularut, ut à Summo Pontifice iſta controverſia dijudicaretur; & cauſati ſunt, Ordinem Fratrum Prædicatorum per omnia Regna eſſe diffuſum, in quorum ditione judicialis ſententia Senonenſis Provinciæ auctoritatem non obtineret. De hoc extant Senonenſis Conventus literæ Tom. 3. Hiſt. Univ. Pariſ. pag. 309.

IV. Poſtulationi Fratrum Prædicatorum ſuffragatus fuit S. Ludovicus IX. ut Guillelmus de Nangis in Hiſtoria Ludovici narrat dicens „ Eodem anno quo ſupra, diſcordia quæ fuerat inter Prædicatores & Religioſos Scholares Pariſiis ſtudentes, ac Magiſtrum Guillelmum de S. Amore recidivavit. Propter quam diſcordiam ſedandam, miſit Rex Franciæ Ludovicus ad Curiam Romanam duos Clericos, ut per Dominum Papam debitum finem ſortiretur „. Hos Alexander Papa peramanter ſuſcepit, quod teſtantur ejus literæ 16. Kal. Novembris 1256. ad Regem datæ, quibus: *Delatum*, inquit, *ad nos per eoſdem nuncios* (Libellum) *tanquam iniquum ſceleſtum execrabilem, & inſtructiones & documenta in eo tradita, utpotè prava, falſa, & nefaria, de Fratrum noſtrorum conſilio auctoritate Apoſtolicâ præſente magnâ fidelium multitudine, reprobanda duximus*. Indè eum rogat, ut Fratres Prædicatores & Minores *conſuetâ benignitate, ac gratiâ proſequens, eos, tanquam probatos & acceptos Chriſti Miniſtros, haberet attentiùs commendatos, & ab injuriis & moleſtiis protegeret*. Diploma etiam direxit ad Archiepiſcopos Turonenſem, & Rothomagenſem, & Epiſcopum Pariſienſem 12. Kal. Novembris ejuſdem anni incipientes: *Multâ cordis amaritudine*, mandans, ut ea quæ contra Fratres Prædicatores & Minores eorumque ſtatum producta fuerunt, omninò revocari facerent.

V. Interea quidam Magiſtri Theologiæ ab Univerſitate ſtudii Pariſienſis Romam delegati ſunt, ut cauſam Guillelmi du S. Amore defenderent. Qui cùm Libellum *De Periculis noviſſimorum temporum* jam à Sede Apoſtolica reprobatum inveniſſent, antequam illi Romam adventaſſent, conqueſti ſunt, quòd ipſis non auditis tale judicium datum ſit. Sed fruſtra. Non enim de quæſtione facti agebatur, ſed de controverſia Juris ad ſcripta pertinentis. Ac tandem à Dominis Cardinalibus, qui præfatum Libellum examinaverant, & cenſoriâ notâ dignum judicaverant, ad hoc adducti ſunt, ut Pontificiæ ſententiæ contra illud ſcriptum latæ, & quibuſ-

dam

dam aliis deciſionibus, quæ in controverſia erant, ſubſcriberent. Ita refert Du Pleſſis Tom. I. de Novis Erroribus pag. 170.: qui hujus ſubſcriptionis ſolemne affert monumentum, quo 18. die Octobris Magiſtri Odo de Duaco Theologicæ Facultatis Doctor & Chriſtianus Canonicus Bellovacenſis jurarunt coram Cardinalibus ſtare mandatis Domini Papæ.

VI. Jurarunt autem ſequentia, Primò: *Quantum in eis eſſet, ex tunc reciperent, & publicè Pariſiis recipient, cùm ibi fuerint, ex tunc obedirent, & obedient in poſterum ordinationi D. Papæ, quæ incipit* „ Quaſi lignum vitæ „ *& quod contra eam ſcienter non venirent, nec contradicentibus ordinationi prædictæ in contradicendo auxilium vel conſilium præſtarent publicè vel privatè.*

VI. Secundò: *Quòd Fratres Prædicatores & Minores Pariſiis degentes, Magiſtros & Auditores eorum, & ſpecialiter ac nominatim Fratres Thomam de Aquino de Ordine Prædicatorum, & Bonaventuram de Ordine Minorum, Doctores Theologiæ, ex tunc quantum in eis eſſet, in Societatem Scholaſticam, & ad Univerſitatem Pariſienſem reciperent, & expreſsè Doctores ipſos reciperent ut Magiſtros; & quòd cùm Pariſiis fuerint, facient publicè illud idem; ipſoſque juxta ordinationem prædictam, ab Univerſitate, ſeu Magiſtris & Scholaribus Pariſiis commorantibus procurent recipi bonâ fide, & contra prædicta nunquam præſtent conſilium, vel aſſenſum....*

VIII. Tertiò: *Quòd tam in Romana Curia quàm Pariſiis bonâ fide & ſinè fraude, non adjiciendo ſcienter aliquid principaliter vel conſequenter; ſed iſta quæ eis in hoc injunguntur, prædicent publicè, & in Civitate Pariſienſi pluriès & in diverſis locis aſſeverent fideliter in ipſis prædicationibus infraſcripta.*

Scilicet, quòd reprobent Libellum in ipſis prædicationibus, qui nuper fuit per Summum Pontificem condemnatus, & errores in ipſo contentos, qui ſunt contra infraſcripta; videlicet de poteſtate Romani Pontificis, quòd poſſit Prædicatores & Confeſſores mittere ubique per mundum juxta ſuæ beneplacitum voluntatis, ſinè conſenſu inferiorum Prælatorum quorumcumque, ſeu Parochialium Sacerdotum.

Item quòd Archiepiſcopi & Epiſcopi in ſuis Diœceſibus dare poſſunt licentiam prædicandi, & Confeſſiones audiendi, ſinè conſenſu inferiorum Sacerdotum vel Rectorum Eccleſiarum, cùm viderint expedire. Quòdque Prædicatores & Confeſſores ſic miſſi, poſſunt liberè prædicare, & licitè Confeſſiones audire, & abſolvere pœnitentes.

Item de mendicitate, quòd ſtatus mendicitatis propter Chriſtum eſt ſtatus ſalutis & perfectionis.

Item quòd Religioſi paupères, qui omnia reliquerunt propter Chriſtum, mendicando poſſunt acquirere victum ſuum ſinè labore manuum

nuum, etiamſi ſint validi corpore, maximè qui ſtudent verbo Dei, legendo, diſputando, prædicando.

Item quòd ea quæ continebantur in Libro prædicto, & quibuſdam articulis à M. Chriſtiano præfato confectis, quæ explicitè videbantur, ſeu poterant in prædictorum Ordinum infamiam redundare, ſicut de Pſeudo-Prophetis & Apoſtolis, & nunciis Antichriſti, de penetrantibus domos, & periculis noviſſimoram temporum, non intelligunt, neque intellexerunt de Fratribus Ordinum Prædicatorum & Minorum, quòd tales ipſi ſint, vel fuerint, vel etiam ſint futuri: ſed fateantur, ipſos Ordines eſſe bonos, & ab Eccleſia approbatos; & inter cætera aſſerant & affirment, quòd Deus hoc ipſum per manifeſta indicia noſtris temporibus comprobavit, nonnulla miracula ſcilicet, quæ per Sanctos utriuſque Ordinis, Sanctorum Catalogo per Romanam Eccleſiam, canonicè, legitimè, fideliter, ac ritè adſcriptos, eſt miſericorditer operari dignatus. In cujus rei teſtimonium ego Bernardus (Delfa) *Apoſtolicæ Sedis auctoritate Notarius, qui præmiſſis rogatus interfui, de mandato DD. Cardinalium hoc præſens publicum inſtrumentum propriâ manu ſcripſi, ac in publicam formam redegi, & ſignum meum appoſui.*

IX. Magiſtris Odone de Duaco, & Chriſtiano Bellovacenſi Pariſios reverſis, deciſioni, cui ipſi Romæ ſubſcripſerant, plures Magiſtri Theologiæ, & præcipuè Decanus de Baro ſuper Albam, aſſenſum dederunt ſuum, Romanoque Pontifici parendum eſſe cenſuerunt, & Regulares ad Societatem Pariſienſis Academiæ eſſe admittendos. Imò & Pariſiis Liber *de Periculis noviſſimorum temporum* publicè combuſtus fuit. Et Magiſtri Fratribus Adverſarii dignitatibus & beneficiis omnibus ſunt privati, donec parerent mandato Papæ, & Pariſiis aliiſque, in Civitatibus & locis ea quæ contra præfatorum Ordinum Fratres oblocuti fuerant, revocarent; teſte Thomâ Cantipratano Lib. 2. de Apibus cap. 10.

X. Nihilominùs Guillelmus de S. Amore illi deciſioni ſubſcribere noluit. Quin in Gallias reverſus, licèt ab urbe Pariſiorum exulare cogeretur, Fratribus Mendicantibus adverſari non deſtitit, ac ſuam cauſam defendere editâ ſuper hoc Apologiâ. Nec defuerunt ex Academia viri, qui omnem moverent lapidem, ut Guillelmum de S. Amore Pariſios revocarent: ac repugnantibus Religioſis moleſtiam crearent, ab eorum conſortio ſe ſubtrahendo, quos anathematis interminatione Alexander IV. compeſcuit. Sed in dies creſcente pertinaciâ aliis diplomatibus occurrere compulſus eſt: & præſertim eo quod incipit *Ex alto*, quo Epiſcopo Pariſienſi dedit in mandatis, Primò: Ut Rectori & aliis Univerſitatis Pariſienſis Sedis Apoſtolicæ nomine intimaret, quòd ſi infra quindecim

decim dies Fratres Prædicatores & Minores non admitterent in ſuam ſocietatem, eoſque perſequi non deſiſterent, *eo ipſo ſententiam excommunicationis incurrant, à qua nullatenus abſolvi valeant, niſi perſonaliter ad Sedem Apoſtolicam acceſſerint*. Secundò: Ut omnes libellos, rhytmos, & cantilenas in contemtum prædictorum Fratrum editas, ſub anathemate ſibi exhiberi faceret, & Magiſtris ac Scholaribus vocatis, publicè coram omnibus igne cremari. Tertiò: Ne inultum maneret facinus cujuſdam *Guillotti* Scholarium nationis Picardorum Bedelli, qui auſus fuerat Dominicâ in ramis Palmarum, *prædicante Fratre Thomâ de Aquino Ordinis Prædicatorum*, libellum quemdam famoſum contra eoſdem Fratres editum coram Clero & populo ibi exiſtente publicare, injunxit Epiſcopo, ut eum excommunicatum denuntiaret, ac Bedellionatus officio in perpetuum privaret.

XI. Poſt Alexandri IV. & Urbani IV. qui ei ſucceſſerat, obitum, pacatis Academiæ rebus, & Dominicanis in duplicis Cathedræ publicæ eâdem in Academia poſſeſſione confirmatis, Magiſter Guillelmus de S. Amore Pariſios rediit, ubi doctrinam libelli *de Periculis noviſſimorum temporum* in aliam formam redegit potiùs, quàm emendavit. Hoc opus ad Clementem IV. tunc Pontificem Maximum tranſmiſit. Qui obſervans in eo multa ſub verborum ac ſententiarum involucris ambiguum ſenſum reddentia contineri, nec illud abſolutè damnavit, nec tamen probavit: ſed Guillelmum his verbis monuit: *Cavendum eſt tibi, ne præteritorum tuo hæreat animo nimis tenax memoria, & ne ſub doctrinæ ſpecie detractorum colores inſidias, vel illam objurgationem merearis audire, quâ Paulum tetigit Feſtus dicens*,, Te multæ literæ faciunt inſanire,,. *Sanè libellum tuum evolvere cœpimus quem miſiſti; qui, licèt interdum alias oras circumeat, veterem tamen multùm ſapit; & cùm excuſſus & diſcuſſus, coloratus in aliquo videatur, totam primi ſubſtantiam comprobabitur retinere*.

§. III.

Guillelmi in errore ſocii Deſiderius Longobardus & Joannes de Poliaco: & Impugnatores.

I. Dum ferverent inter Academiam Pariſienſem & Fratres Mendicantes diſſidia, Guillelmo de S. Amore ſe ſe adjunxit Deſiderius Longobardus in Pariſienſis ſtudii Univerſitate Magiſter, qui ſcriptum etiam edidit contra inſtitutum voluntariæ paupertatis, quo dicebat, illicitum eſſe omnia pro Chriſto relinque-

quere, & Religionem ingredi, niſi talem Religionem intret, quæ poſſeſſiones & proventus habeat, vel niſi ſit talis, qui manuum labore victum ſibi comparare valeat. Contra hunc nominatim agit S.Thomas in Opuſc.19. *Contra impugnantes Religionem* cap. 6. ubi poſtquam attulit verba S. Hieronymi adversùs Vigilantium de eo dicentis: *Quod autem aſſerit, eos melius facere, qui utuntur rebus ſuis, & paulatim fructus poſſeſſionum pauperibus dividunt, quàm illos qui poſſeſſionibus venundatis ſimul omnia largiuntur, non à me ſed à Deo reſpondebitur* „ Si vis perfectus eſſe, vade, & vende omnia quæ habes &c. „ *Matth.* 19. Subjungit S.Thomas: *Hic autem error per ſucceſſiones errantium uſque ad hodierna tempora pervenit, & in hæreticis quibuſdam, qui Cathari nominantur, permanſit, & adhuc permanet, ſicut patet in quodam Tractatu cujuſdam* Deſiderii *hæreſiarchæ* Lombardi *noſtri temporis, quem edidit contra Catholicam veritatem, in quo inter cætera condemnat ſtatum eorum qui relictis omnibus egere volunt cum Chriſto. Nuper autem, quod eſt horribilius, antiquus error renovatus eſt ab his, qui fidem defendere videbantur. Qui more errantium in pejus procedentes, non ſunt contenti divitias paupertati æquare, ut Jovinianus, vel divitias paupertati præferre, ut Vigilantius: ſed paupertatem totaliter condemnare, dicentes, non eſſe licitum ſua omnia pro Chriſto relinquere, niſi talem Religionem intret, quæ poſſeſſiones habeat, vel niſi talis ſit, qui de labore manuum vivere intendat. Aſſerunt etiam, paupertatem laudari in Scriptura, non actualem, quâ aliquis ſe rebus temporalibus expoliat; ſed habitualem, quâ aliquis rem temporalem contemnit corde, etſi re poſſideat.* Hactenus S. Thomas, qui proſequitur, hunc errorem impugnans.

II. Alios Guillelmi errores reviviſcere fecit Joannes de Poliaco Doctor Theologus Pariſienſis Joanne XXII. in Cathedra S. Petri ſedente. Hic in Scholis, & Prædicationibus evulgavit I. *Quòd confeſſi Fratribus*, ſeu viris Religioſis, *habentibus licentiam generalem audiendi Confeſſiones, tenentur eadem peccata, quæ confeſſi fuerant, iterum confiteri proprio Sacerdoti*. II. *Quòd ſtante* „ Omnis utriuſque ſexus „ *edicto in Concilio Generali, Romanus Pontifex non poteſt facere, quòd Parochiani non teneantur omnia peccata ſua ſemel in anno proprio Sacerdoti, quem dicebat eſſe Parochialem Curatum, confiteri, immo nec Deus poſſet hoc facere, quia* (ut dicebat) *implicat contradictionem*. III. *Quòd Papa non poteſt dare poteſtatem generalem audiendi Confeſſionem, immo nec Deus, quin confeſſus habenti licentiam teneatur eadem confiteri proprio Sacerdoti*, ideſt Curato. Verè inſanus, ne dicam blaſphemus. Quaſi Curati poteſtas, nedum Papâ ſed Deo ipſo ſuperior ſit.

III. Errores tamen iſtos Avenione in Conſiſtorio Joannes ipſe de

de Poliaco *revocavit, veris ſibi rationibus opinioni dudum ſuæ habitæ contrariis demonſtratis, aſſerens ſe credere eos non veros, & contrarium verum eſſe, & dicens ſe neſcire rationibus ſibi factis in contrarium reſpondere*. Præfatos articulos diligenti diſcuſſos examine, & habitâ ſolerti cum S.R.E. Cardinalibus collatione Joannes XXII. omnes & ſingulos, *tanquam falſos & erroneos, à doctrina ſacra devios* reprobavit, damnavitque; vetans, ne quis eos & in eis contenta, vel aliqua ipſorum, utpotè à Catholicis mentibus reſpuenda, tenere, defendere, vel docere auderet. Juſſitque etiam Magiſtro Joanni, ut Pariſiis in Scholis, & ſermone, *tanquam veritati contraria*, propriâ voce & aſſeveratione conſtanti publicè revocaret. Quod ſe facturum pollicitus fuit. Iſta conſtant ex Extravaganti *Vas electionis* Tit. de Hæreticis edita 8. Kal. Auguſti anno 1321. Quam ab omnibus Epiſcopis in ſuis diœceſibus convocato Clero & populo idem Pontifex promulgari juſſit. Ex his colligitur, Joannem de Poliaco erraſſe quidem, hæreticum tamen non fuiſſe, cùm paratum ſe exhibuerit *credere & tenere in præmiſſis & aliis, quæ tenenda & credenda eſſe, Sedes Apoſtolica definiret*; ac illius Judicio paruerit, ut Joannes XXII. teſtatur.

IV. An verò ut hæretici habendi ſint Guillelmus de S. Amore, & Deſiderius Longobardus: Guillelmum ab hæreſi purgat Natalis Alexandre in Hiſt. Sec. 13. & 14. cap. 3. art. 7. videndus, contendens, ejus doctrinam damnatam fuiſſe quidem ut erroneam, & ſeditioſam, non tamen ut hæreticam, nec ipſum in errore pertinacem fuiſſe. At cùm S. Thomas Opuſc. ſupra laudato Deſiderii Longobardi doctrinam, quâ voluntariam pro Chriſto temporalium abdicationem damnabat, ut hæreticam, & dicto Chriſti contrariam, ac hæreſi Vigilantii pejorem prununtiet, ipſumque Deſiderium, nedum hæreticum, ſed hæreſiarcham declaret, difficile mihi eſt, Guillelmum de S. Amore, qui de voluntaria bonorum abdicatione eadem cum Deſiderio ſentiebat, & de cujus ſincera retractatione non conſtat, imò ex dictis apparet, eum etiam poſt Apoſtolica decreta in errore fuiſſe pertinacem, & licèt tandem reſipiſcere viſus ſit, errorem tamen ſuum texit potiùs, quàm abjecit, ut ex Clementis IV. judicio ſupra oſtendi: difficile, inquam, mihi eſt, eum ab hæreſi vindicare. Ideòque Sapientioris judicio hoc relinquam.

V. Adversùs Guillelmum & alios Ordinum Mendicantium hoſtes auctoritatem Pontificiam & veritatem ſtrenuè defenſarunt duo Eccleſiæ illius temporis columina SS. Thomas de Aquino Ordinis Prædicatorum & Bonaventura Ordinis Minorum; iſte in *Libello Apologetico in eos, qui Ordini Minorum adverſantur*, tum

De

De paupertate Chriſti contra Guillelmum; tum in *Apologia pauperum contra M. Gerardum de Abbatis villa*: ille verò, nempè S. Thomas, in Opuſc. 17. *Contra retrahentes ab ingreſſu Religionis*, & Opuſc. 19. *Contra impugnantes cultum Dei & Religionem*; in hoc viginti ſex capitibus omnes detractorum calumnias & cavillos contundit, & diſſipat, quæ Studioſo percurrenda relinquo.

VI. Hoc pro coronide obſervandum proponam. Quòd Ordinum Regularium, & præcipuè Mendicantium, eadem ſors fuit & eſt, ac univerſæ Eccleſiæ Chriſti. Sicut enim contra Eccleſiam in ſuis initiis Judæorum & Paganorum perſecutiones inſurrexerunt; ſed quæ ad eam ſuſſocandam parabantur, ad ejus per totum Orbem diffuſionem Deus convertit: ita in Ordines Mendicantium vix enatos extirpandos malignantium ora & ſcripta conjurarunt; ſed hæc omnia in eorum ſplendorem, & per omnes Mundi plagas propagationem Deo propitiante ceſſerunt. Eccleſiam quovis tempore lacerare & diſcerpere conati ſunt & conantur adhuc hæretici; ſed illa in fide integra, & in doctrina illibata permanſit, & adhuc permanet, ac permanebit. In Ordines Regularium Mendicantium mordaciora tela recentes Hæretici in dies jaculantur: ſed ex præfatis Ordinibus continuò emergunt viri, qui doctrinâ eos confodiant, ac ſanctitate & martyrio etiam Eccleſiam illuſtrent. Si ergo, ut in toto hujus Operis decurſu demonſtrare intendo, Eccleſia horum omnium victrix, vera, & à Deo eſſe comprobatur, licebit etiam ex hoc inferre, præfatos Ordines in ſuæ Eccleſiæ præſidium, & adjutorium à Deo fuiſſe inſtitutos. Sed ne videar cauſam propriam agere, hìc ſiſto.

VII. Concludam verbis, quibus S. Thomas Opuſculum ſuum 19. epilogo ſtringit: *Sic igitur*, inquit, *Divinâ auxiliante gratiâ malignorum detractionibus repreſſis, evidenter apparet, quòd nihil damnationis eſt his, qui ſunt in Chriſto Jeſu, qui non ſecundùm carnem ambulant, ſed Crucem Domini bajulantes operibus ſpiritualibus inſiſtunt, carnalia deſideria contemnentes. Pateret ſiquidem locus multa replicandi contra prædictos detractores; ſed ea Divino judicio reſervamus, cùm eorum nequitia poſſit eſſe omnibus manifeſta ex his, quæ ex corde ſuo nequiſſimè protulerunt, ſecundùm ſententiam Domini dicentis Matth.* 12. „ Quomodo poteſtis bona loqui, cùm ſitis mali? Ex abundantia enim cordis os loquitur. Si quis ergo emundaverit ſe ab iſtis „ *ut habetur* 2. *Timoth.* 2. *eorum ſcilicet iniquitati non conſentiens*„ erit vas in honorem ſanctificatum, & utile Domino ad omne opus bonum paratum „. *Qui verò eis conſentiunt cæci cæcos ſequentes, ſimul cum eis in foveam cadent. A qua ut liberemur, hæc dicta ſufficiant, Domino adjuvante, cui ſit honor & gratiarum actio in ſecula ſeculorum Amen.* Ita explicit S. Thomas. CA-

Digitized by Google

CAPUT XCVIII.

De Petro Joannis Olivi & Fratricellis.

§. I.

Petri Joannis Olivi conditio & errores.

I. Petrus Joannis Olivi ex oppido Sirignano Biterrenſis diœceſis oriundus, Ordinem Minorum primò profeſſus, eruditionis ac regularis obſervantiæ famâ initio floruit. Sed cùm inter alia opera in Apocalypſim Commentaria edidiſſet, tot in eis effudit errores, ut hæreſeos infamiâ notatus fuerit, eumque Fratricelli, Beguardi, & Beguinæ, ut patriarcham ſuum poſtea venerati ſint. Examen Libri ad ſe delati Joannes XXII. Nicolao Epiſcopo Oſtienſi commiſit. Is Theologos omnium Ordinum doctiſſimos elegit ad prænotati Libri cenſuram, ſcilicet Guidonem Ordinis B. Mariæ de Carmelo Priorem Generalem, Bertrandum de Turre Miniſtrum Provinciæ Aquitaniæ Ordinis Fratrum Minorum, Guillelmum de Laudnno Ordinis FF. Prædicatorum Sacri Palatii Magiſtrum, Nicolaum de S. Juſto Decanum S. Quintini, Laurentium Anglicum Ordinis S. Benedicti, Simonem Anglicum Carmelitam, Arnaldum Rojardi Ordinis Minorum, & Petrum de Palude Ordinis Prædicatorum.

Hi cùm articulos objectos, ſibi à Cardinali Commiſſario præfato traditos, tanquam ex Commentario dicti Petri Joannis Olivi excerptos, diligenter cum eodem Opere contuliſſent, fideliter & accuratè excerptos invenientes, unanimi conſenſu cenſuram in ipſos tulere, & maximam partem, *Hæreticos & blaſphemos*, pleroſque *ridiculis & fatuis divinationibus ſcatentes*, *& temerarios* pronuntiarunt. Sigilliſque votum ſuum obſignatum ad Summum Pontificem Joannem XXII. miſere, qui doctrinam & Auctorem damnavit, ac præmortui oſſa exhumari & concremari juſſit, ut refert Franciſcus Pegna ex tribus probatæ fidei MSS. Codicibus Comment. 51. in 2. p. Directorii Inquiſitorum. Cenſuram verò præfatam Theologorum ex Archivo Eccleſiæ Narbonenſis edidit Baluzius Tom. 1. Miſcellaneorum pag. 213.

II. Errores, quos præfati Cenſores ex Petri Joannis Olivi Poſtilla in Apocalypſim notarunt, ad capita viginti duo extendit Eymericus in Directorio Inquiſitorum p. 2. q. 9. Qui ferè omnes in hoc conſpirant, quòd ſicut in adventu Chriſti Synagoga abjecta

eſt: ita adveniente S. Franciſco Eccleſia præcipuè Romana in Babylonem, ac meretricem converſa eſt, & Papa factus eſt Antichriſtus. Ab his per extenſum recenſendis, ne prolixior ſim abſtinebo, & videnda apud Eymericum citato loco, & apud Alexandre dicto cap.3. Sec. 13. & 14. art.9. percurrenda dimittam, ſolùmque compendio dicam cum Dupleſſis tom.1. pag.233.

„ Quòd per Babyloniam meretricem magnam intelligit univerſalem Romanam Eccleſiam militantem, quàm nos, & verè, „ vocamus Sanctam, Catholicam, & Apoſtolicam. Per Eccle- „ ſiam carnalem intelligit idem, ſcilicet univerſalem Romanam „ Eccleſiam. Per beſtiam intelligit idem. Per ſynagogam Sata- „ næ intelligit idem. Per myſticum Antichriſtum intelligit Pa- „ pam, ſeu Pontificem Romanum. Per Angelum conſignatum in- „ telligit Beatum Franciſcum. Per Chriſti militiam intelligit „ Begardos, ſeu eorum erroribus & hæreſibus credentes. Per „ Evangelicam vitam ſeu regulam intelligit nihil habere, nec in „ proprio nec in communi, nec jus ſeu dominium habere do- „ nandi, vendendi, ſeu ex illis acquirendi, vel aliàs alienandi, ſed „ habere in eis ſimplicem uſum facti. Per Eccleſiam ſpiritualem „ intelligit idem, ſcilicet ejus erroribus credentes. Deinde viginti „ errores articulatè recenſet (Eymericus) qui ad hæc ſumma ca- „ pita reducuntur „. Cùm ergo ea quæ de Eccleſia & Pontifice Romano in ſua Poſtilla in Apocalypſim iſte dixit, moderni Pſeudo-Reformati in ſuis ſcriptis paſſim recantent, ut omnibus notum eſt, videant ex quo fonte iſta ſint expiſcati.

III. Duos alios errores in Poſtilla ſuper Matthæum traditos idem Eymericus notat. Unum, quòd quando unus militum lanceâ latus Chriſti in Cruce pendentis aperuit, Chriſtus adhuc erat vivus, & nondum mortuus. Secundum: Quòd Chriſtus & Apoſtoli ejus non habuerunt aliqua in proprio, nec in communi; nec in rebus, quibus utebantur, habuerunt niſi ſimplicem uſum facti. Quibus alii duo adjunguntur: nimirùm quòd dixerit, Parvulis in Baptiſmo gratiam & virtutes non conferri: & animam rationalem non eſſe formam corporis. Quos Clemens V. in Concilio Viennenſi damnavit, ut habetur in Clementina I. *de ſumma Trinitate & fide Catholica*.

IV. Hæc, quæ hactenus dixi de Petri Joannis Olivi erroribus, apud Auctores communia ſunt. Scio tamen, Waddingum in Annalibus ejus cauſam ſumere, ac in eo ab hæreſi purgando laborare, & afferre Sixtum IV. qui ejus ſcripta diligenter examinari juſſit, & expreſsè declaravit, nihil in ejus ſcriptis contineri, quod fidem Catholicam expreſsè læderet, ac in bonum ſenſum trahi non poſſet; cui

Digitized by Google

cui fraternâ caritate aſſentiret. Sed cùm non dicat, inter Libros *Olivi* à Sixto IV. probatos, vel non reprobatos fuiſſe etiam Poſtillam ſuper Apocalypſim, quam Joannes XXII. præmiſſo cenſorio celebrium Theologorum examine, ut ſupra dixi, tanquam erroribus & hæreſibus ſcatentem damnavit; cujus damnationis licèt typis editum non adſit monumentum, indubiam tamen manuſcripti Codices fidem faciunt; ideò, ne dictos hoſce Pontifices in conflictu invicem ponam, quaſi id quod unus tanquam fidei contrarium ſententialiter proſcripſit, alter ut à fide non diſſonum admiſerit; dicendum eſt, inter Libros Joannis Olivi à Sixto IV. admiſſos ut Catholicæ fidei expreſsè non læſivos, Poſtillam ejuſdem ſuper Apocalypſim non extitiſſe. Et ſolum concludam, quòd ſicut proditio Judæ ac Petri negatio Collegii Apoſtolici ſanctitati nihil detraxit, & quamvis ab Eccleſia Catholica aliqui in dies deficiant in fide, Eccleſiæ fidem ac puritatem non minuunt: ita nec Religioſorum Ordinum honori & ſanctitati detrahitur, ſi eorum aliqui à regulari vita & à fide extorres & apoſtatæ fiant: poſſunt enim juſtè repetere, quæ S. Joannes Epiſt. 1. cap. 2. v. 19. ait: *Ex nobis prodierunt, ſed non erant ex nobis: nam ſi fuiſſent ex nobis, permanſiſſent utique nobiſcum: ſed ut manifeſti ſint, quoniam non ſunt omnes ex nobis.*

V. Obiit Petrus Joannes Olivi anno 1297. Aliqui poſt mortem eum fulſiſſe miraculis dixerunt. Sed hæc putarem fuiſſe, vel ſimplicium ludibria, vel hæreticorum mendacia. Nec enim hominis ſancti & miraculis poſt obitum coruſcantis oſſa exhumari, & publicè cremari Joannes XXII. edixiſſet. Alia ſuppeterent dicenda, quæ tamen dimitto.

§. II.

De Fratricellis.

I. FRatricelli, dicti etiam *Fratres de paupere vita*, in partibus Italiæ ſub ſpecie vitam Apoſtolorum, ſeu ut alii volunt, S. Franciſci Regulam rigidè, ac ſinè ulla moderatione obſervandi, Sectam & quidem turpem efformarunt. Quis eam primus in Italiam invexerit, variant Scriptores. Quibuſdam à Geraldo Segarelli Parmenſi, vel ab Hermanno Pongilupo, de quibus intra; aliis à Fratribus Humiliatis, erroribus Arnaldiſtarum & Waldenſium infectis, originem traxiſſe volentibus: aliis à Petro de Macerata, & Petro de Foro-Sempronio Ordinis Minorum apoſtatis renovatam ſaltem putantibus. Ita Iſidorus in Vita S. Bonifacii rem nar-

rat „ Anno 1294. Petrus de Macerata, & Petrus de Foro-Sem-
„ pronio apoſtatæ fuerunt Ordinis Minorum & hæretici. His pe-
„ tentibus eremiticè vivere, ut Regulam B. Franciſci ad literam
„ ſervare poſſent, Cœleſtinus V. ſuâ purâ ſed periculoſâ ſimpli-
„ citate conceſſit, & ſibi adhærentibus. Quibus plures apoſtatæ
„ adhæſerunt, qui ſtatum Communitatis condemnabant & de-
„ clarationes Regulæ, & vocabant ſe Fratres S. Franciſci; ſecula-
„ res autem vocaverunt *Biſocios*, & *Fratricellos*, vel *Vocaſotos*.
„ Hi dogmatizabant, quòd nullus Summorum Pontificum Regu-
„ lam S. Franciſci declarare potuit. Item quòd Angelus abſtulit
„ à Nicolao IV. (qui cœperat in iſtiuſmodi novatores animadver-
„ tere) auctoritatem Papatus, & ab illo tempore non fuit Papa
„ in Eccleſia, nec verus Prælatus, nec Sacerdos, niſi inter eos ſo-
„ lùm; & quòd ipſi ſoli ſint in via Dei & vera Eccleſia. Et muta-
„ verunt ſecundò ſibi nomina. Vocaverunt ſe, primus *Liberatus*,
„ ſecundus *Angelus* dictus, quia ſe fingebat revelationes Ange-
„ licas habere. „

II. Bullam Cœleſtini Papæ V. Fratricellorum Inſtituto faven-tem revocavit Bonifacius VIII. aliâ quæ incipit: *Ad noſtram nuper audientiam*; quæ in Annalibus Oderici Raynaldi ad ann. 1297. num. 54. reperitur, ubi hæc ex Jordano addit „ Bonifacius dam-
„ navit Sectam Fratricellorum, ſive Bizochorum dictorum. Et
„ cùm inquireret contra eos per Inquiſitores, receſſerunt de Urbe
„ in Siciliam, & ibi poſtquam ſatìs comederunt & biberunt, ſur-
„ rexerunt ludere, & tubis arundineis tubicinare dicentes, *Exul-*
„ *tet Eccleſia meretrix, exultet*: & fractis tubis, & uno calice in
„ contemtum Romanæ Eccleſiæ, tranſierunt in Græciam, & ſuos
„ errores ibi publicarunt.... Tunc temporis Frater de Bodicis de
„ Provincia Provinciæ fugit cum Libris Petri Joannis Olivi (de
„ quo ſupra) de Biterris, & in Eccleſia S. Petri Romæ per quin-
„ que Beguinos, & tredecim mulieres in Papam electus eſt: &
„ fuit cum Angelo & Liberato, & eorum complicibus „. Hæc ex Jordano, cujus manuſcriptus Codex in Vaticana Bibliotheca ſer-vatur num. 1960. teſte Raynaldo.

III. Secta hæc in Germania & Galliis Beguinorum nomen ac-cepit. Novum Ordinem ſe inducere, ſeu potiùs S. Franciſci Re-gulam ac ſpiritum ſe excitaſſe gloriabantur, cultu ſordido ince-dentes, gyrovagi, paraſiti, paupertatis Evangelicæ ſpeciem præ-ferentes, devotarum mulierculārum ſimplicitatem decipiebant, ſeque orationi & contemplationi continuò addictos mentientes, ad laborem manuum non teneri dictitabant. Unde ad hanc Sectam vilium & ignavorum hominum colluvies effluebat, eamque in dies

pro-

Digitized by Google

propagabant, tum multi, qui nullam ex probatis Religionibus profeſſi fuerant, tum ex Fratribus ex Ordine FF. Minorum aliqui. Cui occaſionem dedit diſſidium ortum inter FF. Minores ſub Nicolao III. de Stricta obſervantia Regulæ S. Franciſci, quâ volebant, interdictum eſſe omnium rerum dominium, & ſolùm uſum facti permiſſum. De hoc agit Alvarus Pelagius Silvenſis Epiſcopus ex Ordine Minorum, qui ſub Joanne XXII. florebat, Lib. 2. de Planctu Eccleſiæ cap. 11.

IV. Diſſidium malè pullulans, & in Sectam degenerans Clemens V. abolere conatus fuerat, Apoſtolicâ manſuetudine ac mandatis ſegreges ad Ordinis unitatem, & obedientiam Generali Miniſtro & aliis Superioribus revocare ſatagens, additâ etiam declaratione dubiorum quorumdam circa ſenſum & obſervantiam præfatæ Regulæ emergentium, ut in Clementina *Exivi de Paradiſo* tit. *de Verborum ſignificatione*. At ſpretis Pontificiis mandatis & cenſuris, ex Provincia Tuſciæ, ubi loca quædam occupaverant, in Siciliam ſeceſſerunt, & Henricum de Ceva dicti Ordinis apoſtatam ſchiſmaticæ ſuæ congregationi præfecerunt. Utque tam fœdo capiti membra reliqua reſponderent, Provinciales Miniſtros, Cuſtodes & Guardianos eligere temeritate ſimili præſumſerunt, plurimos ad eorum Sectam recipere, Prædicatores & Confeſſarios aſſumere, & alia quæ Joannes XXII. in eis damnat Conſtitutione latâ anno 1318.

V. Deinde in eadem Bulla eorum referens errores. *Primus itaque*, inquit, *error, qui de illorum tenebroſa officina prorumpit, duas fingit Eccleſias, unam carnalem divitiis preſſam, effluentem deliciis, ſceleribus maculatam, cui Romanum Præſulem alioſque inferiores Prælatos dominari aſſerunt: aliam ſpiritualem, frugalitate mundam, virtute decoram, paupertate ſuccinctam, in qua ipſi ſoli eorumque complices continentur, cui etiam ipſi ſpiritualis vitæ merito principantur.*

Secundus error, quo prædictorum Inſolentium conſcientia maculatur, venerabiles Eccleſiæ Sacerdotes alioſque Miniſtros ſic Juriſdictionis & Ordinis clamitat auctoritate deſertos, ut nec ſententias ferre, nec Sacramenta conficere, nec ſubjectum populum inſtruere valeant vel docere: illos fingentes omni Eccleſiaſticâ poteſtate privatos, quos à ſua perfidia viderent alienos: quia apud ipſos ſolos (ut ipſi ſomniant) ſicut ſpiritualis vitæ ſanctitas, ſic auctoritas perſeverat.

Tertius iſtorum error in Waldenſium errore conjurat; quoniam & ii & illi in nullum eventum aſſerunt fore jurandum, dogmatizantes, mortalis criminis contagione pollui & pœnâ teneri, quos contigerit Juramenti religione conſtringi.

Quar-

Quarta hujuſmodi impiorum blaſphemia de prædictorum Waldenſium venenato fonte prorumpens, Sacerdotes ritè etiam & legitimè ſecundùm formam Eccleſiæ ordinatos, quibuslibet tamen criminibus preſſos, non poſſe conficere aut conferre Eccleſiaſtica Sacramenta, confingit.

Quintus error ſic iſtorum hominum mentes obcæcat, ut Evangelium Chriſti in ſe ſolis hoc in tempore aſſerant eſſe completum, quod hactenus (ut ipſi ſomniant) abjectum fuerat, imò prorsùs extinctum. Hoc idem dicebat Lutherus, & hoc & alia prædicta ejus Sectarii conclamant. Videat ergo Lector, quorum progenies ac ſurculi exiſtant.

Multa ſunt alia, quæ iſti præſumtuoſi homines contra conjugii venerabile Sacramentum garrire dicuntur. Multa quæ de curſu temporum & fine ſeculi ſomiant. Multa, quæ de Antichriſti adventu, quem jam inſtare aſſerunt, flebili vanitate divulgant. Quæ omnia, quia partim heretica, partim inſana, partim fabuloſa cognoſcimus, damnanda potiùs cum ſuis Auctoribus, quàm ſtylo proſequenda, aut refellenda cenſemus. Hæc Joannes XXII.

VI. Addebant inſani homines, Regulam S. Franciſci, utpotè verum Evangelium Chriſti, nullam interpretationem, aut declarationem pati poſſe: nec eam commentandi, abrogandi, aut mitigandi ullam nec Romanum Pontificem habere poteſtatem, ac multò minùs Ordinem Minorum vitam verè Apoſtolicam & Evangelicam profitentem abrogandi. Ideòque Joannis XXII. Conſtitutiones *Cùm inter nonnullos* & *Quia quorumdam mentes* & *Ad conditorem Canonum* rejiciebant: Aſſerentes inſuper, nullum mortalium cogere ipſos poſſe ad deponendos habitus ſtrictos, nimiâ brevitate difformes ac ridiculos, & ad vitæ neceſſaria congreganda, & in craſtinum reſervanda eos adigere, fore idem ac Chriſtum de Synagoga propellere; aliaque, de quibus Baluzius Tom. 1. Miſcellaneorum pag. 198. legi poteſt: qui refert etiam, quoſdam ex illis ob præfatorum errorum defenſionem à Michaele Monachi Ordinis Minorum in diverſis Galliæ Provinciis Inquiſitore damnatos, & ab Epiſcopo Maſſilienſi degradatos, & ſeculari Magiſtratui relictos, Maſſiliæ combuſtos fuiſſe anno 1318.

VII. Impietate inter iſtos emicuit quidam Franciſcus è Lutra Germanus, qui ſe *Bajulum lucis* prædicans, tria ſibi uti magno Prophetæ revelata fuiſſe venditabat: Primum, quòd omnes Fratres Minores, qui Decretis Apoſtolicis uſi paupertatis rigorem mitigarant, lethali peccato tenerentur obſtricti. Secundum, ſe propterea à Chriſto miſſum, ut Ordinis Minorum diſciplinam priſtino ſplendori reſtitueret: ſibique utpotè ad hoc à Deo ab utero electo,

po-

Digitized by Google

potiùs quàm Romanis Pontificibus, Fratres obedire teneri. Tertium, graviter peccare eos, qui Fratribus Minoribus eleemoſynas erogarent, quia iſti ſolâ Dei providentiâ abſque humana ope vivere debent. Hic tamen pſeudo-propheta à Joanne compreſſus fuit, ut refert Odoricus Raynaldus in Addit. ad Tomum 15. Annalium ad annum 1321.

VIII. Libros Petri Joannis Olivi ejuſque doctrinam eſſe à Spiritu Sancto revelatam, ac nullam hæreſim aut errorem continere effutiebant: Damnatos quoquè Maſſiliæ, vel alibi propter recenſitos errores combuſtos, injuſtè damnatos eſſe pro veritate Evangelicæ Regulæ defendenda aſſerebant, ideòque eos ut martyres colendos eſſe prædicabant. Ut ſuis erroribus famam conciliarent, Fratres Tertii Ordinis S. Franciſci ſe vocitabant, ideòque ſtrictas ac viles veſtes induebant. Quod intolerabile mendacium Joannes XXII. tunc vivens expresſè damnavit his verbis: *Nonnulli etiam ex ipſis, aſſerentes, ſe eſſe de tertio Ordine B. Franciſci pœnitentium vocatos, prædictum ſtatum & ritum eorum ſub velamine talis nominis ſatagunt palliare, cùm in Regula ipſius Tertii Ordinis talis vivendi ritus non ſit conceſſus.*

IX. Fratricellos aliis erroribus inquinatos fuiſſe, ſcribit Guido de Perpiniano in ſua Summa de Hæreſibus: quia dicebant, quòd homo & mulier poſſunt nudus cum nuda quolibet in loco ſinè peccato jacere, ſe tangere, oſculari &c. Item quòd jacere cum muliere & carnaliter non commiſceri, eſt majus miraculum, quàm mortuum ſuſcitare. Rursùs, quòd perfectiùs eſt vivere ſinè voto, quàm cum voto. Tandem, quòd Eccleſia conſecrata non plus valet ad orandum, quàm ſtabulum pecorum: & quod meliùs poteſt Chriſtus adorari in nemoribus, quàm in Eccleſiis.

X. Trithemius in Chronico Hirſaugienſi Tom. 2. pag. 74. conjiciens, hæreſim Fratricellorum ab impuro Tancellino ſeu Tanchelino, vel à Catharis originem habuiſſe, hos errores eis attribuit:
„ Primò: Quòd omnia Sacramenta Eccleſiæ præter Baptiſmum
„ irridebant: Corpus & Sanguinem Chriſti ſpernebant, pœniten-
„ tiam nullam omninò faciebant. Dicebant enim, ſe plenos Spi-
„ ritu Sancto, nullum habere peccatum; & pollicebantur omni-
„ bus ad Sectam eorum initiatis remiſſionem omnium peccato-
„ rum; & quòd deinceps peccare non poſſint, quidquid fecerint.
„ Item dicebant, nullum Pontificem Romanum ſuper eos aucto-
„ ritatem habere, & maximè Bonifacium VIII. & Joannem Pa-
„ pam XXII. à quibus damnati fuerant, blaſphemâ garrulitate
„ carpebant: aſſerentes, nec eos, nec aliquem eorum Succeſſo-
„ rem legitimè vel electum vel ordinatum Pontificem, ſed om-
nes

Digitized by Google

„ nes Romanos Pontifices poſt ſuæ damnationem Sectæ eſſe
„ damnatos. Item, omnes homines, qui Sectam eorum non eſſent
„ profeſſi, dicebant, in æternum damnandos, propterea quòd
„ aliter vivant & credant, quàm Sancti Apoſtoli, & Chriſtiani in
„ primitiva Eccleſia crediderunt, docuerunt, & vixerunt.

„ Sectam namque ſuam à Sanctis Apoſtolis inſtitutam & ob-
„ ſervatam pertinaciter affirmabant. Item luxuriam adulterium
„ & ſtuprum dicebant in eorum Secta non eſſe peccatum; affir-
„ mantes, Apoſtolos & alios Chriſti Diſcipulos in Eccleſia pri-
„ mitiva nunquam fuiſſe continentes, ſed vel cum propriis uxori-
„ bus ſi habebant, vel cum alienis indifferenter coibant, & hanc
„ magnam inter ſe caritatem prædicabant. Item pro confirma-
„ tione ſui erroris adducebant, Nicolaum Antiochenum Diaco-
„ num, propterea ab Apoſtolis hæreticum declaratum in Acti-
„ bus, & damnatum ab Eccleſia primitiva, quoniam uxorem ha-
„ beret pulchram, & nollet eam Apoſtolis & aliis Diſcipulis eſſe
„ communem ad coeundum, ſicut cæteri omnes ſuas feciſſent
„ communes. Item non contenti homines iſti pernicioſiſſimi
„ Fratricelli, quòd cum uxoribus & filiabus luxuriabantur alie-
„ nis, quin etiam in cavernis montium, in ſpeluncis & latibulis
„ noctu convenire ſolebant, coitum indifferenter cum nepte, ſo-
„ rore, filia, & matre (quod turpiſſimum eſt) in tenebris exer-
„ centes: Et hoc nullum dicebant eſſe peccatum, perversè inter-
„ pretantes illud Apoſtoli: *Omnia munda mundis*.

„ Item, convenientes in antris nocturno tempore, de indu-
„ ſtria ſeductas virgines, aut viduas pulchriores, ſub multis &
„ variis pollicitationibus intrò ſecum ducebant. Quibus introdu-
„ ctis, latitabant ejuſdem Sectæ Sacerdotes & Clerici in eodem
„ antro, qui Divinas quidem laudes ad comparandam fidem pri-
„ mò decantabant; quibus circa noctem mediam finitis, Sacerdo-
„ tes eorum altâ admonebant voce, binos debere maſculum &
„ feminam, Sancto Spiritu invocato, in complexum & coitum
„ commiſceri. His dictis & luminibus extinctis, quiſque virorum
„ proximam mulierem ſibi proſternebat ad coitum, nullâ ſangui-
„ nis conſideratione habitâ.

„ Item, ſi ex hujuſmodi complexu ſeu coitu aliqua mulier
„ concepiſſet, infans genitus mox ad conventiculum illud in ſpe-
„ luncam deferebatur, & ibi per ſingulas eorum manus trade-
„ batur, tamdiù totieſque bajulandus, quo uſque animam exha-
„ laret. Is verò, in cujus manibus expiraſſet infantulus, ſummo
„ honore dignus inter eos habebatur.

„ Item, quoties ſemel inter eos corrupta ſecundum aut ter-
tium

Digitized by Google

,, tium peperiſſet infantem, Sacerdotes ipſi congregati in unum,
,, ſtatim ſuper prunis aſſabant eum, & in pulverem minutiſſimum
,, redigebant. Collectum verò exinde pulverem, ipſum ad pro-
,, fanum reſervabant uſum. Nam quoties novitium aliquem vel
,, novitiam ad ſuam recipiebant Sectam, mittebant de prædicto
,, pulvere in vaſculum, vinum deſuper infundentes cum execra-
,, bili imprecatu; ipſiſque novitiis, qui per eos initiandi fuerant,
,, pro ſacramento dabant in poculum ,,. His ſimilia verè horrenda & execrabilia ante iſtos Stephanum & Liſojum frequentaſſe, ſuperiùs cap. 86. §. 1. oſtendi.

XI. Hæc turpia & ſacrilega, quæ ex Trithemio de Fratricellis hactenus expoſui, num omnibus illius Sectæ ſingula communia forent, dubium mihi ingerit, quia Joannes XXII. qui toties Sectam iſtam damnavit, de aliis quidem eorum erroribus locutus eſt; at de nefandis hiſce turpitudinibus verbum numquam fecit. Vel ergo tunc nondum notæ erant, vel nondum excogitatæ, ſed ſucceſſivè à Sectæ profeſſoribus inductæ, ut ex infra dicendis apparebit.

CAPUT XCIX.

De Hermanno, Geraldo Segarelli, Dulcino, & Beguardis, & Beguinis.

§. I.

De Hermanno, & Geraldo Segarelli.

I. Hermannus cognomine *Pongilupus*, patriâ Ferrarienſis, multorum accuſatus errorum, ac ab Inquiſitoribus damnatus fuit. Verùm cùm pluries verbo tenus errores ejuraſſet, ac emendationis ſigna exteriùs exhibuiſſet, tanquam in fide Catholica moriens in Eccleſia ſepultus fuerat; Verùm poſt ejus mortem fraude detectâ, & in turpiſſimis quos docuerat erroribus finali compertâ perſeverantiâ, juſſu Bonifacii VIII. anno poſt obitum trigeſimo primo, teſte Bernardo de Guido in Chronico Roman. Pontificum, ejus oſſa exhumata & flammis tradita fuere. Docuerat nequiſſimus iſte, & inſtauraverat veterum Gnoſticorum nocturna fœdaque conventicula, & promiſcuam in eis libidinem. Fœtus furtivis illis coitibus conceptus tamdiù per manus in orbem ſtantium jactabatur, donec efflaret ſpiritum: & in cujus manibus expirabat, is Pontifex eorum Maximus creabatur. Cremabant etiam unum ex infantibus ita procreatis, ejuſque ci-

Digitized by Google

neribus in cadum conjectis, vino ſuper infuſo, eorum novitii initiabantur.

II. His addebant, Chriſtianorum nemini licere quidquam habere proprii, nec Reſpublicas adminiſtrare, nec Magiſtratus gerere. Demum aſſerebant, Animas ſanctas non frui Dei viſione ante diem Judicii, contra illud Chriſti ad Latronem: *Hodie mecum eris in Paradiſo*. Hi erant Fratricelli, de quibus Cap. præcedenti circa finem ex Trithemio locutus ſum; & quos deſcribit Prateolus L. 6. ad literam F. Et hos dicit auctorem habuiſſe quemdam Italum, Hermannum nomine, eoſque Bonifacium VIII. damnaſſe, & ubique perſecutum fuiſſe. Quare licèt iſti Fratricelli appellentur; diverſi tamen longè ſunt ab illis, qui, ut ſupra dixi, ex Ordinis Franciſcani ſciſſione prodiere; de quibus obſcenitates, quas iſti addiderant, ut dixi non leguntur. Sed hæc eſt hæreticorum ſors, ut de malo ſemper in pejus ruant. Unde in Oſeæ caput ſeptimum benè dicit Gloſſa „ Hæreticis eſt væ æternum, qui recedunt à Crea-„ tore, & ululant in conciliabulis ſuis, quæ indè cubilia, & luſtra „ ferarum meritò appellantur, in quibus libidini & ſtupris vacant. „ Quidquid tamen dicunt, putant ſe in laudes Dei dicere; quod „ nihil aliud, quàm ululatus luporum & canum inſanientium „ ſonitus eſt „.

III. Geraldus (ſeu Gerardus) Segarelli Fratricellorum Sectam obſcenitatibus adeò auxit, ut in impietate eorum Vexillifer jure dici poſſit. Fuit patriâ Parmenſis, conditione plebejus, illiteratus, & verè inſanus. Is cum poſtulato FF. Minorum habitu repulſam paſſus fuiſſet, novum ſibi habitum compoſuit, alboque pallio involutus cum ſoleis in pedibus, ſecundùm quòd Apoſtolos depictos viderat, cum capillitio & barba; venditâ domunculâ, quam unicè poſſidebat, pretioque, non in pauperes, ſed in nebulones, qui in platea ludebant, diſperſo, Chriſtum & Apoſtolos imitari ſe velle profeſſus eſt. Factum verè ridiculum, & inſanum narrans Eymericus p. 2. Directorii cap. 12. *Venditá*, inquit, *domunculá ſuá, & accepto pretio, ſtetit ſuper lapidem, ſuper quem antiquitùs Poteſtates Parmenſes concionari ſolebant, & habens denariorum ſacculum, non diſperſit & dedit pauperibus, nec congregationi pauperum affabilem ſe fecit: ſed vocatis ribaldis, qui ibi propè in platea ludebant, ſparſit inter illos, altá voce dicendo: Quicumque vult, accipiat, & habeat ſibi. Collegerunt itaque valdè citò ribaldi denarios illos, & iverunt, & luſerunt ad taxillos, & iſto audiente qui dederat, blaſphemaverunt Deum viventem.*

IV. Deinde, ut Chriſtum in omnibus æmulari videretur, quamvis jam adultus, circumcidi voluit, &, ut ſe infantem ſimularet, fa-

Digitized by Google

faſcis involvi, in cunabulo jacere, & mulierculæ cujuſdam ubera ſugere, non tam in vitæ alimentum, quàm in libidinis incitamentum. Viles inſuper homunciones in ſocietatem traxit, quam vivendi libertas & explendæ libidinis licentia citò propagavit. Apoſtolorum nomen ſibi arrogabant, mendicando vagabantur, omnia communia debere eſſe docebant, etiam uxores. Deum Patrem rexiſſe Mundum in ſeveritate & juſtitia ab ejus creatione uſque ad Incarnationem Filii: poſtea à Filio gubernari cœpiſſe in gratia & ſapientia; jamque à Spiritu Sancto in amore & caritate regi. Vigente itaque regno caritatis, illicitum dicebant eſſe denegare quidquid ex caritate poſtularetur; adeòque cùm promiſcua virorum & feminarum commixtio ex caritate eſſet ac fieret, peccatum non eſſe, ſed actum caritatis. Ita ex Alexandre in Hiſt. Sec. 13. & 14. cap.3. art.11. & aliis.

V. Du Pleſſis tamen Tom. 1. de Novis Erroribus pag.171. aliter ſcribens, ait: *Geraldus Sagarellus de Parma, qui è numero Pariſienſium Doctorum erat, in eadem controverſia ſcripſit contra Fratres Minores. Quæ ſcriptio à S. Bonaventura refellitur in Apologia pauperum & à S. Thoma. Poſtea verò cùm Geraldus Parmam rediiſſet, hæreſis accuſatus eſt à Fratribus Minoribus, & igne combuſtus dicitur, inſtigantibus Fratribus Mendicantibus. Alii narrant, Geraldum paralyſi diſſolutum, & leprâ percuſſum miſerè obiiſſe. Hiſt. Univ. Pariſ. Tom. 3.* Quibus ab aliis, qui Geraldum virum idiotam ac illiteratum faciunt, planè diſſentit. Certum tamen eſt, quod Segarellus cùm plurimos corrupiſſet, à Manfredo Inquiſitore Ord. Prædic. & Opizone de Sancto Vitali Parmenſi Epiſcopo, captus, damnatus, & ſeculari traditus poteſtati, flammis addictus atque combuſtus eſt die 28. Julii anno 1300.

§. II.

De Dulcino, & Guillelma.

I. FRatricellorum Secta Dulcinum peperit, patria Novarienſem, Segarelli diſcipulum, ſed in impietate magiſtro fortè ſuperiorem. Fœdum Segarelli dogma pluribus hominum millibus in Alpibus habitantibus unà cum Margarita ejus ſcorto afflavit. Addebat inſuper, auctoritatem omnem à Chriſto traditam Eccleſiæ Romanæ omninò evacuatam eſſe; ab eaque excidiſſe Pontificem, Cardinales, cæteroſque Prælatos, & in Sectam ſuam translatam fuiſſe, quæ verè ſpiritualis Congregatio à Deo electa, & in noviſſimis diebus miſſa eſſet. Nec Romano Pontifici, nec alicui

 homi-

homini ſe ſubditos eſſe. Viros abſque uxorum, uxores abſque maritorum conſenſu poſſe matrimonii ſtatum deſerere, & ad Sectam ſuam tranſire. Omnes Romanæ Eccleſiæ Prælatos, tam majores, quàm minores, à tempore S. Silveſtri, excepto Petro de Murrone (Cœleſtino V.) ſeductores fuiſſe, quòd à modo vivendi piorum Sanctorum declinaſſent. Ordines omnes Hierarchicos & Religioſos eſſe in Fidei Catholicæ detrimentum. Laicos ad ſolvendas alicui Romanæ Eccleſiæ Sacerdoti decimas non teneri, niſi paupertatem, & perfectionem Apoſtolorum ſit aſſecutus. Perfectius eſſe vivere ſinè voto, quàm voti religione obſtrictum. Perindè eſſe in ſtabulo, ac in Eccleſia Deo conſecrata orare. Licitum eſſe fidem ore negare ad Inquiſitorum poteſtatem evadendam, modò corde teneatur. Iſta conſtant ex Salimbeno de Adam Ordinis Minorum authore, qui Segarellum vidit, in Codice quem ex Bibliotheca Cardinalis Sabellii laudat Pegna Comment. 37. in 2. p. Direct. Inquiſit. Ex S. Antonino P. 3. Chronic. Tit. 21. cap. 1. §. 21. ubi de Dulcino agit. Nunc pius ac prudens Lector conſideret, an penè omnia præfata moderni Heterodoxi adoptarint.

II. In montanis Novarienſibus conventicula ſua agebat Dulcinus, cui utriuſque ſexus plures ſupra mille adhærebant. Hujus famâ permotus Pontifex Clemens V. Inquiſitores de Ordine Prædicatorum cum Epiſcopo Vercellenſi illuc direxit, ac ſimul Cruce prædicatâ ingens exercitus ſequutus eſt,,, Accidit autem (refert
,, Bernardus Guido in Chron. Rom. Pont.) quòd propter intenſa
,, frigora multi qui erant in dictis montibus, fame & frigore defi-
,, cientes à viribus, & à vita in ſuis erroribus perierunt. Aſcen-
,, dentes autem fideles de exercitu cœperunt ibidem Dulcinum,
,, & cum eo 150. perſonas: mortui verò fame & frigore cum in-
,, terfectis gladio quadringenti & ampliùs ſunt inventi. Cum eo-
,, dem quoquè Dulcino fuit capta Margarita, non tam malefica,
,, quàm hæretica, conſors ejus in ſcelere, & errore. Prædicta verò
,, captio fuit facta in Hebdomada Sancta, in die Sancto Cœnæ
,, anno Incarnationis Domini inchoato 1308. Contra prædictum
,, Dulcinum de mandato Apoſtolico, fuerat ante Crux cum In-
,, dulgentia prædicata, & Inquiſitores pluries moverant exercitum
,, contra ipſum; ſed non poterant prævalere, quia ſequaces & fau-
,, tores ac defenſores ejus multiplicati erant ſuper numerum in
,, partibus Lombardiæ. Tandem facta fuit debita executio juſtitiæ
,, de eiſdem per Curiam ſecularem, fuitque dicta Margarita ante
,, Dulcini oculos membratim conciſa. Dehinc & ipſe Dulcinus
,, membratim inciditur, & amborum oſſa & membra omnia pari-
,, ter comburuntur cum quibuſdam aliis ſuis complicibus, prout

eorum

Digitized by Google

„ eorum ſcelera merebantur. Non tamen perverſum dogma Dul-
„ cini cum ipſo extincto penitùs eſt extinctum „. Hæc ex manu-
ſcripto Codice Bernardi, qui in Vaticana Bibliotheca extat, Odo-
ricus Raynaldus in ſuis Annalibus anno 1308. num. 9. exſcripſit.
Concordant quoquè Joannes Villani, Bernardinus Corius, S. Anto-
ninus in Chron. p.3. tit.21. cap.1. & alii.

III. Quòd verò extincto Authore peſtis hæc omninò extincta
non manſerit, teſtantur ejus reliquiæ, quæ in Tridentinis montibus,
ubi Dulcinus ſuæ hæreſis initia dedit, remanſerunt, & fortè adhuc
remanent, à Luthero & ſuis excitatæ: de quibus Hoſius Lib.1. de
Hæreſibus noſtri temporis ita ſcribit „ Nolo eſſe longior in com-
„ memorandis trecentis illis apud Apocellam in Helvetiis, qui
„ poſt decantatas Dei Laudes, extinctis lucernis, cùm brutorum
„ inſtar fœdâ ſe libidine contaminaſſent, in montem nihilominus
„ quemdam editum aſcenderunt, unde ſe cum corporibus & ani-
„ mis ſublimes raptos iri perſuaſum habebant. Sed neque de aliis
„ quibuſdam conventiculis quicquam dicam, quorum Eraſmus
„ Libro de amabili Eccleſiæ concordia meminit, in quibus matres
„ ultrò tradebant ſuos infantes occidendos, & tam immane faci-
„ nus hilari vultu ſpectabant, perſuaſæ, ſic interfectos inter præ-
„ cipuos ſanctos habendos. Quâ quidem re quid magis horrendum
„ dici poteſt? „ Ita Hoſius. Hi ſunt prætenſæ Reformationis
ſurculi.

IV. Nefandæ huic Sectæ Fratricellorum Mediolani addicta
erat quædam Guillelma, cujus hiſtoriam deſcribit Boſſius in Chro-
nica Baſſiana his verbis „ Anno Domini 1300.... Eodem anno in
„ Mediolano, hæretica quædam occulta nomine Gulielma (erat),
„ quæ religioſiſſimam atque ſanctam monſtrabat ducere vitam
„ cum quodam Andrea, nomine Seramita, ſub ſpecie bonorum
„ operum in eorum Synagoga ſubtus terram ſita, hæretico ute-
„ bantur & faciebant uti opere. Ibi in matutinis ante diem, de
„ eorum, quos ordinaverant, conſortio, ibant mulieres nuptæ &
„ viduæ: quæ occultè ipſius mulieris mandato erant clericatæ.
„ Etiam ibant & juvenes viri, dum ipſa maledicta ad modum
„ Presbyteri induta, in ipſa Synagoga juxta altare ſuas orationes
„ conſuetas fudiſſet, in fine ajebat: Adunamini, adunamini, &
„ lumen ſub ſextario ponite; & quæ ordinavit, facite. Et tali
„ modo diebus ordinatis, occultè ſtuprum committebant. Hæc
„ Gulielma moritur, & à Monachis Clarevallenſibus pro ſanctâ
„ ſepelitur.

„ Poſt cujus obitum, Andreas per ſex annos ordinem ſequi-
„ tur; quouſque quidam civis magnus mercator Mediolani, no-
mine

„ mine Curadus de Coppa, dum frequentiùs uxor in matutinis
„ ſurgeret, unâ vice de ipſius itinere cupiditate ſuccenſus, occul-
„ tè ſurgens, extra domum uxorem eſt ſecutus, & uſque ad con-
„ ſortium incognitus eam ſequitur. Qui ibi, & poſito lumine ſub
„ ſextario, factâ obcuritate, uxorem ſuam ſecundùm aliorum
„ morem, cœpit, & cum ea incognitus rem habuit, & annulum
„ auri cum ſaphiro extra digitum uxoris cœpit, & indè poſt alios
„ occultè exivit. Qui poſt quatuor dies annulum ab uxore petiit,
„ ut pro neceſſitate ſua in depoſitum, prout promiſerat, daret.
„ Et illa eum annulum quærere finxit. In fine, quòd non inve-
„ niebat, timidè reſpondit.

„ Ille convivium conſanguineis, amicis, & vicinis, quorum
„ uxores in dicto conſortio cognovit, eis & uxoribus præparari
„ fecit. Qui cùm omnes amore & precibus veniſſent ad convi-
„ vium, & pranſuri eſſent, ait: Quilibet faciat uxori ſuæ ſolatium,
„ quod meæ facturus ſum, & poſtea cauſam rei pandam. Qui
„ omnes ſic facturi promiſerunt. Hic ligaturam de capite uxori
„ extraxit, & clericatam invenit. Et cæteri ſic fecerunt, & eas
„ omnes cum clerica invenerunt. Quænam eſſet cauſa, viri ex-
„ clamaverunt? Qui Curadus per ordinem rei factum pandit.
„ Qui omnes, habito conſilio, ab eis Matthæo Mediolani Principi
„ negotium ſtupri intimatur. Cujus mandato, cùm conſilio In-
„ quiſitionis hæreticæ pravitatis, Andreas Seramita cum ſuis fa-
„ mulis à lictoribus Poteſtatis capiuntur; & ad torturam poſiti,
„ per undecim annos hoc peccatum ab eis & à Gulielma commiſ-
„ ſum eſſe manifeſtaverunt. Qui Andreas compluresque, qui de
„ dicto peccato cauſa mali erant, & oſſa Gulielmæ tanquam hæ-
„ reticæ cremantur. Et quæ pro ſancta venerabatur, poſtea pro
„ hæretica ab omnibus blaſphematur. Necnon & mulieres, quæ
„ ibant ad conſortium, non ſinè punitione à viris ſuis dimittun-
„ tur „. Boſſius ita narrat. Parcat Lector, ſi in hiſce nefandis diutiùs eum detinens pudorem ejus fortè offendi. Hoc feci, ut videat, in quale iniquitatis barathrum Fratricellorum Secta, quæ, ſpretis ut apoſtaticis Apoſtolicis viris, ſibi ſoli Apoſtolicæ nomen vindicabat, miſerè collapſa ſit: nec de ſe audeat præſumere.

§. III.

De Beguardis & Beguinis.

I. Ex nefaria Fratricellorum Secta eruperunt Beguardi quoquè & Beguini, Beguardi vocabantur illius Sectæ viri, Beguinæ verò feminæ. Unde tale nomen hauſerint, incertum. Apud Ger-

Germanos hæc hæreſis plurimùm debacchata eſt, ſub falſa ſanctitatis ſpecie plures turpitudines & ipſa tegens. Ejus ſpeciales errores damnati à Clemente V. in Concilio Viennenſi, & in Clementina cap. *Ad noſtrum*. *De Hæreticis* recenſiti, ſequentes ſunt.

II. Primò dicebant. Quòd *Homo in vita præſenti tantum & talem perfectionis gradum poteſt acquirere, quòd reddetur penitùs impeccabilis, & ampliùs in gratia proficere non valebit. Nam* (inquiebant) *ſi quis poſſet ſemper proficere, poſſet aliquis Chriſto perfectior inveniri*.

Secundò: *Quòd jejunare non oportet hominem, nec orare, poſtquam gradum perfectionis hujuſmodi fuerit aſſecutus; quia tunc ſenſualitas eſt ita perfectè ſpiritui & rationi ſubjecta, quòd homo poteſt liberè corpori concedere quidquid placet*. (Hoc errore noſtris temporibus Molinos decepit multos.)

Tertiò: *Quòd illi qui ſunt in prædicto gradu perfectionis, & ſpiritu libertatis, non ſunt humanæ ſubditi obedientiæ, nec ad aliqua præcepta Eccleſiæ obligantur: quia (ut aſſerebant) ubi ſpiritus Domini, ibi libertas*. Hoc quoquè Molinos inſinuabat.

Quartò: *Quòd homo poteſt ita finalem beatitudinem ſecundùm omnem gradum perfectionis in præſenti aſſequi, ſicut eam in vita obtinebit beata*.

Quintò: *Quòd qualibet intellectualis natura in ſe ipſa naturaliter eſt beata; quòdque anima non indiget lumine gloriæ ipſam elevante ad Deum videndum, & eo beatè fruendum*.

Sextò: *Quòd ſe in actibus exercere virtutum, eſt hominis imperfecti, & perfecta anima licentiat à ſe virtutes*. (In hoc errore à Molinos decepti erant Quietiſtæ.)

Septimò: *Quòd mulieris oſculum (cùm ad hoc natura non inclinet) eſt mortale peccatum: Actus autem carnalis (cùm ad hoc natura inclinet) peccatum non eſt; maximè cùm tentatur exercens*.

Octavò: *Quòd in elevatione Corporis Jeſu Chriſti non debebant aſſurgere, nec eidem reverentiam exhibere; aſſerentes, quòd eſſet imperfectionis eiſdem, ſi à puritate & altitudine ſuæ contemplationis tantùm deſcenderent, quòd circa miniſterium, ſeu Sacramentum Eucbariſtiæ, circa Paſſionem humanitatis Chriſti aliqua cogitarent*. (Hos duos errores etiam adoptarunt Quietiſtæ. Omnes tamen inſani, & ſacrilegi.)

III. Nonnulla alia addit Clemens V., nempè quòd ſub ſimulata quadam ſanctitatis ſpecie dicerent, facerent, & committerent, quæ oculos Divinæ Majeſtatis graviter offendunt, & grave in ſe continent periculum animarum, & ſcandalum populorum. Alvarus Pelagius Silvenſis Epiſcopus ex Ordine Minorum aſſumtus Au-

Auctor coævus Lib. 2. de Planctu Eccleſiæ cap. 3. peſtiferam doctrinam de ſpiritu libertatis, quâ omnis peccati & præcipuè carnalis, conſcientiam extinguebant, à Dulcino ſupra relato eos hauſiſſe ait: dicebant enim, nihil aliud eſſe Infernum, niſi non facere propriam voluntatem; nec aliud eſſe Paradiſum, niſi facere in omnibus propriam voluntatem, & in omnibus propriâ libertate uti, contra doctrinam Chriſti, qui nos ſic orare docuit: *Fiat voluntas tua ſicut in Cœlo & in terra*. Et ſuo exemplo præivit, dum ad Patrem ait Lucæ 22. v. 42. *Non mea voluntas ſed tua fiat*.

IV. Ad hanc Sectam effrænatæ libidinis ſcholam ex omni ſtatu & ordine paſſim confluebant. Unde idem Alvarus Pelagius: *Finis*, inquit, *talis ſpiritus libertatis, caro eſt, & non ſpiritus. Tempore meo in Provincia B. Franciſci multi ſeculares, & Fratres Minores pro iſto carnali ſpiritu libertatis per Inquiſitores hæreticæ pravitatis incarcerati fuerunt: inter quos fuit quidam Frater noſter, qui propter perfectionem, quam oſtentabat, Apoſtolus dicebatur, qui ibi caput fuit iſtius erroris. Qui cùm eſſem Novitius, & conſulerem eum, credens illum virum perfectum, ſuper quadam mea tribulatione, ſubridens dixit mihi, Quòd ipſe tribulari non poterat. Quod verbum non intelligens, ipſum mirabilem hominem reputavi: ſed cùm captus eſſet pro iſto ſpiritu libertatis, intellexi verbum ſuum occultum; quòd ideò non poterat tribulari, quia faciebat quidquid ſibi caro & ſenſualitas ſuggerebat, ſervus carnis, liber à juſtitia. Iſte in carcerem Fratrum mortuus fuit Florentiæ, ſi verè pœnitens, neſcio*. Hæc Alvarus Pelagius.

V. Alphonſus de Caſtro Lib. 3. adversùs Hæreſes tit. *Beatitudo* Hæreſ. 4. Begardos à Beguinis ita diſtinguit,, Hanc hæreſim ſuſcitarunt quidam homines in Alemannia, dicti Begardi, & quædam mulieres dictæ Beguinæ, qui omnes modo quodam honeſto & religioſo incedunt. Nam hodie in Germania inferiori vidi ipſemet mulieres ſic nominatas Beguinas, quæ in ſocietate quadam honeſtè vivunt, ſinè tamen alicujus voti expreſſi emiſſione, & cum propriæ ſuppellectilis retentione: quæ cùm volunt, & modus vivendi eis diſplicet, liberam recedendi habent facultatem, & in toto poſſunt ſocietatem relinquere. Secùs autem ſe habent Begardi, quoniam hi cœnobia habent, & tria vota, ut alii Monachi, Domino reddunt. Hanc rationem Begardorum, & Beguinarum hìc reddere placuit: quoniam hæc nomina aliis nationibus ſunt prorsùs ignota, utpotè Hiſpanis, & Italis, & magna ex parte Gallis.,,

VI. Damnatis à Clemente V., ut dixi, generaliter Begardis & Beguinis; quædam mulieres, quæ Beguinarum ſtatum honeſtæ &

ab

ab omni impuritatis & errorum labe immunes profitebantur, graviter conqueſtæ ſunt (ut refert Continuator Chronici Guillelmi de Nangis apud Dacherii Spicilegium Tomo aliàs 11. modò 3.) quaſi earum ſtatus, qui in Eccleſia perſeverabat, & adhuc perſeverat, damnatus eſſet. Propterea Joannes XXII. ut querelis earum ſatisfaceret, aliam Conſtitutionem edidit, ut præcedentes interpretaretur: quæ incipit: *Recta ratio non patitur, ut innocentes ad paria cum nocentibus judicentur*. In ea ergo ita declarat: *Verùm quia in multis Mundi partibus plurimæ ſunt mulieres, quæ ſimiliter vulgò Beguinæ vocatæ, ſegregatæ, quandoque in parentum, aut ſuis, interdum verò in aliis aut conductis ſibi communibus domibus inſimul habitantes vitas deducunt honeſtas.... : nec ulla ſuper his eſt, aut fuit hactenus nota ſeu ſuſpicio contra eas, quæ ipſas diſſimiles à luce ſua conſtringeret, ut nullis earum quæ perpetuam fortè Domino continentiam devoverunt, occaſio præbeatur ad lapſum; & ne periculis damnis & ſcandalis plurimis quæ proindè veroſimiliter ſequerentur pro proviſione Eccleſiæ moderna occupentur; Beguinas hujuſmodi inculpabiles, ut præmittitur, nec ſuſpectas, ſub probibitione & abolitione præmiſſis (quia de illis Prædeceſſor noſter præfatus nullatenus ſenſiſſe dignoſcitur) de Fratrum noſtrorum conſilio declaramus, & volumus non includi*. Tales ſunt noſtris etiam temporibus illæ, quæ alicujus probati Inſtituti habitum & vitam ducunt, ſivè in privatis ſivè in communibus domibus degentes, vulgò *Tertiariæ* vel *Bizochæ* appellatæ, ex quibus ſanctitate celebres plures prodiere, ac in dies prodeunt.

CAPUT C.

De Arnaldo de Villanova, Lolhardis, Cecco Aſculano, & Ekardo.

§. I.

De Arnaldo.

I. ARNALDUS de Villanova, natione Catalanus, profeſſione Medicus, Jacobi Regis Aragoniæ, & Friderici Regis Siciliæ ad Clementem V. Pontificem Maximum Orator, nobile ingenium & eruditionem, quibus pollebat, pravis de Religione opinionibus ac ſuperſtitionibus fœdavit. Cùmque Pariſiis errores ſpargere cœpiſſet, & præcipuè quòd circa annum 1335. Mundus eſſet finem habiturus, in hoc & aliis à viris doctis impugna-

gnatus & convictus, nec in eo Regno tutum ſe exiſtimans, niſi deſipere ceſſaret & palinodiam caneret, in Siciliam abiit, ubi à Friderico Rege benignè ſuſceptus, & ad Clementem V. Legatus miſſus, in mari naufragio merſus interiit.

II. Refert hoc inter alios Paulus Longius in Chronico Citizenſi apud Piſtorium Tom. 1. Var. Scriptorum ad annum Domini 1320. *Arnaldus*, inquit, *de Villanova his temporibus floruit patriâ Provincialis, magnus Philoſophus. Is Pariſiis dogma ſuum exercuit, & per prophetiam Danielis & Sibyllæ Erythreæ probare nitebatur, adventum Chriſti & perſecutionem Eccleſiæ futuram eſſe inter* 1300. *&* 1400.; *Domini annum fermè in* 1336. *anno adeſſe. Super eâ re librum edidit, cujus titulus* „ De Speculatione Adventus Chriſti „. *Is tamen reprobatus & quaſi hæreticus reputatus. Cùm Magiſtros Pariſienſes complurimos adverſarios formidans, ne ipſe deveniret ad manus Inquiſitoris, aufugit indè, & profectus eſt in Siciliam. Qui cùm miſſus fuiſſet à Rege Siciliæ Friderico Orator ad Papam, in mari mortuus eſt* „ Non eſt veſtrum noſſe tempora vel momenta, quæ Pater poſuit in ſua poteſtate „ *ait Veritas Incarnata. Unde omnes qui voluerunt determinatum tempus aſſignare adventus Antichriſti, vel finis Mundi, reperti ſunt mendaces.* Arnaldi hujus errorem taxat Jo: Picus Co. Mirandulanus Lib. 5. contra Aſtrologos cap. 1. & jure. Qui enim non prænovit finem vitæ ſuæ, quomodo finem Mundi præſcire poterat?

III. Promiſerat Arnaldus Clementi V. Romano Pontifici, ſe Librum ſuum de Arte Medica ad eum delaturum. Sed cùm naufragio & morte præventus promiſſum implere non potuiſſet, Pontifex, ut Libri compos fieret, ad omnes Epiſcopos ſcripſit, rigoroſè præcipiens omnibus, ut qui Librum præfatum penès ſe retinerent, traderent; qui ejus notitiam haberent, revelarent. Quæ literæ extant in Hiſt. Univ. Pariſ. Tom. 4. pag. 166. Librum iſtum fuiſſe repertum non legimus. Alii tamen ejuſdem Libri inventi fuere & delati, tanquam pluribus ſcatentes erroribus, poſt ſeverum examen, ſinguli à Joanne Longerio Ordinis Prædicatorum Inquiſitore, & ab illius Eccleſiæ tunc vacantis Vicario Gaufredo Tarraconæ proſcripti & damnati fuerunt. Sunt autem ſequentes.

IV. Primus: *Quòd natura humana à Deo aſſumta eſt æqualis Deo in omnibus bonis ſuis, & quòd tam alta ſit humanitas in Chriſto, quantum Deitas, & tantum poſſit.*

Secundus: *Quòd quàm citò Anima Chriſti fuit unita Divinitati, ſtatim ipſa Anima ſcivit omnia, quæ Deitas ſcit; quia aliàs, ut dicebat, non fuiſſet cum ea una Perſona: præcipuè quia ſcire eſt circumſtantia pertinens ad ſuppoſitum individuale, & non ad naturam.*

Ter-

Digitized by Google

Tertius: *Quòd Diabolus ingenioſè fecit totum populum Chriſtianum deviare à veritate Domini noſtri Jeſu Chriſti, ſicque ſuxit & evacuavit populum Chriſtianum, quòd non dimiſit, niſi pellem, ideſt apparentiam cultus Eccleſiaſtici, quem fecit ex uſu: Et fides quam habet eſt talis qualis eſt fides Dæmonum. Et quòd totus populus Chriſtianus ducitur in infernum: Et quòd Chriſtiani per ſingulos ſtatus palam vitâ, & moribus, & affectibus ipſum abnegaverunt. Et quòd in toto Corpore Chriſti collegii uſque ad verticem à planta pedis, non ſolùm vivit, ſed regnat & imperat apoſtaſia.*

Quartus: *Quòd Monachi omnes adulterant doctrinam Chriſti, & caritate deſtituti in æternum damnantur.*

Quintus: *Quòd ſtudium Philoſophiæ procul à Chriſtianis ſcholis eſt eliminandum, ſummoque vituperio digni ſunt Theologi, qui ex Philoſophiæ principiis aliqua in opera ſua derivarunt.*

Sextus: *Quòd revelatio facta Cyrillo cunctis Scripturis Sacris pretioſior eſt.*

Septimus: *Quòd opera miſericordiæ ſunt Deo gratiora Sacrificio Altaris.*

Octavus: *Quòd fundationes Capellarum, aut Præbendarum, ſeu etiam Miſſarum pro defunctis non ſunt opera caritatis, ſed res ad vitam æternam promerendam prorsùs inutiles.*

Nonus: *Quòd ille, qui multitudinem inopum novit, & congregat ſeu retinet ſuperflua ad fundandum Capellanias aut Miſſas perpetuas, æternam damnationem incurrit.*

Decimus: *Quòd Sacerdos, qui Sacrificium Altaris offert, vel eum qui offerri procurat, nihil Deo de ſuo, ne quidem voluntatem, offert.*

Undecimus: *Quòd Paſſio Chriſti magis in eleemoſynis repræſentatur, quàm in Sacrificio Altaris.*

Duodecimus: *Quòd non opere, ſed ore tenus in Sacrificio Miſſæ Deus laudatur.*

Decimustertius: *Quòd in Pontificiis Conſtitutionibus ſcientia dumtaxat eſt operum humanorum.*

Decimusquartus: *Quòd Deus nunquam æternam damnationem comminatus eſt peccantibus, ſed malum exemplum præbentibus.*

Decimusquintus: *Quòd ab anno Incarnationis Domini 1335. eſſet Mundi finis totaliter, & ex toto.*

V. Hi ſunt errores, in quos Arnaldum de Villanova lapſum eſſe ex Libris ejus collegerunt Cenſores, & propter quos damnati fuere Libri. Refert tamen Raynaldus ad ann. 1310. eos omnes Arnaldum ante mortem ejuraſſe. Nam anno 1594. Octavio Cardinali Aquavivâ Avenionis Legato, in Archivo illius Civitatis re-

pertum eſt manuſcriptum monumentum antiquum, exprimens formam, quâ Arnaldus expoſitos errores retractavit & execratus eſt. Quod ſi verum eſt, fortè tunc contigit, cùm è Galliis fugiens in Siciliam tranſiret.

§. II.

De Lolbardis.

I. HOc anno (1309., inquit Hocſemius auctor coævus) *quidam hypocritæ gyrovagi, qui Lolbardi, ſivè Deum laudantes vocabantur, per Hannoniam & Brabantiam quaſdam mulieres nobiles deceperunt.* Anno autem circiter 1315. fœdiſſimos per Germaniam, Auſtriam, & Bohemiam ſparſerunt errores. Iſtis nomen & errores dedit Lolhardus Walterus, de quo Trithemius in Chronico Hirſaugienſi Tom. 2. pag. 155. in annum 1322. *Anno prænotato*, inquit, *hæreticus quidam, Walterus nomine, Fratricellorum princeps, & hæreſiarcha peſſimus, qui multis latuerat annis, & plures ſuis erroribus peſſimis innodaverat ſimpliciores, apud Coloniam deprehenſus eſt, & per ſententiam juſtitiæ ignibus traditus atque conſumtus. Vir Diabolo plenus, & omnium verſutiſſimus, in errore pertinaciſſimus, in reſponſione callidus, in doctrina perverſus; qui nec promiſſis, nec minis, imò nec ſæviſſimis potuit induci tormentis, ut errorum ſuorum complices, qui tamen erant plures, indicaret.*

Et paulò infra: *Lolhardus autem iſte Walterus, natione Hollandinus, Latini ſermonis parvam habebat notitiam; & quia Romano non potuit, ſermone ſibi Theutonico plures ſui erroris Libellos conſcripſit, quos deceptis per ſe occultiſſimè communicavit: & cùm errores ſuos emendare & revocare contemneret, ſed conſtantiſſimè, quin potiùs pertinaciſſimè dico, defenderet, in ignem projectus favillam ſui reliquit.*

II. Lolhardi Walteri originem, ſeu initia ad ann. 1315. referunt Genebrardus in Chronico, & Spondanus in Annalibus; quamvis, ut ſupra ex Hocſemio notavi, ſemina ſui erroris ab anno 1309. clanculùm ſpargere cœperit. Quare deceptus eſt Prateolus, cùm inter Sectarios Wicleffi Lolhardum Waltherum recenſuit. Quinquaginta enim annos ante Wicleffum Walterus Lolhardus errores ſuos diſſeminavit: quos cùm Wicleffus ut plurimum ſecutus ſit, unde ignominioſum Lollandorum cognomen Wiclefiſtis datum fuit, fit, ut, non Lolhardus Wicleffi, ſed Wicleffus & Wicleffiſtæ Lolhardi Sectarii fuerint. Cumque moderni Heterodoxi multa ex Lolhardo & Wicleffo excerpſerint, ut infra patebit, videat pius Lector, quales magiſtros habuerint.

III. Nunc

Digitized by Google

III. Nunc ad Lolhardi, & Lolhardorum errores deveniam, quos ad quatuordecim redegit Trithemius. 1. *Miſſas vanitatem eſſe dicebant, & nullius, vel reverentiæ vel utilitatis.*

2. *Luciferum cum Dæmonibus ſuis Cælo injuriâ pulſum: tandemque beatitudini cum ſuis ordinibus reſtituendum; Michaelem & Angelos omnes æternis cruciatibus deputandos; hominesque ab eorum Secta alienos ſimiliter eſſe damnandos. Unde cum ſe mutuò ſalutarent, dicebant ſalutet te injuriam paſſus, ideſt Lucifer.*

3. *B. Virginem Mariam, ſi Virgo permanſit poſt partum, non hominem ſed Angelum peperiſſe.*

4. *Se habere XII. Apoſtolos jactitabant, qui totum ſingulis annis Imperium perluſtrarent: & duos ex eis ordine & profeſſione Seniores ſingulis annis Paradiſum intrare, ac ligandi ſolvendique poteſtatem ab Helia & Henoch recipere, quam cum aliis ejuſdem Sectæ profeſſoribus communicarent.*

IV. Circa Sacramentum errabant. 1. *Quia Sacramentum Baptiſmi irridebant, dicentes: Si Baptiſmum eſt Sacramentum; ergo quodlibet balneum eſt Sacramentum, & per conſequens quilibet balneator eſſet Deus.*

2. *Sacramentum Pœnitentiæ turpiter vitiabant, confitentes, non Sacerdotibus, ſed Laicis peccata ſua in genere tantùm non in ſpecie, exprimentes, ſperantes ſe ex hac confeſſione omnium peccatorum à pœna & à culpa remiſſionem plenariam recepturos.*

3. *Sacramentum Dominici Corporis non credebant, Hoſtiam conſecratam Deum fictitium appellantes.*

4. *Sacramentum Matrimonii juratum meretricium appellabant.*

5. *Sacramentum Extremæ Unctionis irridebant, & interrogati ſuper eo quid ſentirent, unanimiter reſpondebant: Nos credimus, olera quantò fuerint oleo plus condita, tantò eſſe meliora.*

6. *Conſecrationes Eccleſiarum, cæmeteriorumque, & benedictiones palmarum, ſalis, aquæ & cæterorum, quæ in Eccleſia frequentantur, tanquam inanes ritus ſugillabant.*

V. In Deum blaſphemabant dicentes, *Deum nec ſcire, nec punire mala, quæ ſub terra fierent: unde in ſpeluncis & locis ſubterraneis convenientes, pater cum filia, frater cum ſorore, ac filius cum matre indifferenter carnis ſuæ turpitudinem exercebant.*

VI. In Eccleſiam, ejus præcepta ac ritus inſanientes 1. dicebant, *Romanam Eccleſiam, non Chriſti, ſed gentium infidelium eſſe, omniaque ſtatuta Eccleſiæ cum Prælatis & Miniſtris ejus contemnebant.*

2. *Jejunium irridebant; & carnibus omni tempore etiam Feriâ ſextâ Paraſceves veſcebantur.*

3. *Dies*

3. *Dies Feſtos non ſervabant: ſed in die etiam Paſchæ laborabant.*

4. *Perjurium dicebant non eſſe peccatum.*

5. *Merita & interceſſiones quorumlibet Sanctorum poſſe hominibus apud Deum ſuffragari inficiabantur. Sed & alios complures articulos profitebantur erroris, quorum prolixitas inſerta his, tædium Lectoribus, ut vereor generaret.*

VII. Hactenus Trithemius in Chronico, qui ſubinde addit, per Auſtriam & Bohemiam Sectam hanc adeò invaluiſſe, ut uſque ad octoginta millia homines eâ infecti invenirentur. Nec obſtante Inquiſitorum labore ad eam exterminandam, ait, multos cremari potiùs pro ea voluiſſe, quàm ab ea recedere: *Multi Lolbardi eo tempore in Auſtria fuerunt combuſti; qui omnes unanimiter in ſuis erroribus pertinaciſſimè uſque ad mortem cum magna hilaritate permanſerunt.* Et hoc facto comprobat: Quædam formoſa adoleſcentula hac fæce inquinata & damnata, in actu ipſo ſupplicii, & ante ardentem rogum, quæſita *Si adhuc eſſet Virgo?* Reſpondit: *Utique, ſuper terram:* & hoc dixit: quia quamvis ſub terra in antris cum viris permixta carnaliter fuiſſet, ex doctrina tamen Sectæ ſupra relatâ putabat, mulierem in iis quæ ſubtus terram agebantur, nec peccare poſſe, nec deflorari: *Credebant enim fatui, Virgines ſub terra non poſſe deflorari, etiamſi à mille viris cognoſcerentur, neque tale ſtuprum eſſe peccatum.* Ad hanc peſtem extirpandam juſſu Joannis XXII. Inquiſitores ex Ordine Prædicatorum egregiam navaſſe operam, idem Trithemius teſtatur.

§. III.

De Cecco Aſculano.

I. F*ranciſcus Stabili* de Aſculo, vulgò *Ceccus Aſculanus* appellatus, referente Joanne Villani L.10. Hiſt. cap.41. & 42. Caroli Ducis Calabriæ Aſtrologus de hæreſi & pravo Aſtrologiæ judiciariæ uſu damnatus, Inquiſitoris Fidei ſententiâ Florentiæ igni traditus eſt anno 1327. Bononiam ad docendum Matheſim accerſitus, Tractatum in Sphæram ibi edidit, in quo præter alia blaſphema hæc dicebat: In ſuperioribus Orbibus ſpiritus malignos generari, qui per incarnationes ſub certis conſtellationibus conſtringi poterant ad res admirabiles faciendas. Item ſtellarum influxibus neceſſitatem abſolutam tribuebat; in quo uſque adeò proceſſit, ut diceret, Chriſtum veniſſe in Mundum, voluntate Divinâ ſe neceſſitati ſyderum accommodante, ex qua pariter, & pauper na-

naſci, & deſidioſam vitam cum Diſcipulis ſuis agere, & turpem mortem obire neceſſe habuerit. Contrà verò Antichriſtum ex poſitura ſyderum in ejus nativitate futurâ, neceſſariò divitem ac ſplendidum fore. Propter hæc & alia vana & blaſphema ad tribunal Inquiſitionis Florentiæ delatus, & igni traditus fuit.

II. Ab omni tamen erroris labe Ceccum immunem fuiſſe, & ſolâ æmulantium malignorum invidiâ proditum, oſtendere conatur Paulus Antonius Ammiani S. J. apud Berninum Tom. 3. Hiſt. Hæreſ. Sec. 14. cap. 3. pag. 450. &c. qui ex ipſo ad ejus defenſionem multa congerit: præſertim verò, quòd in præcitato Libro de Sphæra oppoſitum potiùs docuerit, tum quoad neceſſitatem ex ſyderibus ortam, quin potiùs contra eam aſſerentes cap. 2. dicat Aſtrologis: *Debetis vos aliud noſcere, quòd ſecundùm noſtram & veram fidem iſte Circulus formatus in Zodiaco ex radiis Planetarum, licèt ſit cauſa vitæ, tamen non eſt cauſa voluntatis noſtræ, nec intellectus, niſi diſpoſitivè; & ſic teneo, & credo verè, quamvis alii Aſtrologi contrarium teneant*. Tum etiam quòd Chriſti ortum, pauperiem, mortem imperio ſyderum ſubjecerit, malevolorum calumniam fuiſſe demonſtratur apertè ex ejuſdem Libri cap. 4. ubi contra Zoroaſtrem alioſque infideles ait: *Sed hoc iſti dicunt de dominio quartarum, cùm tamen nihil probent, & verba eorum vana ſunt, & contra veritatem Sanctæ Fidei venerandæ... Et quòd verè ſit Filius Dei, & non factus à natura Cœleſtium, imò naturæ Cœleſtis factor apparuerit nobis per multa* &c. Magiam quoquè improbaſſe, hæc ejus verba demonſtrant: *Sed multi ſatagunt de morte & vita, ac rebus futuris per notas magicas judicare, quæ ſunt à Sancta Matre Eccleſia vituperabiliter improbata* &c.

III. Cecchi calumniatorem prætexunt ejus patroni fuiſſe Thomam Dini, qui Ceccum Bononiæ adhuc degentem ad Lambertum Ordinis Prædicatorum ibi Inquiſitorem de arte Magica poſtulavit, quòd dixiſſet: *Dæmones quoſdam in prima ſphæra agentes excantari, & per eoſdem mira edi poſſe*. At cognitâ criminantis malitiâ, religioſiſſimo Judici ſatìs fuit, ſententiam illam, vel erroneam, vel certè periculoſam à Cecco retractari: quod ipſe in Catholicæ Eccleſiæ obſequium lubenti animo præſtitit. Hæc & alia plura in Cecchi defenſionem ex Ammiano Berninus affert.

IV. Quia verò mihi propoſitum eſt contra hæreſes & errores agere, non contra perſonas, optarim, quòd Ceccus ab erroribus ei impactis immunis fuerit. Hic ſolùm mihi ſcrupulus ineſt, quòd cùm Ceccus propter præfatos errores re verâ damnatus & combuſtus ſententiâ Florentini Inquiſitoris extiterit (quod nemo contradicit) ſi à criminibus impoſitis verè innocens, invidiâ & malevolen-

lentiâ etiam Inquiſitoris Minoritæ damnatus fuit, damnationis ſententia injuſta & iniqua dicenda erit. Quod ſanè à quoquam temerè minimè dicendum eſt. Num defenſori aut Judici deferendum ſit, Lectorum eſto judicium.

§. IV.

De Ekardo.

I. EKardus, ſeu *Echardus*, natione Theutonicus, Doctor Theologus ex Ordine Prædicatorum (quamvis Trithemius, & aliqui ſub dubio referant) re verâ fuit. Is ad ſobrietatem non ſapiens, nec ad menſuram fidei, ſicut oportet, nec prout in Sacro Ordine inſtitutus erat, multos de Deo, & de aliis errores in ſuis concionibus & ſcriptis maximè ſuper Evangelium Joannis evulgavit, de quibus quæſtione habitâ primùm ab Henrico Archipræſule Colonienſi, deindè à Joanne XXII. Pontifice Maximo viginti ſex errorum capita inventa ſunt, & damnata. Quare Ekardus iſte à Taulero in Opuſc. *de Convivio*, velut inſignis pietate & doctrinâ Theologus, & à Bzovio ad annum 1337. immeritò laudatur, & ab oppoſito Raynaldus, in Annal. ad dictum annum, Echardum velut hæreſiarcham indebitè traducit, quia Sedis Apoſtolicæ judicio parens, omnes, ut infra dicam, ante mortem errores retractavit.

II. De Echardi errorum damnatione extat ipſius Joannis XXII. Decretum, ſeu Epiſtola, in qua ait: *Dolenter referimus, quòd quidam his temporibus de partibus Theutoniæ Ekardus nomine, Doctorque, ut fertur, Sacræ Paginæ, ac Profeſſor Ordinis Fratrum Prædicatorum, plura voluit ſapere quàm oportuit; & non ad ſobrietatem, neque ſecundùm menſuram Fidei, quia à veritate auditum avertens ad fabulas ſe convertit.... Ex inquiſitione ſiquidem contra eum ſuper his auctoritate venerabilis Fratris noſtri Henrici Colonienſis Archiepiſcopi, priùs factâ, & tandem auctoritate noſtrâ in Romana Curia renovatâ, comperimus, evidenter conſtare per confeſſionem ejuſdem Ekardi, quòd ipſe prædicavit & dogmatizavit & ſcripſit viginti ſex Articulos, tenorem qui ſequitur continentes.*

III. Eos deinde enumerans, *Primus Articulus* (inquit) *eſt. Interrogatus quandoque, quare Deus Mundum non priùs produxerit? Reſpondit tunc ſicut nunc: Quòd Deus non potuit primò producere Mundum, quia res non poteſt agere antequam ſit. Unde quàm citò Deus fuit, tam citò Mundum creavit.* Secundus: *Item concedi poteſt, Mundum fuiſſe ab æterno.* Tertiùs: *Item ſimul & ſemel quando Deus fuit, quando Filium ſibi coæternum per omnia coæqualem Deum genuit, etiam Mundum creavit.*

Quar-

Quartus: *Item in omni opere etiam malo, malo inquam tam pœnæ quàm culpæ, manifeſtatur & relucet æqualiter gloria Dei.* Quintus: *Item vituperans quempiam vituperio, ipſo peccato vituperii laudat Deum: & quò pliùs vituperat & graviùs peccat, ampliùs Deum laudat.* Sextus: *Item, Deum ipſum quis blaſphemando, Deum laudat.* Septimus: *Item, quòd petens hoc aut hoc, malum petit & malè; quia negationem boni & negationem Dei petit, & orat Deum ſibi negari.* Octavus: *Qui non intendunt res, nec honores, nec utilitatem nec devotionem internam, nec ſanctitatem, nec præmium, nec Regnum Cœlorum, ſed omnibus iis renuntiaverunt, etiam quod ſuum eſt, in illis hominibus honoratur Deus.* Nonus: *Ego nuper cogitavi, utrum ego vellem aliquid recipere à Deo, vel deſiderare; ego volo de hoc valdè benè deliberare; quia ubi ego eſſem accipiens à Deo, ibi eſſem ego ſub eo, vel infra eum, ſicut unus famulus, vel ſervus, & ipſe ſicut Dominus in dando; & ſic non debemus eſſe in æterna vita.*

Decimus: *Nos transformamur totaliter in Deum & convertimur in eum ſimili modo, ſicut in Sacramento panis convertitur in Corpus Chriſti: ſic ego convertor in eum, quòd ipſe operatur me ſuum eſſe. Unum, non ſimile per viventem Deum verum eſt, quod nulla ibi eſt diſtinctio.* Undecimus: *Quidquid Deus Pater dedit Filio ſuo Unigenito in humana natura, hoc totum dedit mihi: hìc nihil excipio, nec unionem, nec ſanctitatem, ſed totum dedit mihi ſicut ſibi.* Duodecimus: *Quidquid dicit Sacra Scriptura de Chriſto, hoc etiam totum verificatur de omni bono & Divino homine.* Decimustertius: *Quidquid proprium eſt Divinæ naturæ, hoc totum proprium eſt homini juſto & divino: propter hoc iſte homo operatur quicquid Deus operatur, & creavit unà cum Deo cœlum & terram, & eſt generator Verbi æterni; & Deus ſinè tali homine neſciret quicquam facere.* Decimusquartus: *Bonus homo debet ſic conformare voluntatem ſuam voluntati Divinæ; quòd ipſe velit quicquid Deus vult: quia Deus vult aliquo modo me peccaſſe, nollem ego, quòd ego peccata non commiſiſſem; & hæc eſt vera pœnitentia.* Decimusquintus: *Si homo commiſiſſet mille peccata mortalia, ſi talis homo eſſet rectè diſpoſitus, non deberet velle, ſe ea non commiſiſſe.*

Decimusſextus: *Deus propriè non præcepit actum exteriorem.* Decimusſeptimus: *Actus exterior non eſt propriè bonus, nec divinus: nec operatur Deus propriè, neque parit.* Decimusoctavus: *Afferamus fructum actuum, non exteriorum, qui nos bonos non faciunt, ſed actuum interiorum, quos Pater in nobis manens facit & operatur.* Decimusnonus: *Deus animas amat, non corpus extra.* Vigeſimus: *Quòd bonus homo eſt Unigenitus Filius Dei.* Vigeſimusprimus: *Homo nobilis eſt ille Unigenitus Filius Dei, quem Pater æternaliter genuit.*

Vigeſimusſecundus: *Pater generat me ſuum filium, & eumdem filium; quidquid Deus operatur, hoc eſt unum, propter hoc generat ipſe me ſuum Filium ſinè omni diſtinctione.*

Vigeſimustertius: *Deus eſt unus omnibus modis, & ſecundùm omnem rationem; ita ut in ipſo non ſit invenire aliquam multitudinem in intellectu, vel extra intellectum: qui enim duo videt, vel diſtinctionem videt, Deum non videt: Deus enim unus eſt extra numerum & ſupra numerum, nec ponitur unum cum aliquo: ſequitur, nulla igitur in ipſo Deo diſtinctio eſſe poteſt, aut intelligi.* Vigeſimusquartus: *Omnis diſtinctio eſt à Deo aliena; neque in natura, neque in Perſonis probatur, quia natura ipſa eſt una, & hoc unum, & qualibet Perſona eſt una, & ad ipſum unum, quod natura.*

Vigeſimusquintus: *Dum dicitur*,, Simon, diligis me plus his?,, *Senſus eſt, ideſt plus quàm iſtos: & benè quidem, ſed non perfectè; in primo enim & ſecundo, & plus & minus, & gradus eſt & ordo; in uno autem nec gradus eſt, nec ordo. Qui igitur diligit Deum plus quàm proximum, benè quidem, ſed nondum perfectè.* Vigeſimusſextus: *Omnes creaturæ ſunt unum purum nihil: non dico, quòd ſint quid modicum, vel aliquid: ſed quòd ſint unum purum nihil.*

IV. *Objectum præterea extitit dicto Ekardo, quòd prædicaverit alios duos Articulos ſub his verbis. Aliquid eſt in anima quod eſt increatum, & increabile. Si tota anima eſſet talis, eſſet increata & increabilis; & hoc eſt intellectus. Secundus Articulus. Quòd Deus non eſt bonus, neque melior, neque optimus: ita malè dico, quandocumque voco Deum bonum, ac ſi ego album vocarem nigrum.* Hos errores ex dictis & ſcriptis Ekardi, qui verè evanuit ac deſipuit in cogitationibus ſuis, recenſet Joannes XXII.

V. Super quos ſerio examine Theologorum & etiam Cardinalium perpenſos, & gravi cenſurâ notatos, ſententiam damnationis hiſce verbis pronuntiavit: *Ne Articuli hujuſmodi, ſeu contenta in eis, corda ſimplicium apud quos prædicati fuerunt, ultra inficere valeant, neve apud illos vel alios quomodolibet invaleſcant, nos de dictorum Fratrum noſtrorum conſilio, præfatos quindecim primos Articulos, & duos alios ultimos, tanquam hæreticos; dictos verò alios undecim, tanquam malè ſonantes, temerarios & ſuſpectos de hæreſi; ac nihilominus Libros quoslibet, ſeu Opuſcula ejuſdem Ekardi, præfatos Articulos, ſeu eorum aliquem continentes, damnamus, & reprobamus expreſsè. Si qui verò eoſdem Articulos pertinaciter defendere vel approbare præſumſerint, contra illos, qui prædictos quindecim Articulos, & duos alios ultimos, ſeu eorum aliquem ſic defenderint, aut approbaverint, tanquam contra hæreticos; adverſùs verò eos, qui alios dictos undecim Articulos, prout ſonant verba eorum, defenderint, aut ap-*

approbaverint, velut contra ſuſpectos de hæreſi, procedi volumus, & mandamus.

V. Hactenus audivimus Ekardum errantem, & Joannem XXII. errores ejus damnantem. Audiamus modò Ekardum pœnitentem, & ejus publicam pœnitentiam teſtimonio ſuo eundem Joannem confirmantem. Sic ergo proſequitur: *Porrò tam illis, apud quos præfati Articuli prædicati, ſeu dogmatizati fuerint, quàm quibuslibet aliis, ad quorum devenere notitiam, volumus notum eſſe, quòd, prout conſtat per publicum inſtrumentum indè confectum, præfatus Ekardus in fine vitæ ſuæ Fidem Catholicam profitens, prædictos viginti ſex Articulos, quos ſe prædicaſſe confeſſus extitit, necnon quæcumque alia per eum ſcripta & dicta, ſivè in ſcholis, ſivè in prædicationibus, quæ poſſunt generare in mentibus fidelium ſenſum hæreticum vel erroneum, ac veræ Fidei inimicum; quantum ad illum ſenſum revocavit, ac etiam reprobavit, & haberi voluit pro ſimpliciter, & totaliter revocatis, ac ſi illos & illa ſigillatim & ſingulariter revocaſſet, determinationi Apoſtolicæ Sedis & noſtræ, tam ſe, quàm ſcripta ſua & dicta omnia ſubjiciendo. Dat. Avenione 6. Kal. Aprilis. Pontif. noſtri anno* 13. Quibus apparere videtur, Ekardum ante damnationem obiiſſe, eamque pœnitenti retractatione prævenisſe.

VII. De Ekardo Trithemius Lib. de Script. Eccleſiaſticis ad annum 3310. *Ekardus*, inquit, *vel Aicardus, Sacri Ordinis, ut quidam volunt, Prædicatorum vir in Divinis Scripturis eruditus, & in Philoſophia Ariſtotelica omnium ſuo tempore doctiſſimus, ingenio ſubtilis, & clarus eloquio; ſed dum nimis Philoſophiam inſequens, novitatem terminorum contra Theologorum conſuetudinem ubique immiſcuit, varios errores inducit, inter quos extant decem & ſeptem Articuli à Summo Pontifice damnati, & per eumdem Magiſtrum Ekardum in fine vitæ revocati, quorum in expoſitione ſua ſuper Evangelium Joannis multi continentur. Denique Magiſtri Theologicæ Facultatis Gymnaſii Heilderbergenſis anno D.* 1430. *eoſdem errores cum quibuſdam aliis publicè condemnatos denuntiarunt. Undecim autem Articuli tanquam ſuſpecti relicti ſunt, qui omnes ſeorſim opuſculis ejus apponi ad cautelam conſueverunt. Nihilominus, ubi catholicè ſcripſit, ſatìs profunda & utilia dogmata dedit*. Hæc Trithemius.

CAPUT CI.

De Marſilio Patavino, Janduno, & Palamitis.

§. I.

Marſilii & Janduni hæreſes.

I. MArſilius de *Menandrino* Patavinus, & *Joannes Jandunus* Peruſinus, duo collegæ, Ariſtotelici magis quàm Chriſtiani, Politici magis quàm Catholici, adulatorios & venales calamos Ludovico Bavaro ſchiſmatico Imperatori adversùs Joannem XXII. & Eccleſiaſticam auctoritatem commodarunt. Huic ſchiſmati cauſam dedit acerrima de Imperio contentio, cùm enim Joannes Summus Pontifex electionem Ludovici tanquam indebitè & contra Jura factam improbaret, Ludovicus eum infenſum arbitratus, contra eum ac Romani Pontificis auctoritatem moliri cœpit: ad quod Marſilius & Jandunus malam navarunt operam peſtifero Libro de Juriſdictione Imperiali & Pontificia anno 1324. ipſi Ludovico nuncupato, cui titulus *Defenſor Pacis*, quem Marſilius Janduno ſibi cooperante conſarcinavit.

II. Hos errores homines impii propugnarunt: primò Chriſtum Dominum, quando ſolvit tributum Cæſari, id ex neceſſitate & obligatione, non ex pietate & diſpenſatione feciſſe; quòd res ejus temporales Imperatori ſubeſſent. Ex quo inferebant, res temporales Eccleſiæ ita Imperatori ſubjectas eſſe, ut velut ſuas pro libito repetere illas poſſit.

Hunc errorem eruditè ac diſertè refellit Joannes XXII. in ſua ſententia condemnatoria, quam exhibent Raynaldus ad ann. 1327. & Dupleſſis Tom. 1. de Novis erroribus pag. 305. Quòd ſi attendiſſent ad verba Chriſti in Evangelio Matth. 17. v. 24. hæc non dixiſſent: *Cùm enim ... Chriſtus interrogaſſet Petrum* „ Reges terræ, à quibus accipiunt tributum, vel cenſum? à filiis ſuis, an ab alienis? „. *Et Petrus dixit* „ Ab alienis „. *Ex hoc concludens Chriſtus, filios Regum eſſe liberos dixit* „ Ergo liberi ſunt filii „. *Conſtat autem, Chriſtum ſecundùm carnem fuiſſe David filium, juxta teſtimonium Angeli ſic dicentis* „ Dabit ei Dominus ſedem David patris ejus &c. „ *Et per conſequens quòd ipſe à ſolutione tributi vel cenſus erat prorsùs immunis. Hoc etiam ex hoc patet, quod ſtatim ſubjunxit:* „ Ut autem non ſcandalizemus eos, vade & da ſtaterem pro me „ & pro te eis „. *Ubi evidenter patet, quòd non ut adſtrictus, ſed*

ut

Digitized by Google

ut evitaret ſcandalum, ſtaterem tributi exactoribus juſſit ſolvi. Ex quo infert, cùm liqueat ex prædictis, Chriſtum fuiſſe à ſolutione tributi vel cenſus liberum & immunem, & ſtaterem non ſolviſſe ex debito, ſed ut aliorum ſcandalum evitaret; nullo modo poteſt concludi, quòd res Chriſti, quales ſunt res Eccleſiæ, ſubſint Imperatori.

III. Secundus iſtorum fuit error, quòd B. Petrus Apoſtolus non plus auctoritatis habuit, quàm cæteri Apoſtoli, nec aliorum Apoſtolorum fuit Caput. Item quòd Chriſtus aſcendens in Cœlum nullum Caput reliquit Eccleſiæ, nec aliquem Vicarium ſuum fecit.

Hujus erroris falſitatem pluribus idem Joannes Papa demonſtrat. Et quidem. Si Chriſtus ſe Paſtorem eſſe pronuntiat; ſi aſcenſurus in Cœlum generalem ſui gregis curam Petro commiſit dicens: *Paſce oves meas, paſce agnos meos*; quis ſanæ mentis in dubium revocare poteſt, quin eum quoad curam ſui gregis generalem Vicarium fecerit, & Caput univerſalis Eccleſiæ loco ſui, juxta modum quo Rector alicujus multitudinis dicitur eſſe Caput illius? Si legitur in Joele *congregabuntur filii Juda, & filii Iſrael pariter, & ponent ſibi caput unum* ideſt Rectorem; cùm Chriſtus B. Petro commiſerit univerſi ſui gregis curam, ipſum ejuſdem gregis Rectorem & Caput conſtituiſſe nemo negare poteſt.

Fatetur tamen, ſolum Chriſtum eſſe ſui gregis primum & principale Caput, & Eccleſiæ fundamentum; at ſub eo, & loco ſui tanquam ejus Vicarium eſſe Petrum, & hoc videtur Chriſtus deſignaſſe in impoſitione nominis, cùm ei dixit (Joan. 1. v. 42.) *Tu vocaberis Cephas*: Cephas autem græcè, interpretatur latinè Caput. Unde Conſtantinus Imperator de Romana Eccleſia dixit: Quòd Principatus Sacerdotum & Chriſtianæ Religionis Caput ab Imperatore Cœleſti conſtitutus eſt Romæ. Fundamentum utique primarium ſolus Chriſtus eſt, dicente Paulo, *Fundamentum autem nemo poteſt ponere præter illud quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus Jeſus*; ſed primam Petram ſuper hoc fundamentum poſitam Petrum futurum prædixit Chriſtus, dum ait: *Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam*. Petra fuit Chriſtus, ſed petra angularis & fundamentalis: Petra fuit Petrus, ſed Petra ſuper Petram fundata. Caput, ſed ſub Capite, Paſtor vices gerens ſupremi Paſtoris, ejus oves regens, nulli ex ovibus ſubditus.

Ex his concluditur, plus auctoritatis Chriſtum contuliſſe Petro, quàm cæteris Apoſtolis. Certum enim eſt, majorem eſſe auctoritatem paſtoris, quàm gregis. Petrus autem totius ſui gregis à Chriſto conſtitutus fuit Paſtor, quod nulli alii Apoſtolorum dixit. Auctoritatem remittendi peccata, docendi, prædicandi Evangelium,

Digitized by Google

lium, & baptizandi omnibus dedit. At ſoli Petro dixit: *Tibi dabo claves Regni Cælorum. Et quodcumque ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in Cælis: & quodcumque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in Cælis*, Matth.16. v. 19. Item omnibus Apoſtolis dixit: *Faciam vos fieri piſcatores hominum*. Soli tamen Petro dixit: *Duc in altum*; hoc eſt in profundum diſputationum. Et cùm Lucæ 22. v.31. prædixiſſet, omnes à Satana cribrandos ſicut triticum, pro ſolo tamen Petro rogaſſe ſe dicit: *Ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua*:] *& tu aliquando converſus confirma fratres tuos*. Unde in omnibus, quæ poſt Chriſti Aſcenſum à cœtu Apoſtolorum geſta ſunt, primas partes habuiſſe Petrum, Acta teſtantur.

IV. Tertius error dicebat, quòd ad Imperatorem ſpectat Papam inſtituere, & deſtituere, ac punire. Multis hunc confodit prælaudatus Joannes XXII. Et primò quidem. Nam B. Petrus, qui Novi Teſtamenti Summus Pontifex primus fuit, nõ à terreno Imperatore, ſed à Chriſto Pontifex inſtitutus fuit. Qui ei uſque ad Conſtantinum Magnum ſucceſſere, niſi quis deſipiat, ab Imperatoribus inſtitutos non dicet. Cùm enim omnes fuerint Idololatræ, & Eccleſiæ perſecutores, Papas non inſtituebant: ſed in odium Religionis necabant, & Martyres efficiebant. Conſtantinus etiam factus Chriſtianus, nedum in Romanum Pontificem ſibi jus non arrogavit, ſed ei filium, diſcipulum, ac ſubjectum ſe ſe exhibuit. Quin, ne ubi Principatus Sacerdotalis ab Imperatore Cœleſti fuerat inſtitutus, aliquam poteſtatem habere videretur Imperator terrenus, Sede Imperiali Romanâ Sylveſtro Papæ dimiſsâ, ad partes Orientis Imperii & Regni tranſtulit poteſtatem. Tantum abfuit, ut Romani Pontificis inſtitutionem ad ſe pertinere præſumſerit. Conſtantini exemplum omnes tum Græci, tum Latini Imperatores verè pii ſunt ſecuti. Per Papam à Græcis Imperium translatum eſt ad Latinos, ac Imperatoris Latini electio à Papa confirmatur. Quòd ſi Imperatores aliquas partes in electione Romani Pontificis habuere, hoc ex Summi Pontificis conceſſione factum fuit, cui poſteà religioſè renuntiaverunt. De hoc alia Joannes Papa, quæ omitto. Adeat tamen ſtudioſus Lector S.Thomam Opuſc. 10. nempè de Regimine Principum Lib. 3. à cap. 16. ubi plura ad rem præſentem inveniet.

Hoc ſolùm addo, quòd Marſilius & Jandunus veri filii Belial ad ſui erroris fulcimentum, nempè quòd ad Imperatorem pertineat Papam deſtituere, vel punire; afferebant Chriſtum ipſum, qui delatus fuit ad Pilatum, & ab ipſo ut Judice Ordinario latâ ſententiâ morti addictus. Petam ergo ab eis. Pilatus Chriſtum morti addixit de jure, an ſolùm de facto? De jure, certè non. De jure enim

enim non condemnari poteſt, niſi qui verè deliquerit, & deliquiſſe convictus fuerit: Chriſtus autem, nec in ullo deliquit, nec deliquiſſe convictus fuit, quod Pilatus ipſe pluries teſtatus fuit: ***Mundus ſum à ſanguine juſti hujus: quid enim mali fecit? Ego nullam invenio in eo cauſam***. Quare de jure non potuit illum punire. Punivit ergo ipſum de facto, & injuſtè. Hoc autem exemplo nihil aliud poſſunt concludere, niſi quòd Imperator Papam de facto & injuſtè poſſit auctoritate privare, & interficere, quòd utique non ſolùm de Imperatore concedimus, ſed de privata perſona, ſicut & plures Imperatores à privatis perſonis, & Summos Pontifices à non ſuis Judicibus, ſicut omnes Martyres, legimus fuiſſe interemtos.

V. Quartò dicebant, quòd omnes Sacerdotes, ſivè ſit Papa, ſivè Archiepiſcopus, ſivè ſimplex Sacerdos, ſunt ex inſtitutione Chriſti auctoritatis & juriſdictionis omninò æqualis. Hanc hæreſim Aerius, cùm Epiſcopalem gradum aſſequi non potuiſſet, primus evomuit: contra quem & recentiores Hæreticos, qui eum ſequuntur, egi ſupra cap. 49. §. 2. Cui errori Marſilius & Jandunus addebant, quòd unus plus alio habeat, hoc eſſe ſecundùm quòd Imperator uni conceſſit plus, alii minus: & quod conceſſit, poſſe etiam revocare.

Sed huic utriuſque Teſtamenti auctoritas contradicit. Veteris quidem, nam in eo per Moyſen jubente Deo in Summum Pontificem conſtitutus eſt Aaron, filii verò ejus in ſimplices Sacerdotes uncti fuerunt, quorum poteſtas, ut patet, inæqualis erat, quia ex ſimplicibus Sacerdotibus, velut ad ſuperioris auctoritatis & poteſtatis honorem ad Pontificatum poſtea aſſumebantur. Tum etiam Divino jure licebant quædam Pontifici, ut Sancta Sanctorum ingredi, quæ ſimplicibus Sacerdotibus non licebant.

Novi autem Teſtamenti: In eo enim apparet diverſitatem Ordinum exordium habuiſſe à Chriſto, cùm duodecim Apoſtolos, quorum typum gerunt Pontifices & Epiſcopi, ex quibus unum qui omnibus præeſſet nempè Petrum elegit, atque duos & ſeptuaginta Diſcipulos inſtituit, quorum typum gerunt ſimplices Sacerdotes. Ex Evangelio autem, & Actis Apoſtolicis conſtat, quòd Apoſtolorum & Diſcipulorum auctoritas diſpar fuit. Baptizare enim & docere quidem Diſcipuli poterant, ſed impoſitione manuum dare Spiritum Sanctum ſolis Apoſtolis reſervatum erat. Actorum 8. Cùmque Chriſtus commiſerit Petro Eccleſiæ regimen uſque ad ſeculi conſummationem duraturæ, Ordinem, quem inſtituit in Petro Apoſtolis & Diſcipulis, in eorum Succeſſoribus perſeverare voluit, ut qui Petro in Pontificatu, qui Apoſtolis in Epi-

Digitized by Google

Epiſcopatu, Diſcipulis in ſimplici Sacerdotio ſuccederent, ſuo Ordini proportionatâ gauderent poteſtate.

VI. Inſaniebant ergo nebulones iſti, dum dicebant, Chriſtum aſcendentem in Cœlum nullum loco ſui, qui Eccleſiam regeret, Vicarium reliquiſſe, ſed Eccleſiæ regimen Imperatori commiſiſſe. Cùm ſole clarius ſit, poſt ejus aſcenſum omnia ad Eccleſiam ſpectantia ab Apoſtolis Petro Capite diſpoſita, primum Jeroſolymorum Epiſcopum Jacobum Minorem conſtitutum; Epheſi Timotheum, Cretæ Titum à Paulo deſtinatum; & creſcente in dies Eccleſia per varias Orbis partes Epiſcopos, non ab Imperatoribus, ſed à Spiritu Sancto diſpoſitos, unde Act. 20. v. 8. monet Paulus: *Attendite vobis & univerſo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei quam acquiſivit ſanguine ſuo*. Ita ex diſpoſitione Chriſti à Spiritu Sancto poſiti Epiſcopi regebant tempore Apoſtolorum Eccleſiam. Numquid poſt ea tempora Chriſtus ac Spiritus Sanctus eam deſeruit, ac Imperatoribus regendam tradidit? A tempore Apoſtolorum uſque ad Conſtantinum Eccleſiam rexerunt Epiſcopi, univerſo Chriſti gregi Romani Pontifices præfuerunt. A quibus iſti fuere inſtituti? Ab Imperatoribus, qui toto illo tempore, utpotè Pagani, Eccleſiam diris perſecutionibus vexarunt, & ad ejus internecionem conjurantes, Epiſcopos Pontifices Chriſtianos omnes inſequebantur, & Martyres efficiebant? Hi certè lupi erant diſpergentes ovile, non Paſtores oves paſcentes. Ab Imperatoribus Chriſtianis? Oppoſitum demonſtravit Conſtantinus, demonſtrarunt pii Imperatores poſt ipſum, qui ſe Eccleſiæ filios non Patres, oves non Paſtores eſſe proteſtati ſunt; & Eccleſiæ brachium & auxilium præſtitere aliquando quidem, ſed non poteſtatem.

VII. Hinc evaneſcit quintus iſtorum error, quo docebant, Eccleſiam ſimul junctam neminem punire poſſe punitione coactivâ, niſi hoc concedat Imperator. Peto enim: Cui Chriſtus poteſtatem ligandi ſuper terram conceſſit, promittens ſe hoc ratum habiturum in Cœlis? Imperatori, an Petro? Ligantur enim non voluntarii, ſed inviti. Cùmque excommunicatio major non ſolùm excludat à perceptione Sacramentorum, ſed à communione fidelium, ligat non ſolùm animas, ſed corpora cogit. Inſuper B. Petrus Ananiæ & Saphiræ promiſſi Deo facti tranſgreſſorum corpora morte punivit. Elymam Magum, quòd Sergium averteret à fide, ad tempus luce corporali Paulus privavit. Idem conſortium etiam corporale cum inceſtuoſo Corinthiis interdixit. Numquid hoc Petrus & Paulus fecerunt auctoritate ſibi ab Imperatore conceſsâ? Minimè: ſed à Deo acceptâ, & Eccleſiæ datâ. *Arma militiæ noſtræ non ſunt carnalia,*

nalia, *ſed potentia Deo*, ideſt à Deo conceſſa, inquit Paulus 2.Cor. 10. v. 4.

VIII. Alios ex præfatis à Joanne XXII. relatis & confutatis conſequentes errores, quibus omnia auctoritati Principis ſubjiciebant, ex Alvaro Pelagio Lib. de Planctu Eccleſiæ cap. 68. & ex Cardinali de Turrecremata Summâ de Eccleſia Lib.4. p.2. cap.37. excerpſit Alexandre in Hiſt. Eccl. Sec. 13. & 14. cap. 3. art. 13., quos apud ipſum videndos relinquo, & contra quos præter duos præfatos ſcripſere Alexander de S. Elpidio, Petrus de Palude Ordinis Prædicatorum Lib. de cauſa immediata Eccleſiaſticæ Poteſtatis, auctores coævi, & Albertus Pighius Lib.5. de Eccl. Hierarchia.

IX. Joannes XXII. licèt Marſilii & Janduni errores præfati adeò eſſent notorii, ut poſſet contra eos ſententiam ferre, eos tamen citari voluit, ut infra ſpatium quatuor menſium perſonaliter ſe præſentarent. Sed cùm elapſo termino, nec ipſi, nec aliquis pro eiſdem comparuiſſet, ad ſententiam contra ipſos tanquam contumaces procedens, ait: *Prædictos Marſilium & Joannem hæreticos, imò hæreſiarchas fore manifeſtos & notorios ſententialiter declaramus. Articuloſque ac Librum prædictos, necnon & quamcumque aliam ſcripturam continentem eoſdem; prædictum quoquè Marſilium & Joannem ut hæreticos manifeſtos & notorios, imò ut hæreſiarchas potiùs reprobamus, & ſententialiter condemnamus. Si quis enim doctrinam prædictam defendere vel approbare præſumſerit, cujuſcumque dignitatis, Ordinis, conditionis aut ſtatus, tanquam hæreticus confutetur.* Deindè vetat, ne quis directè vel indirectè prælatis Marſilio & Joanni favorem præſtet, ſed præcipit ut eos omnes evitent, ac zelo fidei perſequantur, & ubicumque eos reperire poterint capiant, ac Eccleſiæ captos aſſignent, animadverſione debitâ puniendos.

§. II.

De Palamitis.

I. Palamitarum Secta à Gregorio Palama nomen & errorem accepit circa annum 1330. Fuit hic Græcus natione, profeſſione Monachus, ac Theſſalonicenſis poſtea Epiſcopus. Cui plerique Monachorum adhæſerunt, qui ſe *Hiſychaſtas* à quiete & animo imperturbato vocitabant. Modo enim inuſitato à Palama edocti orantes, ad umbilicum depreſſo capite, & contortis oculis ſuppreſſoque ſpiritu, cùm primùm locum cordis mens reperiſſet, mirabile ſe lumen intueri, & inexhauſtâ voluptate affici delirabant. A quibus cùm quæreretur, quid eſſet lumen illud, quo ſe

ad certum illum, quem dixi, corporis habitum conformatos, perfundi gloriabantur; poſt multas verborum ambages reſpondebant, eſſe Gloriam increatam Deitatis; & tamen humano viſui ſubjici. Quem errorem altero confirmabant, adducto in exemplum Thaborio lumine, quod increatum fuiſſe, & nihilominus oculis corporis ab Apoſtolis viſum affirmabant.

II. Itaque delirium ſuum, quo ſe modo dicto orantem Divino lumine perfundi dictitabat eo modo quo in Thabor perfuſi fuerant Apoſtoli, hoc errore Palamas tuebatur; dicens lumen, quod oculis corporeis in Thabor viderunt Apoſtoli, fuiſſe increatum, & conſequenter lumen increatum & Divinum oculo corporali videri poſſe. Cùm verò ei objiceretur, Eſſentiam Dei corporeis oculis videri non poſſe, reſpondebat: *Eſt quidem lumen illud Divinum & increatum, & Deitas à Sanctis nominatur, ſed non eſt ſubſtantia Dei, ſed operatio & gratia & gloria & ſplendor ex Divina ſubſtantia in Sanctos miſſus. Omnes enim Sancti, tam homines, quàm Angeli vident quidem gloriam Dei temporis expertem: ſubſtantiam verò Dei nullus neque homo, neque Angelus vidit, aut videre poteſt.* Ita David Monachus in Relatione de diſſidio Barlaami & Palamæ: apud Allatium Lib. 2. de perpetua conſenſione Eccl. Occidentalis, & Orientalis cap. 17.

III. Ex his apparet, Palamam triplici errore laboraſſe. Primò: Quia dicebat, ſubſtantiam ſeu eſſentiam Dei à nullo neque homine neque Angelo prorsùs videri poſſe, cujus oppoſitum oſtendi in Tract. de Viſione Tom. 2. in 1. p. de Viſione Dei qu. 1. Dub. 4.

Secundò: Quia dicebat, lumen increatum oculo corporeo videri poſſe, contra id quod demonſtravi præfato Tomo Dub. 5.

Tertiò: Quia ponebat lumen illud increatum eſſe ac Divinum, & Deitatem nominari poſſe, & tamen illud à Divina ſubſtantia realiter diſtinctum aſſerebat. Quo fiebat ut plures Deitates admitteret: unam ſummam, & prosùs inviſibilem, nempè ſubſtantiam Dei; reliquas inferiores à ſubſtantia Dei diſtinctas, increatas tamen, & adhuc oculo corporeo viſibiles. Itaque addebat Palamas, operationem & virtutem Dei eſſe quid ab ejus ſubſtantia ſecundùm rem diſtinctum, eâque inferius, & ab ea velut à cauſa profectum. Quia (inquiebat) ſubſtantia Dei cùm rebus creatis communicari nequeat, operationes Divinæ ad creaturas producendas, continendas, fovendas, gubernandaſque deſcendunt.

Operationum autem nomine, non actiones ſolùm, quas Theologi virtualiter tranſeuntes vocant, ut creationem, conſervationem, & gubernationem rerum, intelligebat, ſed etiam prorsùs immanentes, quin & ipſa attributa, ut bonitatem, ſapientiam &c.

Hæc

Digitized by Google

Hæc enim omnia re ipſâ diſtingui ab eſſentia & ſubſtantia Dei, eſſeque eâ minora aſſerebat, licèt increata & Deo coæterna: ſicut ſplendor à ſole emiſſus, non eſt ſubſtantia ſolis, etſi coævus illi ſit. Illaſque operationes nihilominùs *Deitates* appellabat. De hoc plures Synodi à Græcis habitæ ſunt; de quibus Alexandre in Hiſt. Eccl. Sec.13. & 14. cap.3. art.4.

IV. Barlaam Baſilianus Monachus ex Calabria oriundus & Acyndinus in eodem fuerunt errore, quoad diſtinctionem virtutum (quas Græci *Energeïas* vocant) & operationum immanentium Dei à ſubſtantia Dei; has tamen non increatas, ſed creatas eſſe volebant. Adversùs iſtos habita eſt nova Synodus anno circiter 1340. ſub Andronico Palæologo, in qua reprobatur, quòd dicerent, Dei operationem à ſubſtantia differre, ſed ſubſtantiam quidem increatam eſſe, ejus autem operationes ſubſtantiales & naturales diverſas eſſe concedentes, non tamen increatas, ſed creatas. Item lumen illud, quòd in Thaborio reſplenduit, viſionem ſimpliciter & creaturam fuiſſe orientem & deſinentem, non Divinæ Eſſentiæ naturalem ſplendorem & Divinitatem. Quibus Synodus illa, & aliæ præcedentes errorem Palamæ confirmant, nempè quòd Dei operationes & virtutes à ſubſtantia Dei diverſæ ſint, & increatæ.

V. Ante Gregorium Palamam, Athenagoras Virtutes Dei ab Eſſentia diſtinctas eſſe, ſicut qualitatem à materia, temerè dixit apud Petavium Diſſert. Theol. Dogm. Tomo 1. cap. 12. Item Theodorus Mopſueſtenus, ut ex Leontio Byzantino, qui Theodorum ita compellat Lib. 1. contra Neſtorium: *Deum putas non eſſe bonum ſubſtantialiter .... Dic nobis unde accepit bonum? Ipſe enim non eſt opinione tuâ per ſe bonum*. Apud Latinos idem ſenſit Gilbertus Porretanus, contra quem egi ſupra cap.91. §.1.

VI. Auguſtinus Steuchus Eugubinus, qui ſub Paulo III. vixit, in ſua Coſmopoeja Cœlum Empyreum æternam claritatem à Divinitate manantem eſſe opinatur, his verbis „ Eſt enim Cœlum „ empyreum claritas Divina, quam ſemper fuiſſe cum Deo ne- „ ceſſe eſt. Ad quam claritatem admiſit Angelos incredibili hu- „ manitate ſuâ, & homines pios. *Regnum Dei eſt Regnum omnium* „ *ſeculorum*, ait Pſalmus. Semper ſol ille lucem æternam ſuam „ habuit comitem. Nec poteſt aliud eſſe Cœlum empyreum, ideſt „ igneum, niſi claritas illa manans à Deo circumquaque ex- „ tra Mundum, extra rerum creatarum corruptibiliumque re- „ gnum.... Cœlum empyreum videtur eſſe Cœlum increatum, „ nec videtur eſſe apud Moſen. Dico, ut mihi videtur. Si fallor, „ errorem non defendo „. Quibus Eugubinus (Eccleſiæ tamen judicio ſe ſubmittens) hæc verba Geneſ. 1. *In principio creavit*

Deus Cœlum & terram de creato Cœlo hujus Mundi, non de Empyreo, quod increatum putabat, interpretabatur, & ſic Palamæ errorem innovabat.

VII. De Thaborio lumine, quamvis Græci inter ſe diſcordarent, aliquibus cum Palama, diſtinctum quidem ab Eſſentia Dei, ſed increatum aſſerentibus; aliquibus cum Barlaam creatum illud exiſtimantibus, omnes in hoc conveniſſe videntur; quòd Apoſtoli per illud roborati oculis corporeis Deitatem vidiſſent. Hinc Leo Allatius Lib. de Perpetua conſenſione priùs citato cap.17. tam Palamam, quàm Barlaam circa lumen Thaborium lapſum eſſe putans, illud ipſam Deitatem fuiſſe dicit, nec repugnare, ut oculis corporeis diviniore vi roboratis Deitas ipſa in ſe videatur: *Uti in rebus aliis* (inquit) *ita ut hâc quoquè mediâ viâ progrediendum eſt, ne à veritate aberremus. Id cùm non aſſecuti fuiſſent neque Barlaamus, neque Palamas, in varios errores lapſi ſunt. Error itaque fuerit aſſerere, lumen illud in monte Thaborio non fuiſſe Deitatis illius gloriam, & lumen proprium, lumenque ab Eſſentia Divina emanans, quod unum & idem cum Eſſentia Divina erat, nec aliud, ut aſſerunt apertiſſimè Patres Ephræm Syrus &c.... Splendor enim ille & lumen ipſa Chriſti Deitas beati fuit, quæ per miraculum ad illud tempus tecta, ne oculis humanis ſuâ majeſtate officeret, & die Transfigurationis, ceſſante dicto miraculo apparuit, & Apoſtolorum oculos circumfulſit, & argumentum de creato & increato nihil concludit. Verum enim eſt oculis corporeis increatum conſpici non poſſe; at dum oculi in ſtatu & conditione naturæ manent: ſed ſi diviniore vi corroborati ad altiora eleventur; nil impedit corporeis hiſce oculis in eminentiorem ſtatum ſublevatis, Deitatem ipſam & gloriam Deitatis, quæ una cum Deo eſt, videri. Idque expertiſſimâ ratione confirmatur. Nam Beata Virgo, quam modò aſſumtam canit Eccleſia, cum corpore ipſo, Deum & Divinitatem ipſiſſimis oculis corporeis, ſublevatis tamen, & Divinâ vi confirmatis, intuetur. Et poſt Judicium univerſale, Beati reſumtis corporibus, corporeis oculis gloriam Deitatis Deitatemque ipſam conſpicient. Sic & die Transfigurationis duplex miraculum cernimus; alterum cùm ceſſat eſſe in Corpore Chriſti; alterum cùm Apoſtolorum oculos ad diviniorem aſpectum excitat. Damnatus eſt itaque Barlaamus: quòd lumen illud neque ex Divina Eſſentia, neque Divinam Eſſentiam eſſe affirmabat, & præterea corporeos oculos per nullam diviniorem potentiam adeò elevari poſſe ut Deitatem conſpiciant. Ex quo multa abſurda ſequi in doctrina Eccleſiaſtica manifeſtum eſt. Sic enim tolleretur viſio beatifica poſt Judicium, & aliorum Sanctorum gloria, qui nunc in Cœlo dicuntur degere, Divinam Dei naturam corporeis oculis aſpicientes. Damnatus eſt etiam ex alia par-*

parte, & jure merito Palamas, dum lumen illud & operationem Dei diverſum quid ab ipſo Deo, quamvis increatum conſtitueret. Qui verò mediâ inſiſtit viâ cum Eccleſia & SS. Patribus ſentit. Sic enim Deitas ipſa illiuſque lumen increatum corporeis oculis, ſublevatis tamen, videri poterit. Hactenus Allatius apud Alexandre citato art. 14.

VIII. Hæc tamen via, quam Allatius vocat mediam, via tuta ad veritatem non eſt. Falſum enim communiter judicatur, quòd oculus corporalis poſſit elevari ad videndum incorporalia in ſe ipſis & maximè Deum clarè & in ſua Eſſentia, quia nulla potentia poteſt elevari ſupra ſphæram ſui objecti eſſentialem, objectum autem oculi corporei ſolùm intra ſphæram corporum concluditur. Unde S. Thomas 1. p. q. 12. art. 3. *Impoſſibile eſt*, inquit, *Deum videri ſenſu viſus, vel quocumque alio ſenſu, aut potentiâ ſenſitivæ partis. Omnis enim potentia hujuſmodi eſt actus corporalis organi. Actus autem proportionatur ei cujus eſt actus. Unde nulla hujuſmodi potentia poteſt ſe extendere ultra corporalia. Deus autem incorporeus eſt. Unde nec ſenſu nec imaginatione Deus videri poteſt, ſed ſolo intellectu.* Hinc nec B. Virgo modò videt, nec Beati poſt judicium videbunt Deum in ſe corporeis oculis ſed ſolo intellectu lumine gloriæ perfuſo. Quia tamen claritas gloriæ redundabit ad corpora, hanc corporeis oculis videbunt: & hanc in Thabor Apoſtoli corporeis oculis redundantem ad faciem & veſtes Chriſti intuiti ſunt, non verò gloriam animæ ejus aut Deum, quo fruebatur anima; quod exprimens Matthæus cap. 17. v. 2. ait: *Et transfiguratus eſt ante eos: & reſplenduit facies ejus ſicut ſol: veſtimenta autem ejus facta ſunt alba ſicut nix.* Sed in his immorari hìc non vacat. Vide S. Thomam 3. p. q. 45. art. 2. Videantur quæ dixi Tomo 2. in 1. p. Tract. de Viſione Dei q. 1. Dub. 5., ubi rem hanc ex profeſſo egi.

CAPUT CII.

Errores varii.

§. I.

Joannes de Mercuria, & Nicolaus de Ultricuria.

I. Seculum hoc quartum decimum erroribus feraciſſimum, præter ſupra relatos, alios errores publico expoſuit. Quia tamen fuere errores perſonales, nec in Sectam propagati, ſed vix damnati, extincti, vel ab ipſis auctoribus revocati, ideò, ne prorsùs jejunum Lectorem dimittam, de eis eorum auctoribus ali-

aliqua perſtringam; pro exactiori notitia ad Dupleſſis, Natalem Alexandre, & alios ipſum amandans.

II. Primus ergo occurrit Joannes de Mercuria Ordinis Ciſtercienſis profeſſor, ex quo Dupleſſis Tom. 1. pag. 344. quadraginta articulos à Facultate Pariſienſi anno 1347. damnatos recenſet, quos ad viginti duos Alexandre in Hiſt. Sec. 14. cap. 3. art. 15. reſtringit. Ex his aliqui blaſphemi ſunt in Chriſtum: nimirùm *Quòd fieri potuit, ut Chriſtus diceret falſum, & aſſereret aſſertione creatâ tam vocali, quàm mentali: & quòd Anima Chriſti conjuncta Verbo, ſaltem per accidens poſſit Deum odio habere & execrari*. In Deum: *Deum efficaciter velle quidquid vult. Facere Deum, quòd aliquis peccet, & velle voluntate beneplaciti, ut ille ſit peccator. Peccare neminem volendo aliquid contra Dei voluntatem. Deum aliquid reprobare, quod vult nihilominus voluntate beneplaciti. Peccatum magìs eſſe bonum, quàm malum. Deum eſſe cauſam peccati, quâ peccatum eſt, & demeritorium*.

Item: *Si quis habens uſum liberi arbitrii, tam gravi tentatione pulſatus, ut illi reſiſtere non poſſit, moveatur ad illecebram cum aliena uxore, ipſum adulterium non committere, idemque de aliis peccatis ferendum eſſe judicium. Aliquam poſſibilem eſſe paſſionem, cui voluntas etiam habitâ gratiâ quâcumque ſinè miraculo non poſſet reſiſtere, quin eliceret actum ſecundùm illam, qui actus peccatum non eſſet*. Hos duos errores innovarunt Quietiſtæ.

Item: *Probabile eſſe, ſi una ratio conſulatur, ſeclusâ fide, nulla eſſe accidentia, ſed res omnes extantes eſſe ſubſtantias*. Hoc idem ſentiunt moderni Philoſophi.

Tandem ſequentes: *Deum ob opera bona futura prædeſtinaſſe homines ab æterno*. Item: *Prædeſtinaſſe propter bonum uſum liberi arbitrii, quem ipſos habituros præſcivit. Non ſic gratìs, & miſericordiâ Deum aliquem prædeſtinaſſe, quin & pro omnibus bonis operibus ipſius futuris vel alterius*. Verùm cùm ſimiles propoſitiones apud aliquas Scholas Catholicas modò in uſu probabiliter ſint, crederem eas fuiſſe proſcriptas, quia ſenſum Pelagianum, vel Semipelagianum præferrent, cùm in eis nulla Divinæ Gratiæ mentio fiat. In prædictorum tamen & aliorum damnatione nullum Sedis Apoſtolicæ interceſſit judicium.

III. Secundus eſt Nicolaus de Ultricuria. Hic anno 1348. de mandato Sedis Apoſtolicæ plura à ſe tradita, tum in Philoſophicis, tum in Theologicis, partim erronea, partim hæretica, publicè coram Pariſienſi Facultate retractavit. Hæc omnia referunt ſingulatim Dupleſſis Tom. 1. pag. 355. & Alexandre citato art. 15. ubi uſque ad quadraginta tres articulos enumerat, quos apud ipſos quiſ-

Digitized by Google

quiſque videre poterit. Inter damnatos ex Philoſophicis, hos Recentiori Philoſophiæ conformes invenio: *In rebus naturalibus unus eſt motus localis congregationis & diſgregationis: ita ut cùm tali motu colliguntur atomi, & naturam unius ſuppoſiti ſortiuntur, fiat corruptio; cùm verò atomorum acceſſio ad motum ſuppoſiti, vel ad naturalem ejus operationem nihil confert, alteratio eſt*. Item: *Lumen nihil aliud eſt, quàm corpuſcula quædam, quæ nata ſunt ſequi motum ſolis, vel alterius corporis luminoſi; fitque hujuſmodi corpuſculorum ad corporis luminoſi præſentiam confluxu. Et ſi objiciatur, motu locali non fieri, cùm momento fiat illuminatio. Reſpondetur, fieri in tempore, ſicut ſonum, etſi non percipiamus*.

Ex Theologicis autem tanquam hæretici damnantur: *Si adoleſcens ingenuus aliquem inveniat, qui brevi edocere ipſum valeat ſcientiam omnem quæ de rebus creatis haberi poteſt, centum librarum pretio conſtituto, quas adoleſcens furto dumtaxat comparare poteſt, eo caſu furtum licitum eſt*. Item: *Si quis voluntatem ſuam Divinæ conformare velit, alterutrum neceſſe eſt, vel quòd Deus omnia neceſſaria ad ſalutem ipſum edoceat, ita ut errare non poſſit; vel ſi errare ipſum permittat, vitio non vertatur error: imò actus conſequens magìs vel æquè ſit meritorius ac oppoſitus*.

§. II.

Magiſter Simon, Fr. Guido, & Mag. Ludovicus.

I. Simon Pariſienſis Magiſter ſequentes errores, quos protulerat, anno 1351. revocare coactus fuit. Dixerat enim primò: *Nomen Jeſus de Deo accidentaliter dici: unde hæc propoſitio eſt poſſibilis: Jeſus non eſt Deus*. Indè inferebat: *Jeſus poteſt eſſe & non eſſe Deus*. Secundò: *Nulla res eſt aut eſſe poteſt, quæ modò non ſit Deus, & aliquando eſſe poſſit Deus*. Quæ deliria, nedum errores ſunt. Tertiò: *Deus poteſt aliqualiter ſe habere, qualiter ſe non habet, & aliqualis etiam eſſe, qualis non eſt*. Hoc Deum mutabilem faciebat. Quartò: *Quamvis Jeſus fuerit ab æterno Patri coæqualis, tamen aliquando fuit Deus, quando non fuit Jeſus*. Quintò: *Filius Dei incœpit eſſe*. Sextò: *Nunquam hic homo, qui Chriſtus eſt, factus eſt Chriſtus*. Horum, quæ nedum erronea, ſed invicem pugnantia ſunt, extat Retractatio in Bibliotheca Patrum.

II. Frater Guido Ordinis Eremitarum S. Auguſtini ſequentes, quos docuerat errores revocare coactus fuit anno 1353. Quorum primus eſt: *Caritas, quæ ſemel labitur, vel deperditur, nunquam fuit vera caritas*. Secundus: *Præſcitus exiſtens in caritate actum*

vitæ

vitæ æternæ meritorium elicere non poteſt. Tertius: *Homo vitam æternam ita de condigno meretur, ut hanc ipſi Deus abſque injuria negare non poſſit*. Quartus: *Si nullum eſſet liberum arbitrium, adhuc eſſet peccatum*. Quintus: *Bonum meritum ita eſt à Deo, ut nihil ſit à voluntate*. Sextus: *Deus homini viatori neceſſitatem quandoque imponit, præveniendo volantatem ad bonum actum, ita ut in ea poteſtas ad oppoſitum non remaneat*. Horum aliorumque errorum retractatio extat in Bibliotheca Patrum.

III. Magiſter quidam Ludovicus plures protulerat propoſitiones, quas Alexandre art. 16. citatus enumerat, inter quas erant: *Quòd Divina voluntas non diligit intenſiùs prædeſtinatum quàm præſcitum. Nec plus intenſivè Deus diligit ſe ipſum, quàm Diabolum ſecundùm naturam. Quòd Divina voluntas non poteſt immediatè nolle peccatum eſſe. Peccatum non eſt immediatè odibile à perfecta voluntate. Quòd in Deo ſunt contradictoria, quæ immensè formaliter repugnant*. Hos aliosque ad duodecim, teſte Alexandre, præfatus Ludovicus mandante Pariſienſi Univerſitate retractavit anno 1362. Hinc tamen malè infert Alexandre confirmari, ſacræ Facultati Pariſienſi Doctrinalis Judicii auctoritatem convenire. Hoc enim fraternæ correctionis, & zeli pro veritate judicium eſt, potiùs quàm auctoritatis, firmo & irrefragabili judicio doctrinam fidei ſententialiter definiendi; quod ſoli Petro ejuſque in Sede Apoſtolica Succeſſoribus Lucæ 22. commiſit Chriſtus, & ex ſupradictis apparere poteſt. Aliqua enim, ut ſupra narravi (quæ Lector videre poterit) tum in Philoſophicis tum in Theologicis Facultas Pariſienſis proſcripſit, quæ adhuc in Scholis Catholicis, quia Sedes Apoſtolica de eis nondum definivit, tutò perſeverant. Cujus exemplum modò in promtu habeo. Nam inter propoſitiones Ludovici hanc etiam Facultas Pariſienſis damnavit, nempè: *Aliquid eſt Deus ſecundùm ſuum eſſe reale, quod tamen non eſt Deus ſecundùm ſuum eſſe formale*. Hoc adhuc dicunt ſuâ diſtinctione formali ex natura rei diſtinguentes Attributa ab Eſſentia Divina Scotiſtæ. Num ergo propterea hæc eorum opinio reprobanda?

§. III.

Bertholdus de Rorbach, Martinus Conſalvus, Nicolaus Calaber, Berengarius, & Janovezius.

I. DE his Alexandre agit citato loco art. 17. Bertholdus de Rorbach (ex Trithemio in Chronico Hirſaugienſi Tom. 2. pag. 251.) natione Germanus Sectâ Beggardus, homo, ut creditur lai-

laicus, anno 1356. apud ſimplices errores Herbipoli ſpargere cœpit, quos detectus ejurare compulſus fuit; deinde Spiram veniens, & iterum publicans, tanquam relapſus ibi Curiæ ſeculari traditus, & convictus, igni damnatus fuit anno 1359., ut Nauclerus ait in Chronico Tom.2. pag.401.

Errores, imò hæreſes, quas prædicabat ſunt. Primò: *Chriſtum in Cruce ſic fuiſſe à Patre derelictum, ut præ nimio dolore de ſalute animæ ſuæ dubitaverit, maledixerit B. Mariæ Virgini Matri, necnon terræ, quæ ſanguinem ſuum ſuſcepit*. Quid horribilius? Secundò: *Hominem in hac vita eum perfectionis gradum conſequi poſſe; ut illi nec jejunio nec oratione ſit opus, & nihil deinceps ſit ei peccatum*. Hoc innovarunt Quietiſtæ docente Molinos. Tertiò: *Quòd Oratio vocalis non ſit neceſſaria nec utilis ad ſalutem, ſed ſolâ mente orare ſufficiat*: contra exemplum Chriſti, qui pluriès voce Patrem oravit, & voce etiam nos orare docuit. Quartò: *Laicum idiotam à Deo illuminatum adeò poſſe prædicando & docendo proficere, ut magìs ei quàm Evangelio & Sanctis Doctoribus ſit credendum*. Ab hoc errore non multum abfuere Lutherus, & qui eum ſecuti ſunt. Quintò: *Hominem pium in perceptione cibi communis tantam gratiam conſequi poſſe, quantam in Eucharistiæ perceptione*. Hæc Nauclero & Trithemio teſtibus impius ille, nedum temporali ſed æterno igne plectendus. Videri poteſt etiam Dupleſſis Tom.1. pag. 376.

II. Martinus Gonſalvus ſeu Gondiſalvus natione Hiſpanus, patriâ Conchenſis, ad hæc impia deliramenta proceſſit, ut diceret, primò: *Se germanum eſſe Archangeli Michaelis*. Secundò: *Locum, ex quo cecidit Lucifer, ſibi à Deo reſervari*. Tertiò: *Se primam veritatem & ſcalam Cœli eſſe dicebat*. Quartò: *Singulis diebus Cœlum ſe ſcandere, & illud oſculari*. Quintò: *Se advenientem Antichriſtum ad ſingulare certamen provocaturum, & Cruce Chriſti diademate ſpineo ornatâ proſtraturum*. Hæc refert Franciſcus Diago in Hiſt. Prov. Aragoniæ Ord. Prædicatorum Lib.1.cap.24. In his dementiis pertinax repertus, ab Archiepiſcopo Toletano damnatus, & Curiæ ſeculari traditus, igne conſumtus fuit.

III. Nicolaus quidam natione Calaber, ſed in Hiſpania diù converſatus, eodem tempore, ſcilicet Innocentii Papæ VI. anno circiter 1356., pari amentiâ ſequentes errores Barchinonæ publicare cœpit, nempè primò: *Gonſalvum præfatum eſſe Dei Filium in Cœlis ab æterno generatum, quamvis in terris patrem & matrem habuiſſe videretur*. Secundò: *Illum nunquam moriturum, ſed in æternum victurum*. Tertiò: *Spiritum Sanctum futuris temporibus carnem aſſumturum; & ad prædicationem Gonſalvi univerſum mundum converſum iri*. Quartò: *In extremo Judicii die omnes ad Inferni ſupplicia*

cia damnatos Gonſalvi precibus ſalutem æternam conſecuturos. Quintò: *In homine tria eſſe: Animam, quam formaverit Deus Pater, Corpus, quod plaſmaverit Filius, & Spiritum quem inſufflaverit Spiritus Sanctus, abutens verbis illis* „ Formavit Deus hominem de limo terræ, & ſpiravit ſpiraculum vitæ, & factus eſt in animam viventem „. Hæc & alia hæreticalia amens iſte effutiebat, propter quæ ab Eymerico in illis partibus Inquiſitore, & Vicario Barchinonenſi detentus, & brachio ſeculari traditus, & igni ſupplicio damnatus, parem cum Gonſalvo quem in amentia fuerat imitatus, pœnam ſuſtinuit.

IV. Anno circiter 1356. Innocentio VI. Summo Pontifice *Berengarius* de Monte Falcone, Ciſtercienſis Ordinis de Cœnobio Populeti in Provincia Cataloniæ profeſſor, errorem docuit, qui tantò magis invaluit, quantò vitæ ſpiritualis perfectionem promovere videbatur, docebat enim: *Quòd omnia de genere bonorum, quæ fienda ſunt, ſunt fienda pro Dei amore, & non ex aliis cauſis, nec ſpe mercedis æternæ*. Hunc tamen errorem ſolemni judicio damnarunt Sancius Archiepiſcopus Tarraconenſis ex Ordine Minorum aſſumtus, & Fr. Nicolaus Roſelli Inquiſitor de Ordine Prædicatorum. Error iſte noſtris temporibus excitatus; iterùm à Sede Apoſtolica proſcriptus fuit.

V. Bartholomæus Janovezius origine Majoricanus tempore Urbani V. ante annum 1360. libellum edidit & publicavit, in quo multæ hæreſes, errores, & falſitates de Antichriſto, & ejus tempore continebantur. Has cum libello Berengarius Darii Epiſcopus Barchinonenſis, & Fr. Nicolaus Eymerici Ord. Præd. Inquiſitor (ut 2. p. Directorii Inquiſitorum q. 11. §. 10. pag. 266. ipſe teſtatur) ſolemni præhabito conſilio Magiſtrorum Barchinonæ condemnavere, libello igni tradito, ac ipſo Bartholomæo publicè pœnitente, ac errores ſuos deteſtante.

Hi autem erant. Primò: *Antichriſtum in die Pentecoſtes anni milleſimi trecenteſimi ſexageſimi venturum*. Secundò: *Antichriſti tempore incruentum ſacrificium, & alia omnia Eccleſiæ Sacramenta deſitura*. Tertiò: *Chriſtianos omnes habentes uſum liberi arbitrii, qui perverterentur per Antichriſtum, in ejus erroribus immobiliter perſtituros, nec unquam ad Chriſti fidem reverſuros; quia character, quem Antichriſtus eis faceret in fronte, vel in manu, tantam haberet efficaciam in animabus eorum, ut faceret eos in erroribus immobiliter perſeverare, ac proinde omnes tales certò fore damnandos, & igne de Cælo miſſo etiam corpore abſumendos*. Quartò: *Puerolos parvulos Chriſtianorum, & etiam Judæos, Sarracenos, & infideles cæteros, tam parvulos quàm adultos per Antichriſtum perverſos, poſt mortem An-*

Antichriſti, omnes (exceptis Chriſtianis adultis ab eo perverſis) ad fidem Chriſti fore convertendos. Et ſic finaliter totam Eccleſiam Dei de Judæis, Sarracenis, & aliis Infidelibus converſis fore conſtituendam.

§. IV.

Joannes de Calore, Dionyſius Soulechat, Joannes de Latone, Arnaldus Montanerius, & Turlupini.

I. MAgiſter Joannes de Calore anno 1363. propoſitiones quaſdam in ſuo actu Veſperiarum revocare à Facultate Pariſienſi juſſus eſt, quod & præſtitit. Prima erat: *Summus Legiſlator Deus dignus eſt perfectionibus infinitis, quas nec habuit, nec habet, nec habere poteſt*. Hanc ita revocavit: *Nunc dico, quòd iſta propoſitio malè ſonat; imò reputo eam in ſenſu categorico falſam, quem ſenſum facit; nec in iſto ſenſu intellexi eam, ſed in ſenſu hypothetico: ſcilicet, quòd ſi eſſent infinitæ perfectiones imaginabiles, quas Deus non habet, adhuc eſſet dignus illis perfectionibus*. Secunda erat: *Quòd dictus Legiſlator dignificavit ſe in carne ad ſuam aſſumptionem hypoſtaticam*. Quam ita moderatus eſt: *Intellexi dignificavit, ideſt, manifeſtavit*. Aliquas alias propoſitiones terminis minùs propriis & non benè ſonantibus à ſe prolatas correxit, vel revocavit. E' Sorbonica Societate erat is Joannes de Calore, qui anno 1371. Cancellarius Pariſienſis creatus eſt. Ex Dupleſſis Tom. 1. pag. 387. & Alexandre loco citato art. 18.

II. Dionyſius *de Foulechat* vel *Soulechat* in Pariſienſi Facultate Bacalaureus Ordinis Fratrum Minorum errorem Fratricellorum, qui proprium ullarum rerum dominium cum perfectione Evangelii pugnare olim contenderant, innovare tentavit anno 1363. Docebat enim primò: *Quòd Lex amoris omnem aufert proprietatem & dominium*. Secundò: *Quòd abdicatio cordialis voluntatis & temporalis poteſtatis dominii, ſeu auctoritatis, ſtatum perfectiſſimum oſtendit, & efficit*. Tertiò: *Chriſtum non abdicaſſe hujuſmodi poſſeſſionem, & jus in temporalibus, non habetur in Nova Lege, imò potiùs oppoſitum*. Quartò: *Hanc Legem pro regula perfectionis Chriſtus docuit, & exemplo confirmavit*. Quintò: *Abdicatio rerum temporalium ſecundùm animi præparationem, nullam, aut valdè imperfectam, & fragilem oſtendit, & perficit perfectionem*. Sextò: *Chriſtus nihil ſibi retinuit*. Septimò: *Chriſtus in Monte omnia ſimpliciter abdicavit*. Octavò: *Quando Corpus Chriſti in ſepulchro manſit, caritas abſtulit ab eo omnem proprietatem & dominium*.

III. Delatæ præfatæ propoſitiones ad Facultatem Pariſienſem cen-

cenſorio ſtigmate inuſtæ ſunt, & munere docendi ab eadem Dionyſius interdictus. Teſtantur literæ Urbani V. ad Joannem Presbyterum Cardinalem olim Epiſcopum Bellovacenſem ſuper hoc datæ, ubi: *Præfati*, inquit, *Cancellarius & Magiſtri Concluſionibus ipſius cum exacta diligentia maturoque conſilio recenſitis, earum aliquas hæreticæ nequitiæ fermento infectas, nonnullas verò Eccleſiæ determinationi contrarias, & multas earum ſcandali cauſativas concorditer decreverunt. Et ut materia ſcandali tolleretur de medio, Orthodoxæque Fidei veritas illibata perſiſteret, prædicto Dionyſio in eorum conſtituto præſentia, inhibuerunt, ac interdixerunt, ne legendi exerceat officium, donec per eos ſuper hoc aliud exiſteret ordinatum.*

Additque Pontifex, quòd præfatus Dionyſius obedientiam ſimulans dictas Concluſiones coram ipſis revocavit, *jurans quòd illas, utpotè falſas & hæreticas, non ſequeretur de cætero nec doceret, ac promittendo adjiciens, quòd in quadam ſolemni diſputatione ſub Cancellario prædicto tenenda .... Concluſiones ipſas publicè revocaret. Sed poſtmodum adveniente tempore, ac actu diſputationis præfatæ, ipſe Dionyſius ſuper obſervantia promiſſionis ſuæ hujuſmodi per dictos Cancellarium & Magiſtros cum debita requiſitus inſtantia, id facere pertinaciter denegans, ad Sedem Apoſtolicam appellavit: & contra inhibitionem legendi prædictam in præfatis ſcholis, ad legendum in craſtinum ſe ingeſſit* &c. Quibus delatis ad Stephanum Pariſienſem Epiſcopum, & Guillelmum Rocchini Ord. FF. Prædicatorum Inquiſitorem, cùm citatus non comparuiſſet, contra ipſum proceſſus inſtruere cœperunt.

IV. Interea Avenionem, ubi tunc Pontifex reſidebat, Dionyſius ſe contulit. Ibi de mandato Urbani, ipſo etiam inſtante, auditus revocationem ſuorum errorum Pariſiis factam confirmabat quidem verbo, ſed dum coram deputatis Cardinalibus eas exponeret, in pejores errores homo verſipellis labebatur. Quare juſſit Urbanus ipſum comprehendi, & ad errores Pariſiis publicandos compelli ſub pœna anathematis, eique pro juramentorum & promiſſionum tranſgreſſionibus pœnas infligi, datâ Joanni Cardinali facultate & Apoſtolicâ auctoritate, ultimum judicium uſque ad ſententiam definitivam ſuper hac cauſa ferendi. Quare ſequenti anno ſolemni diſputatione in Eccleſia Fratrum Prædicatorum Pariſiis habitâ, Dionyſius Soulechat, jubente Cardinali, errores omnes ſincerè retractavit. Cujus rei publicum inſtrumentum eſt.

V. Hinc iterum colligit Alexandre dicto art. 18., Jus doctrinalis judicii Sacræ Facultati Pariſienſi fuiſſe aſſertum; ſed utrum benè, non video. Nam in primis præter ſupradicta ſ. 2. num. 3. hoc judicium non auctoritate propriâ, ſed Apoſtolicâ delegatâ factum

ctum fuit. Deindè hæc auctoritas delegata fuit non Facultati, ſed Joanni Cardinali licèt adhibito conſilio Facultatis: *Aſcitis* (inquit Pontifex Joanni Cardinali) *tibi*, *& in hoc aſſiſtentibus Cancellario prædicto ac Magiſtris in Facultate prædicta*, *de ipſorum conſilio legitimis per dictos Stephanum Cardinalem*, *tunc Epiſcopum*, *& Inquiſitorem habitis*, *& ſervatis proceſſibus*, *appellatione remotâ*, *præviâ ratione procedas*, *faciens quod decreveris auctoritate Apoſtolicâ per cenſuram Eccleſiaſticam firmiter obſervari* &c. Quia ergo cauſa Pariſiis inchoata fuerat, & ibi per Epiſcopum & Inquiſitorem formati fuerant proceſſus, æquum duxit Romanus Pontifex, ut ſuâ Apoſtolicâ auctoritate Joanni Cardinali delegatâ prævio Facultatis conſilio ibi *uſque ad ſententiam definitivam incluſivè* (ut ipſe dicit) ab eo terminaretur.

VI. Anno 1371. *Joannes de Latone*, & *Petrus de Bonageta* Ordinis Minorum, ex relatione ad Gregorium XI. facta per Fratrem Nicolaum Eymericum Inquiſitorem, in Provinciis Tarraconenſi & Cæſaraugustana ſequentes circa Euchariſtiam errores è ſacro ſuggeſtu prædicabant. Primò: *Quòd ſi hoſtia conſecrata cadat*, *ſeu projiciatur in cloacam*, *lutum*, *ſeu aliquem turpem locum*, *ſpeciebus remanentibus*, *ſub eis eſſe deſinit Corpus Chriſti*, *& redit ſubſtantia panis*. Secundò: *Quòd ſi hoſtia conſecrata à mure corrodatur*, *ſeu à bruto quovis ſumatur*, *remanentibus dictis ſpeciebus*, *ſub eis deſinit eſſe Corpus Chriſti & redit ſubſtantia panis*. Tertiò: *Quòd ſi hoſtia conſecrata à juſto vel peccatore ſumatur*, *dum ſpecies dentibus teruntur*, *Chriſtus ad Cælum rapitur*, *nec in hominis ſtomachum trajicitur*. His permotus Gregorius XI. duobus Cardinalibus Petro S. Euſtachii, & Guillelmo S. Angeli Diaconis cauſam commiſit: qui datis ad Tarraconenſem & Cæſaraugustanum Archiepiſcopos eorumque Suffraganeos, necnon ad Inquiſitores earum Provinciarum literis (quas inter alios exhibet Du-Pleſſis Tom. 1. pag. 390.) auctoritate Apoſtolicâ juſſerunt, ut abſque mora in ſuis Provinciis inhiberent, ſub pœna excommunicationis, ne quis dictas propoſitiones prædicare deinceps præſumeret. Et hoc Fratri Joanni de Latone ſpecialiter intimandum præceperunt.

VII. Innocentii VI., Urbani V., & Gregorii XI. temporibus, ut refert Eymericus 2. p. Directorii pag. 267. num. 11. fuit quidam de Ordine Fratrum Minorum ex oppido Podii Ceritani diœceſis Urgelenſis, nomine Arnaldus Montanerii (aliis Montavernii, aliis Montanarii) qui ob errores plures ad ſacrum Inquiſitionis Tribunal delatus, eos ejurare noluit, ſed in partes Aquilonares fugit, ibique ſua prava dogmata docere & pertinaciter propugnare non deſtitit, tandem ab Eymerico Inquiſitore, & Berengario Darii Epiſco-

ſcopo Urgelenſi (conſultis prius Urbano V. & Gregorio XI.) poſt 19. annos hæreticus declaratus fuit, & ejus errores condemnati: Erant autem ſequentes. Primò: *Quòd Dominus Jeſus Chriſtus & ejus Apoſtoli nihil habuerunt in proprio, nec in communi*. Secundò: *Quòd nullus poteſt damnari qui deferat habitum S. Franciſci*. Tertiò: *Quòd Beatus Franciſcus ſemel in anno deſcendit ad Purgatorium, & extrahit indè animas illorum, qui in hac vita fuerunt de Ordine ſuo, ſeu de Ordinibus per eumdem inſtitutis, & ducit ad Paradiſum*. Quartò: *Quòd Ordo B. Franciſci in perpetuum durabit*. Facta fuit hæc damnatio anno 1372.

VIII. Turlupini, verè digni tali nomine, quia Luporum ac beſtiarum cœtus potiùs quam hominum, alio nomine *Sodalitas Pauperum* nuncupati, circa annum 1373. in Galliis & Allobrogibus fœdè graſſabantur. Sectæ Begardorum, quam profitebantur, plura obſcena & turpia, quæ nec Gnoſtici cogitarunt, addebant. Nam præter Begardorum errores quos ſequebantur, docebant, nihil pudere quemquam debere eorum quæ à natura accepimus: unde nudi abſque verecundia incedebant, & palàm canum more libidinem exercebant: addentes, quòd illud, quod aliàs eſt peccatum mortale, ut ſtuprum, factum in caritate non eſt peccatum. Secundò dicebant, voce non eſſe orandum, ſed ſolo corde, eâque ſpiritus libertate, quæ Divinis Legibus ſubjecta non ſit. De his Prateolus, Bernardus Lutzemburgus, Sanderus, Gaguinus Lib.9. Hiſt.

Contra iſtos zelum Caroli Regis Francorum, & Amedei Sabaudiæ Ducis excitavit Gregorius XI., à quibus peſtis hæc vix enata ferro & igne extincta eſt. De hac Gaguinus citato loco: *Superſtitionis*, inquit, *quoddam genus eodem tempore à Turlupinis (hoc enim erat hominum genus, qui ſe de Societate pauperum vocitari gaudebant) ortum, finem fecit, crematis eorum veſtibus, & libris in foro Suillo extra S. Honorati portam. Joanna autem Dabentona, & cum ea alter, cujus nomen hiſtorici non tradunt, ejus Sectæ in primis profeſſores comburuntur. Hic autem, quem ſinè nomine ponimus, cùm ante damnationis ejus ſententiam in carcere mortem obiiſſet, dies quindecim in aggere calcis, ne putreſceret ejus cadaver, aſſervatus eſt, & die ad ſupplicium præſcripto crematus*. Tot autem in hac perquiſitione ejuſmodi hæreſi inquinati reperti & capti ſunt, ut in Viennenſi, Arelatenſi, & Avenionenſi urbibus, novos veteribus jam plenis carceres fabricari oportuerit, & pro captivorum numero alendo penſionibus à Romano Pontifice Eccleſiaſticos redditus onerari.

IX. Hæc tamen Pontificis & præfatorum Principum vigilantia & rigor hæreſim adeò extirpare nequivit, quin aliquæ ejus reliquiæ ſuperſtites in latebris deliteſcerent. Quia (inquit Jo. Gerſon de

de Examine Doctrinarum Conſiderat. 6. apud Prateolum) *Sicut nulla vehementior, quàm luxurioſa libido, ſic ad errandum falſumque docendum nulla pernicioſior. Id quidem patuit in Sectis Turlupinorum, quorum ſequaces non deſunt uſque, quando & ubi ſe latere putaverint, ſerpunt ubilibet Epicurei ſub tunica Chriſti, qui in mulierculis primò devotionem fingentes ſpecie tenus, paulatim eis fidem, antequam lumen & oculos, tollere quærunt, quatenùs eas licentiùs ad deſideria ſua maligna proſtituant*. Hæc Gerſon. Quæ noviſſimis temporibus in ſuis Quietiſtis à Molinos innovata deploravit, ac utinam adhuc in aliquibus deplorare non cogatur Eccleſia.

CAPUT CIII.

De Raymundo Lullo, & Raymundo Neophyto.

§. I.

De Raymundo Lullo.

I. UT tollatur æquivocatio, quâ Auctores quidam ſimilitudine nominis decepti errores unius alteri tribuerunt, advertendum cenſeo, duos nomine Raymundos circa eadem tempora errorum fuiſſe inſimulatos: Unum appellatum Raymundum Lullum, ſeu *Lull*; alterum Raymundum *de Terraga* dictum Raymundum Neophytum. De priori hic loquar, de ſecundo verò §. ſequenti.

II. Raymundus ergo Lull, ſeu Lullus, ortu Majoricenſis fuit, profeſſione mercator, quem Tertio Ordini S. Franciſci nomen dediſſe, Auctores Minoritæ ſcribunt, & qui in odium Chriſtianæ Fidei, quam prædicabat, Bugiæ in Africa à Sarracenis occiſus, apud Majoricenſes ut Martyr habetur & colitur. Occiſum fuiſſe die 24. Junii anni 1315. ſcribit Waddingus, & annum nonageſimum quintum ætatis attigiſſe fertur. Libros à ſe conſcriptos uſque ad viginti linguâ Catalaunicâ (latini enim ſermonis jejunus erat) poſt mortem reliquit. Horum doctrina, quia ab ipſo aſſerebatur, non humano ſtudio inventa, ſed ſibi à Chriſto in quodam Monte, ubi apparuerat ei Crucifixus, revelata ad ſeculi tenebras illuminandas, ferè per octoginta annos, ut cœlitùs delapſa ſuſcepta fuit. Poſtea verò Nicolaus Eymericus Ord. Prædicatorum Aragoniæ Inquiſitor, cui Lulli doctrina valdè ſuſpecta erat, cùm libros omnes perquiſitos ſummo labore tranſcurriſſet, eoſque plurimis ſcatentes erroribus reperiſſet uſque ad quingentos, dicta viginti volumi-

lumina Gregorio XI. præſentavit: qui cauſâ commiſsâ Cardinali Hoſtienſi, & à viginti & ultrâ Magiſtris examinatâ, de Fratrum conſilio, ex quingentis Articulis, ut prolixitati parceret, ſolos centum, partim ut hæreticos, partim ut erroneos damnavit. Hos ſigillatim recenſent Du Pleſſis Tom. 1. pag. 248. & Alexandre in Hiſt. Seculi 19. & 14. cap. 3. art. 20., apud quos Lector percurrere poterit.

III. De hac Librorum Raymundi Lulli damnatione orta fuit, & adhuc durat controverſia. Qui Lullo favent, dicunt, Libros Raymundi fuiſſe ab Eymerico calumnioſè traductos, & ad Gregorium XI. delatos, ideòque diploma contra illos fuiſſe ſubreptitium, imò & ſuppoſitum, cùm in Gregorii Regeſto diligenter quæſitum, non fuerit inventum. Sed Eymericum virum religione & honeſtate clarum tantâ labe maculare, nimis injurioſum eſt. Quòd enim diplomatis illius autographum in Regeſto non fuerit repertum, non ſtatim infert illud eſſe ſuppoſititium, cùm potuerit indè fuiſſe ablatum, aut caſu aliquo periiſſe, ſicut & alia ejuſdem Gregorii diplomata anno 6. data perierunt. Hoc graviora momenta ſuadent. Primò: Alia duo diplomata ejuſdem Gregorii anno 2. & 4. ſui Pontificatus data, quibus Libros Raymundi Lulli, ceù ſuſpectos, ad ſe mitti juſſit, & diligentiſſimè examinari. Hi igitur perlecti & diſcuſſi à Cardinali Hoſtienſi, & 20. Doctoribus, & erroribus ſcatentes reperti; quid aliud ſupererat, niſi ut damnarentur? Hoc vel ipſum Waddingum ferventiſſimum Lulli defenſorem movet; unde fatetur, *ſuſpicionem ingerere duas præfatas Extravagantes, Summum Pontificem circa Lulli doctrinæ damnationem aliquid effeciſſe*.

Secundò: Damnationem Librorum Lulli à Gregorio XI. re verâ emanaſſe, & in aliquibus Hiſpaniæ partibus publicatam fuiſſe, teſtatur Petrus Rex Aragonum in Epiſtola ad Gregorium XI. anno 1377. die 7. Januarii ſcripta, quam Franciſcus Diagus Ord. Prædicatorum Lib. 2. Hiſt. Provinciæ Aragoniæ ex Chartulario Regio à ſe deſcriptam teſtatur. In ea ergo Rex Petrus: *Sanctiſſime Pater*, inquit, *Intelleximus relatu quorumdam quòd Sanctitas veſtra, ad inſtigationem Fratris Nicolai Eymerici Inquiſitoris pravitatis hæreticæ, miſit ad has partes Barcinonæ, Valentiæ, & Majoricarum quoddam Reſcriptum continens, quòd quicumque tenens de Libris per Raymundum Lullum quondam Civitatis Majoricarum factis, intra certum tempus in ipſo Reſcripto contentum, illos teneatur ſub excommunicationis pœna ponere in poſſe Vicariorum, Epiſcoporum ipſarum Civitatum. Nam fertur, quòd dictus Inquiſitor Opus dicti Raymundi examinari fecit, & quòd in eo invenit quæ contra Fidem Catholicam exiſtunt*.

Digitized by Google

ſtunt. Subindè Pontificem rogat, ut præfatos Libros Barcinonæ iterum examinari faciat: tum quia utpotè idiomate Catalano conſcripti meliùs intelligentur per Catalanos, quàm per viros alterius Nationis. Tum quia Barcinonæ ſunt Clerici ac Religioſi docti, & in ſcientiæ Raymundi principiis, quæ ab aliis ſcientiis diſſimilia ſunt, benè inſtructi. Tum demum quia præfati Raymundi conſanguinei hoc ſummoperè exoptant.

IV. Hæc Regis Aragonum Epiſtola plura adnotanda ſuppeditat. Primò: quòd cùm ſcripta fuerit die 7. Januarii anni 1377. data fuit menſibus quindecim ante obitum Gregorii, qui contigit VI. Kal. Aprilis anni 1378.; proindè ſatis habuiſſe temporis, ut ad Regem reſcriberet, ac de ſuppoſitione Diplomatis Librorum Lulli condemnatorii ipſum moneret, ſi verè ſuppoſititium fuiſſet, & Eymericum falſæ ſuppoſitionis reum convictum impunitum non reliquiſſet, & tandem Regis petitioni de novo examini Libris ſubjiciendis,ut enixè poſtulabat,annueret. Cùm ergo nec in Eymericum quidquam ſtatuerit, quem in munere Inquiſitoris, ut ante,reliquit, neque Libros Barcinonæ iterùm examinari, ut Rex poſtulabat, conceſſiſſe legatur, clarum eſt, Diploma illud damnationis verè à ſe prodiiſſe, ac juſſu ſuo ab Eymerico fuiſſe promulgatum, ideòque noluiſſe iterato examini ſubjici, quod ab Apoſtolica Sede præviâ maturâ diſcuſſione jam fuerat judicatum.

Secundò: Idipſum confirmatur. Quia, ut ex Regiis literis apparet, præfatum diploma fuit in diœceſibus Barcinonenſi, Valentina, & Majoricenſi publicatum. Hoc autem illarum diœceſeon Epiſcopi non permiſiſſent, imò Eymericum impoſtorem proclamaſſent, eorumque querelas Rex Gregorio expoſuiſſet, ſi vel minimum de Diplomatis falſitate dubium extitiſſet. Quin & ipſe Rex, cui Lulli fama adeò cordi erat, Eymerico non peperciſſet; ſed vel eum è Regno ſuo expuliſſet, vel à munere Inquiſitoris deponi curaſſet, vel ad id faciendum adegiſſet. Nihil autem horum accidit: quin Eymericus quamdiù vixit,nempè annos 21. poſt Gregorii obitum Inquiſitoris munere honorificè functus eſt.

Tertiò: Ipſe Rex dum pro Lulli Libris pugnat eos ſuſpectos prodere videtur, dum ait, Lulli ſcientiam habere principia ſcientiarum cæterarum principiis longè diſſimilia, quòd præter alia argumenta indicat, Lullum fuiſſe Novatorem, ac proindè ejus doctrinam ſaltem ſuſpectam.

V. Obſervo etiam, præfatum Regem in ſuis literis de Raymundi Lulli conditione nil aliud dicere, niſi quod Civis Majoricenſis fuerit: nihil autem de Ordine Minorum cujus Tertii Ordinis faciunt profeſſorem: nihil de ejus converſione, vocatione, & apparı-

Digitized by Google

paritione Chriſti, & illuminatione in monte: nihil de ejus ſanctitate, prædicatione apud Infideles, martyrio, miraculis, quæ omnia Deſenſores ejus ſummoperè jactant: quæ omnia utpotè ad ſuum conſilium maximè conducentia, ut vir religioſus ſanctus & martyr vindicaretur à calumniis, & quæ non ipſius Lulli tantùm ſed ipſius Eccleſiæ honor, ut deceret, poſtulaſſet, omittere certè ad movendum Pontificis animum, & ad juſtitiam cauſæ non debuiſſet. Porrò cùm ad hoc ſe moveri dicat tantùm, quia Lullus ejus ſubditus fuit, & ad vindicandum conſanguineorum ejus honorem; quanti facienda ſit hæc omiſſio, judicet prudens.

VI. Statutâ veritate diplomatis Gregorii XI. condemnantis Libros Raymundi Lull, & Eymerici honeſtate defenſâ, ſupereſſet examinandum, an omnes centum articuli partim ut hæretici, partim ut erronei cenſurâ notati, in ſcriptis Lulli verè invenirentur: cùm judicio Bernardi Ermengaudi Ordinis Prædicatorum Provincialis & Aragoniæ Inquiſitoris, aliorum duorum ejuſdem Ordinis, & quatuor Ordinis Minorum, ex Libro Philoſophiæ amoris ſoli tres excerpti ſint, reliqui in eo non legantur. Cui reſponderi ita poſſet. Quorum ſententiæ ſtandum erit? Cardinalis Oſtienſis, & 20. Theologorum, qui ex viginti Libris Raymundi centum articulos damnabiles adnotarunt, & Gregorio damnandos propoſuerunt; an ſeptem tantùm Theologorum, quorum quatuor privatis ſtudiis Raymundo indulgentes, & Regi Aragonum fortè adulantes, aliis Raymundi Libris omiſſis, ex uno tantùm ſolas tres cenſurâ dignas propoſitiones adnotarunt?

Dicam ergo cum Waddingo auctore Lulliſtis non ſuſpecto in Annalibus Minorum ad ann. 1315. *Tres tantùm ſunt propoſitiones, de quibus illi judicium tulerunt. Porrò ex reliquis, quas Eymericus centum exſcripſit in Directorio, & potior pars verè in ejus operibus reperitur, quarum nonnullæ duriores & craſſiores ſunt, quàm eas communis Theologorum ſchola admittat, aut ſinè cenſuris elabi permittat.* Et loquens de quadam Apologia pro Raymundo Lullo: *Vidi*, inquit, *& penes me habeo Apologiam Antonii Belvar Cathedratici Primarii & Canonici Majoricenſis integro & magno Volumine contentam ad Sixtum V. & Philippum II. pro Raymundi aſſerenda doctrina tranſmiſſam, & aliorum reſponſiones ad objecta Eymerici: & ſincerè dicam, poſt multas ambages verborum, poſt minos anfractus, quos non percipias terminorum, non plenè in omnibus ſatisfeciſſe.* His Waddingus veritate fateri cogitur, Raymundi doctrinam, etſi cavillis ſtudioſè tectam, ab omni erroris labe ſe tueri non poſſe.

VII. Propter prætatos tamen errores, etiamſi aliqui eorum ut hæretici damnati ſint, non eſt habendus hæreticus Raymundus Lul-

Lullus, quia eos pertinaciter non defendit, imò omnia opera ſua Eccleſiæ Romanæ judicio ac cenſuræ ſubjecit, ut probat Waddingus: & apparet in ejus operibus anno 1505. Valentiæ editis, ubi *de Arte Inventina* in prologo: *Etiamſi*, inquit, *nimia noſtrorum ſermonum improprietas, vel noſtri ingenii, aut etiam translationis inſufficientia aliquem errorem contra Sanctam Fidem Catholicam protendere videatur; correctionem Eccleſiæ Romanæ Sacroſanctæ, ſuppliciter imploramus, quia non ratione artis, ſeu artificii, ſed ratione ignorantiæ errare contigit*. Quibus tacitè declarat, ex vana imaginationis illuſione ſe fuiſſe locutum, quando gloriatus fuit: *Deum contuliſſe ſibi iſtam artem & doctrinam generalem in quodam monte, ubi ſibi apparuit Chriſtus Crucifixus, & eam contulit ſibi pro hujus ſeculi tenebris illuminandis, quæ eſt generalis ad omnem ſcientiam* &c. Si enim omnia quæ ſcripſit ex illuminatione Chriſti ſe ſcripſiſſe agnoviſſet, nullum timorem ignorantiæ, vel erroris habuiſſet.

In hoc Waddingus ipſe conſentit, dum ait „ Quòd ſcientiarum revelationes à Deo fiant ad fidei incrementum, vel Eccleſiæ fulcimentum, quæ ab hac non vidimus hucuſque prodiiſſe, cùm nulli fuerint uſui ejus Libri in Conciliis ab ejus morte celebratis „. Unde concludit: *Abſtinendum itaque ab ineptis quorumdam epithetis, & parenæticis, quæ inſulsè affinguntur, elogiis: temerè enim à ſuis appellatur Sectariis Doctor Illuminatiſſimus, Tuba Spiritus Sancti, Organum Dei, Fons veritatis, Eccleſiæ Reſtaurator*. Ita Waddingus, alioqui Raymundi patronus. Quia ergo, etſi Lullus erraverit, hoc ex ignorantia accidiſſe confeſſus eſt, ac ſe & omnia judicio Eccleſiæ corrigenda ſubmiſit: quia inſuper propter fidem martyrium paſſus aſſeritur, licèt hoc Eccleſia Catholica nondum probaverit, cultum tamen & venerationem à Majoricenſibus ei præſtitum non vetuit, ſed adhuc tolerat & diſſimulat; ideò notâ hæreſis culpandus non eſt.

VIII. A nota hæreſis tamen ægrè purgari poſſunt Lulliſtæ, ſeu Raymundi Sectarii illi, qui non ſolùm errores illius ab Eccleſia damnatos pertinaciter propugnabant, ſed etiam novos addebant Eymerico teſtante; nempè, quòd Raymundus Lull dogma ſuum non habuit per hominem, nec per ſtudium, ſed per revelationem Jeſu Chriſti: ideòque excellit in bonitate & veritate omnium aliorum etiam S.Auguſtini doctrinam. Secundò: Quòd Theologi noſtri temporis nihil ſciunt de vera doctrina: eam enim propter peccata eorum ab eis Deus abſtulit, & Lulliſtis conceſſit. Tertiò: Quòd omnes doctrinæ deſtruentur, & ſola doctrina Raymundi perpetuò permanebit. Et quòd ultimo tempore Theologi omnes à fide apoſtatabunt: & tunc Lulliſtæ ipſi ad fidem Catholicam Ec-

cleſiam reducent. Quartò: Quòd doctrina Veteris Teſtamenti attribuitur Deo Patri, doctrina Novi Deo Filio: ſed doctrina Raymundi Lull Deo Spiritui Sancto: ideòque nec per ſtudium nec per hominem, ſed per revelationem Spiritus Sancti tantùm poteſt haberi; & quòd ita ab ejus Sectatoribus triginta, quadraginta, quinquaginta, ſexaginta horis habetur. Quintò: Quòd doctrinam Lulli nemo intelligit, neque intelligere poteſt, niſi ſoli Lulliſtæ ipſi. Ex quo inferebant, Gregorium XI., ejus Conciſtorium, Cardinalem Hoſtienſem, viginti Theologos, omneſque qui viginti Raymundi Librorum damnationi manum vel conſilium præbuerant, eos non intellexiſſe, & eos damnando turpiter erraſſe. Demùm præfatum Raymundum eſſe pro Beato in Cœlis tenendum & colendum, quamvis ejus ſanctitas non eſſet ab Eccleſia declarata, nec martyrium vindicatum. Hæc ex Alexandre art. 20. citato, Du Pleſſis Tom.1. pag.253. & aliis.

§. II.

De Raymundo Terraga Neophyto.

I. Libri de Invocatione Dæmonum, de Secretis Naturæ, & de Alchimia, quamvis à Bernardo Lutzemburgo, & Bzovio ſimilitudine nominis fortè deceptis, Raymundo Lullo affingantur, ejus tamen opus non ſunt, ſed alterius Raymundi cognomento de Terraga ſeu Tarraga, Neophyti qui eodem tempore vixit. Hic, ut refert Franciſcus Pegna Comment. 52. „ Cùm priùs eſſet „ Hebræus converſus ad fidem Chriſti, factus eſt Monachus Ordi- „ nis Prædicatorum. Cæterùm ut res ipſa demonſtravit, non mu- „ tavit mores, etſi Religionem mutaverit. Vixit autem hic Ray- „ mundus circa tempora Gregorii XI. ad annum 1372. extantque „ in unico volumine Regeſti anni primi Gregorii XI. fol. 225. „ Literæ Papæ Gregorii ad Archiepiſcopum Tarraconenſem, & „ Nicolaum Eymericum Inquiſitorem in Regno Aragonum, qui- „ bus præcipitur, ut inquirant & procedant contra Raymundum „ de Tarraga Ordinis FF. Prædicatorum tenentem quoſdam hæ- „ reticales errores & eum puniant. Rursùs in ſecundo Volumine „ anni 2. fol. 191. Reſcriptum quoquè habetur ejuſdem Domini „ Gregorii XI. incipiens: *Dudum ad audientiam*: per quod com- „ mittitur Archiepiſcopo Tarraconenſi & Nicolao Eymerico In- „ quiſitori, omnes Libros hujus Raymundi ſibi faciant exhiberi, „ atque comburi „. Hactenus Pegna. Idem dicit Eymericus in 2. p. Directorii q. 27. qui vocat eum Raymundum Neophytum, ſed de Ordine Prædicatorum fuiſſe non dicit.

II. Er-

II. Errores autem in hujus Raymundi Libris damnati ſequentes ſunt. Nempè primò: Prava dogmata Almarici, Arii, Sabellii, aliorumque hæreticorum, de ſe hæreſes non eſſe, niſi tantùm apud illum qui illa eligit animo pertinaci. Secundò: Licitum eſſe creaturas adorare, & cultu latriæ proſequi, quatenus Creatorem repræſentant. Et hâc eâdem ratione licitum eſſe adorare etiam Dæmones. Tertiò: Sacrificantem Dæmonibus æquè & meliùs ab Idololatria excuſari, quàm Chriſtianum adorantem Imagines Chriſti, & Sanctorum; ac Dæmonibus adorationem & Sacrificium de jure naturæ deberi (His benè aptantur Pauli verba 1. ad Tim. 4. v. 1. *In noviſſimis temporibus diſcedent quidam à fide attendentes ſpiritibus erroris, & doctrinis Dæmoniorum.*)

Dicebat quartò: Qui victi ſuppliciis Deum negant ore, ſed corde adorant, non ſolùm non peccare, ſed remuneratione dignos eſſe. Quintò: Laicum non teneri ad aliquem fidei articulum explicitè credendum: ideòque ſi teneat, vel credat oppoſitum alicujus articuli ex ignorantia & tentatione Diaboli, non peccare. Sextò: Omnes, qui Dei, vel Eccleſiæ præceptis non obediunt, hæreticos eſſe cenſendos. Unde omnem peccantem mortaliter formaliſſimè eſſe hæreticum.

Septimò: Omnem peccantem, dum peccat, voluntatem ſuam Divinæ conformare: æquè enim placere Deo bona & mala; æquè Judæ deſperationem & Petri contritionem. Octavò: Nullum Legis præceptum hac in vita poſſe adimpleri, neque caritatem ab ullo viatore poſſe haberi. Nonò: Hominem abſque caritate infuſa poſſe Deum ſuper omnia diligere & vitam æternam promereri. Decimò: Sinè caritate neminem fidelem eſſe poſſe. (Hæc duo necdum impia, ſed invicem pugnantia ſunt. Nam ſi ſinè caritate poteſt homo Deum ſuper omnia diligere & vitam æternam promereri, quomodo ſtare poteſt, quòd ſinè caritate non poſſit eſſe fidelis? Numquid Infidelis Regnum Dei poſſidere poterit?)

Undecimò: Sectam Mahometi eſſe æquè Catholicam, ac fidem Jeſu Chriſti. Duodecimò: Perfectius eſſe ſchiſmaticum eſſe, quàm Catholicum, cùm Chriſtus, Apoſtoli, Angeli & Beati omnes ſint ſchiſmatici. Tandem, ſolum Deum Patrem eſſe Optimum, Dei Filium eſſe Bonum in primo gradu, Spiritum Sanctum in ſecundo, creaturam omnem in tertio. Hæc inſana & blaſphema ex Eymerico 2.p. Direct. qu.27. & Pegna Comment. 52. Raymundus Neophytus effutiebat. Cui minùs malum fuiſſet perſeverare in Judaiſmo, quàm Catholicam fidem, veriùs ſe ipſum, tot impietatibus deturpare.

CA-

CAPUT CIV.

De Wichleffi hæreſi.

§. I.

Wichleffi perſona & hæreſis ad ejus uſque mortem.

I. WICHLEFFIANA hæreſis nomen & errores accepit à Joanne Wiklef ſeu Wichleph. Fuit iſte natione Anglus, Doctor Theologus, Eccleſiæ de Lutthleworth Lincolnienſis diœceſis Rector, vehementis ingenii homo, ſermone diſertus, ſed ſuperbus & ambitioſus, ideòque idoneus, ut eo ad fabricandam hæreſim Diabolus uteretur. Primum odii in Eccleſiam & Romanum Pontificem ſemen in eo jactum, fuit (ut obſervat Nicolaus Harpsfeldius Cantuarienſis Archidiaconus in Hiſt. Wichleff cap.) quòd Pontificis decreto à Præfectura Collegii Cantuarienſis Oxonii, quam contra jus faſque invaſerat (quippè quæ ex præſcripto Simonis Jolebi Cantuarienſis Archiepiſcopi Monacho tantùm debebatur) causâ cognitâ fuiſſet abdicatus: quapropter, ut videbimus, ſpeciali furore Monachos ſuis ſcriptis inſectatus eſt. Conceptum jam in Eccleſiam odium adauxit repulſa, quam (ut alii dicunt) à Wigornienſi Epiſcopatu, quem ambibat, paſſus fuit.

II. Opportunum tempus ſuis effundendis erroribus, ac invidiæ liberè exſaturandæ, nactus fuit Wichleffus. Nam eo tempore Marſilii Patavini & Janduni doctrina recens, quamvis damnata, Regem & Angliæ Proceres à Romano Pontifice ob collationes Beneficiorum, & pecuniarum exactiones, non modicè alienaverat. His omnibus acceſſit Eduardi Regis inclinatâ jam ætate non ſatis ſevera conſtanſque Regni gubernandi vigilantia, favor Joannis Lancaſtriæ Ducis, qui attentâ Regis impotentiâ, omnia pro arbitrio moderabatur, Aliciæ Pereſiæ Regiæ pellicis gratia, ac demum errorum quos primò diſſeminavit lenocinia. Cùm enim omnes ad Regis & ſecularium Magiſtratuum auctoritatem amplificandam collimarent, à Regia & ſeculari poteſtate læto animo ſuſcipiebantur; vitæ etiam ſeverioris ſpecies, quam Wichleffus & ſui profitebantur, non paucos in deceptionem trahebat. Nudi enim pedibus incedebant, vilibus pannis induti zelum pro Eccleſiæ diſciplina præferentes, quibus ad fallendos incautos facilem ſibi parabant viam. Anno 1375. hæc hæreſis ab Inferis erupit. Prima in eam quæ-

Digitized by Google

quæſtio habita eſt Londini à Simone Subdurienſi Archiepiſcopo Cantuarienſi anno ſequenti. Sed Lancaſtriæ Duce & Percejo Magno Regni Mareſchallo Wichleffo faventibus, & Londinenſi Epiſcopo, qui hominem de hæreſi delatum in Præſulum conſeſſu ſedere non patiebatur, minas intentantibus, populo pro Epiſcopis ſtante, id unum in eo tumultu actum eſt, ut Wichleffo ſilentium indiceretur.

III. Perlatâ interim ad Gregorium XI. novæ hereſis famâ, ac errorum 19. Capitibus ex Wichleffi libris excerptis ad eum tranſmiſſis, ipſos ex Cardinalium conſilio damnavit, Literaſque ſeu Bullas dedit: primam ad Cantuarienſem & Londinenſem Epiſcopos, dolens, quòd Wichleffum errores Marſilii Patavini & Janduni à Joanne XXII. damnatos innovantem non ſtatim compreſſerint; præcipiens, ut eum comprehenſum examini ſubjiciant, ejuſque reſponſa ad ſe tranſmittant, eumque, implorato etiam brachio ſeculari recluſum detineant. Scriptæ ſunt hæ Literæ 22. Maii 1377. Eâdem die alias quatuor Literas dedit, nimirùm ad præfatos Epiſcopos duas, quarum unâ præcipit ut citent Wichleffum ad coram ſe comparendum, alterâ, quâ ejus à ſe damnatos errores ad eos tranſmittit. Aliam ſcripſit ad Eduardum III. Angliæ Regem, adhortans ipſum ac filios, ut tam juſtæ cauſæ manum adjutricem præſtent. Tertiam ad Oxonienſem Univerſitatem, Doctorum illius torporem incuſans, eoſque excitans, ut Wichleffum ad præfatos Præſules tranſmittant.

IV. Antequam tamen præfata Gregorii XI. Diplomata pervenirent in Angliam, Eduardus Rex fato functus fuerat, nam 21. Junii ejuſdem anni 1377. diem clauſit extremum. Annis propè quinquaginta unum Regnum adminiſtraverat: at in extremis vitæ ſuæ temporibus à perditiſſimo ſcorto (de quo ſupra) obſeſſus, ac ſalutis æternæ oblitus, loquelâ in extremis privatus abſque Sacramentis deceſſit: ac Regnum Richardo filio undecimum ætatis annum agenti reliquit. Acceptis Gregorii Diplomatibus, Cantuarienſis & Londinenſis Præſules Gregorii mandatis obſequentes Cancellario Univerſitatis Oxonienſis, ut ea impleret, ſcripſere. Cauſæ tamen proſecutio aliquandiù detenta fuit, tum ob mortem Gregorii Papæ 22. Martii 1378.; tum ob novi regiminis viciſſitudines, maximè Lancaſtriæ Duce, & Magno Regni Mareſchallo Wichleffi partes agentibus.

V. Nihilominùs acceptis Gregorii Literis, Epiſcopi Lambetham convenientes Wichleffum in jus vocaverunt, ut pravæ doctrinæ rationem redderet. Sed ipſis fucum fecit verſipellis Hæreſiarcha, objectos enim articulos ita interpretatus eſt, ut nihil ab Ec-

Eccleſiæ doctrina alienum ſenſiſſe, ſed obſcurè, novè, & imprudenter dumtaxat locutus videretur. Quamobrem cùm ſe paratum ad revocandum, ſi in aliquo à fide excidiſſet, proteſtaretur, accedente fautorum ſuorum auctoritate, impunè dimiſſus eſt, indicto impoſterum ſilentio. Interim Joannes Ballæus Presbyter, qui Wichleffo ſe adjunxerat, audacior Magiſtro errores prædicare cœpit, & quamvis ſæpiùs prohibitus, & in carcere recluſus, ſed indè elapſus, excitatâ in populo contra Simonem Epiſcopum Cantuarienſem conjuratione, anno 1381. egit, ut conjuratorum gladiis Simon trucidaretur. Cujus tamen ſceleris debitas pœnas luit. Nam Richardi Regis mandato ſuſpenſus, capite plexus fuit, ejuſque corpus in quatuor partes diſſectum.

VI. Simoni Subdurienſi occiſo in Archiepiſcopatu Cantuarienſi Guillelmus Courtenejus ſucceſſit. Hic Synodum habuit Londini in Conventu FF. Prædicatorum ad Wichleffi configendam & profligandam hæreſim anno 1382. ubi decem cum Primate Epiſcopi, omnium Ordinum Theologi, ac Juris Canonici Doctores adfuere; quibus vigintiquatuor Wichleffi propoſitiones examinandæ commiſſæ ſunt: eorumque auditâ relatione ac cenſurâ, declaravit Synodus, decem priores eſſe hæreticas, quatuordecim verò poſteriores eſſe erroneas, & determinationi Eccleſiæ contrarias. Has recenſent Alexandre in Hiſt. Sec. 13. & 14. cap. 3. art. 22. §. 6. & Du Pleſſis Tom. 1. p. 2. pag. 14. At quia omnes continentur inter damnatas à Concilio Conſtantienſi, de quibus infra, ideò ab eis referendis modò ſuperſedeo. In hac Synodo habita quæſtio fuit in Nicolaum Hereford, Philippum Rapingdon, & Joannem Ayſton. Duo priores hæreſeos præcipua capita damnarunt quidem, ſed vocibus ambiguis; ideòque datæ ſunt eis induciæ, ut fidem damnatis articulis oppoſitam clariùs profiterentur; aliàs damnationis ſententiam excepturi. Tertius petulantiùs reſpondens, ac hæreſeos ſtatim convictus, damnatus eſt. Coram hac Synodo Wichleffus ſe ſiſtere à Lancaſtriæ Duce compulſus eſt, ac errores ſub præſcriptâ formulâ ejurare. Quid factum ſit, ignoratur. Hoc certum eſt, eum in ſua pertinacia perſtitiſſe.

VII. Wichleffo, verè lupo Chriſti oves rapienti ac diſpergenti, Divina ultio non defuit: dum enim anno 1385. in feſto S. Thomæ Cantuarienſis Epiſcopi & Martyris loco panegyris ejus nomen ſatyrâ proſcindere paraſſet, repentè paralyſi ſeu apoplexiâ percuſſus, ac linguæ uſu privatus, poſt duos dies, nempè in feſto S. Sylveſtri, animam non Deo reddidit, ſed in æternum cruciandam Diabolo tradidit. Rem ita narrat Thomas de Walſingam in Libro Hypodigma Neuſtriæ pag. 537. „ In feſto Paſſionis S. Thomæ

Digitized by Google

„ mæ Cantuarienſis Archiepiſcopi, organum Diabolicum, hoſtis „ Eccleſiæ, vulgi confuſio, hæreticorum idolum, hypocritarum „ ſimulacrum, ſchiſmatis inſtaurator, mendacii promptuarium, „ adulationis ſentina Joannes Wikleff, percuſſus Dei judicio horribili, tactus eſt paralyſi in corpore ſuo toto, protelavit inviſam „ vitam uſque ad diem S. Sylveſtri. Quo die malitioſum efflavit „ ſpiritum ad ſedes luce carentes. Et quidem ſatìs juſtè die Sancti „ Thomæ percuſſus eſt, quem multoties linguâ blaſphemaverat „ venenatâ, & die S. Sylveſtri temporali morte damnatus eſt, „ quem crebris invectionibus exaſperaverat in dictis ſuis. „

VIII. Hæreſim tamen cum ſuo Auctore minimè ſepultam, ſed pernicioſiùs graſſantem compeſcere, eam maximè juvante exorto in Eccleſia ſchiſmate, ſummus labor fuit, donec à Concilio Conſtantienſi ſuffocata, in multis capitibus in Luthero Calvino eorumque Sectariis revixit, ut infra dicam.

§. II.

Wichleffianæ hæreſis errores damnati.

I. Simone Subdurienſi defuncto, Archiepiſcopi Cantuarienſes qui ei ſucceſſerunt, in hæreſi exterminanda laborarunt: contra eam Thomas Arundellius anno 1396. Synodum celebravit, in qua decem & octo articulos ex Wichleffi Trialogo excerptos damnavit, quos Alexandre citato loco recenſet. Idem Archipræſul anno 1408. alteram Synodum Oxonii habuit; ex quo 13. decreta contra hanc hæreſim ſequenti anno Londini promulgavit. Inſuper prohibuit, ne de articulis per Eccleſiam damnatis, ac de dogmatibus Eccleſiæ judicio conſtitutis & confirmatis ampliùs diſputatio haberetur. Wichleffi Libros, alioſque legi vetuit, niſi ab Oxonienſi vel Cantabrigienſi Academia examinatos, & ab Archiepiſcopo Cantuarienſi approbatos. Neminem ad prædicandum mitti, niſi miſſionis ſuæ fidem legitimis documentis faciat. Quia verò in Oxonienſi Academia Scholaſtici Wichleffianæ hæreſis virus non pauci hauſerant, Gymnaſiarchas ſingulis menſibus in doctrinam & mores Scholaſticorum inquirere, & contra eos qui ſuſpicione, vel infamiâ hæreſis laborare reperti fuerint, procedi de jure poſſe declaravit. Tandem quia Scripturæ Sacræ Verſionibus in linguam vulgarem editis (quæ hæreticorum ars eſt) errores ſuos tueri Wichleffiſtæ conabantur, vetuit, ne Scripturæ Sacræ Verſio fieret, ac evulgaretur, niſi Verſio ipſa à diœceſano Epiſcopo vel à Provinciali Synodo approbata fuiſſet. Nam, inquit Can. 7. Synodi: Pe-

Periculoſa res eſt, teſtante B. Hieronymo, textum Sacræ Scripturæ de uno in aliud idioma transferre: eò quòd in ipſis translationibus, non de facili idem in omnibus ſenſus retinetur, prout idem Beatus Hieronymus, etſi inſpiratus fuiſſet, ſe in hoc ſæpiùs fatetur erraſſe. De hoc extat quoquè Tridentini Decretum ſeſſ. 4. de Canonicis Script.

II. Wichleffi doctrinam damnavit, ac Libros prohibuit Joannes XXIII. in Synodo Romana anno 1413. eoſque ab Ordinariis locorum cenſuris Eccleſiaſticis conquiſitos ignibus publicè concremari juſſit. Contra eos verò, qui ejuſmodi Libros retinuerint, legerint, expoſuerint, docuerint, laudaverint, tanquam ſuſpectos de fide procedi: ac tandem omnibus qui Wichleff memoriam ac Libros Dialogi, Trialogi, alioſque tueri vellent, præcepit, ut infra novem menſes apud Sedem Apoſtolicam comparerent, dicturi & allegaturi quidquid vellent, in ejus defenſionem, ne idem Joannes licèt ab humanis ereptus de hæreſi condemnaretur. Synodale hoc Joannis XXIII. decretum habetur Tom. 8. Concil. edit. Harduini pag. 203.

III. In eodem Tomo, eodemque anno legitur alia Synodus à præfato Thoma Arundellio Archiepiſcopo Cantuarienſi Londini coacta contra Joannem Oldcaſtell virum nobilem & potentem Wichleffianæ Sectæ profeſſorem, ac fautorem pertinaciſſimum, ipſi Regi valde carum. Qui cùm ſæpè citatus ad cauſam ſuam dicendam nunquam paruiſſet, à Rege tandem in Turri Londinenſi incluſus, ab ea evocatus coram Synodo ſtetit die 25. Septembris, ubi ab Archiepiſcopo ſuaviter admonitus, ut ſuum ejuraret errorem, & Eccleſiæ abſolutionem admitteret, & pertinaciter negaret, dicens ſe à ſolo Deo abſolutionem petiturum; de Articulis ſibi objectis, ut reſponſum daret requiſitus fuit.

Ad primum ergo de Euchariſtia reſpondit ſe credere: *Quòd ſicut Chriſtus in terra degens, habuit in ſe Divinitatem & humanitatem, Divinitatem tamen velatam & inviſibilem ſub humanitate, quæ in eo aperta & viſibilis fuerat: ſic in Sacramento Altaris eſt verum Corpus, & verus panis videlicet, quem videmus, & Corpus Chriſti ſub eodem velatum, quod non videmus.* Cùmque ipſi Romanæ Eccleſiæ doctrina & ſententia objiceretur, dixit: *Quòd determinatio Eccleſiæ facta eſt contra Sacram Scripturam, poſtquam Eccleſia dotata eſt, & venenum infuſum in Eccleſiam, & non ante.*

De Pœnitentia & Confeſſione dixit: *Quòd ſi aliquis eſſet in gravi peccato conſtitutus, à quo ipſe ſurgere neſciret, expediret & bonum eſſet ſibi adire aliquem ſanctum & diſcretum Sacerdotem pro conſilio ab eo habendo: ſed quòd confiteretur peccatum ſuum proprio* Cu-

Curato, ſeu alteri Presbytero, etiamſi haberet copiam ejuſdem, non eſt neceſſarium ad ſalutem, quia ſola contritio hujuſmodi peccatum delere poſſet, & ipſe peccator purgari.

De Adoratione Sanctæ Crucis interrogatus, dixit: *Quòd ſolum Corpus Chriſti, quod pendebat in Cruce debuit adorari, quia illud Corpus ſolum fuit & eſt adorandum.* Et interrogatus, quem honorem faceret imagini ipſius Crucis, reſpondit verbis expreſſis: *Quòd illum honorem ſolum faceret illi, quòd benè mundaret eam, & poneret in bona cuſtodia.*

Quo autem ad poteſtatem clavium, Dominum Papam, Archiepiſcopos, & alios Prælatos dixit: *Quòd Dominus Papa eſt verus Antichriſtus, hoc eſt, caput ejuſdem; Archiepiſcopi & Epiſcopi, necnon alii Prælati, ſunt membra; & Fratres* (ideſt viri Religioſi) *cauda ejuſdem. Quibus Papæ Archiepiſcopis Epiſcopis & aliis Prælatis, non eſt obediendum, niſi quatenus fuerint imitatores Chriſti & Petri in vita, moribus, & converſatione.* Et hoc dixit idem Joannes altâ voce, manibus expanſis, alloquendo circumſtantes: *Iſti qui judicant & volunt damnare me, ſeducunt vos omnes, & ſe ipſos, & vos ducent ad Infernum; & ideò caveatis ab eis.*

IV. Hâc impudenti, ac effræni pertinaciâ coram Synodo locutus fuit Joannes Oldcaſtell. At Archiepiſcopus mœſtâ ac flebili voce quantum potuit adhortabatur, ut reſipiſceret; videns autem, ſe in nullo poſſe proficere, cum magna cordis amaritudine, proceſſit ad definitivam ſententiam, quâ eum hæreticum declaravit. His peractis Dominus Cantuarienſis de præmiſſis Regem certiorem fecit, poſtulans, ut dicto Joanni juridicè damnato inducias quadraginta dierum ad reſipiſcentiam gratiosè concederet; cui Rex, qui æquè ac Archiepiſcopus, animæ ſalutem Joanni peroptabat, libenter annuit. Reductus ergo fuit ad Turrim: ſed tantum abfuit, ut perfidus ille tantâ indulgentiâ uteretur ad reſipiſcendum, quin potiùs miſſis clam litteris ac nuntiis ad ſequaces ſuos etiam milites, eos ad vindictam ſui concitabat. Quare è Turri elapſus ingenti Lolhardorum turbâ (hoc enim nomine ut ſupra dixi cap. 100. §. 2. Wichleffiſtæ, vocabantur) ſeditionem in Regno parabat. Quâ compertâ, & à Rege pluribus ex eis diſſipatis & captis, tandem Joannes Oldcaſtell in manus Regis traditus igne combuſtus eſt, ut Balæus commemorat Centuria 7. pag. 543. Hoc zelo Anglicani Præſules ipſique Reges Wichleffi dogmata ut hæretica deteſtabantur, quæ tamen & alia plura lugendo fato poſtea amplexi, Anglicanam Eccleſiam Fidei Catholicæ ſeveram antea cuſtodem, in omnium hæreſeon lupanar converterunt: atque utinam in magis noxios ac turpiores errores ſe ſe in dies non proſtitueret.

V. Tandem Wichleffi doctrina, ſerio examine à Synodo Conſtantienſi præmiſſo, ſeſſione 8. anno 1415. latâ ſententiâ damnata fuit, ac ex ea 45. articuli, plures ut notoriè hæretici, & à SS. Patribus dudum reprobati, alii non Catholici ſed erronei, alii ſcandaloſi & blaſphemi, quidam piarum aurium offenſivi, aliqui temerarii & ſeditioſi declarati fuerunt. Hos eodem ordine, quo in Concilio referuntur, Lectori meo ſubjiciam, ut cùm viderit eos ferè in omnibus convenire cum iis, quos moderni Sectarii profitentur, concludat, quòd licèt per omnes ferè hæreſes divagentur, ex Wichleffi tamen fonte plurima ebiberunt, ut advertit anno 1528. Concilium Senonenſe in Præfat.

VI. Primus ex damnatis à Concilio Conſtantienſi Wichleffi articulis eſt: *Subſtantia panis materialis, & ſimiliter ſubſtantia vini materialis, remanent in Sacramento Altaris.* Ex hoc fonte Lutherum & Calvinum idem hauſiſſe, nemo non videt.

2. *Accidentia panis non manent ſinè ſubjecto in eodem Sacramento.*

3. *Chriſtus non eſt in eodem Sacramento identicè & realiter in propria præſentia corporali.* In hoc licèt varius apparuerit Wichleffus, perſtitit tamen Calvinus.

4. *Si Epiſcopus, vel Sacerdos exiſtat in peccato mortali, non ordinat, non conſecrat, non conficit, non baptizat.*

5. *Non eſt fundatum in Evangelio, quòd Chriſtus Miſſam ordinaverit.* Hinc Lutherus, & Calvinus accepere.

6. *Deus debet obedire Diabolo.*

7. *Si homo fuerit debitè contritus, omnis confeſſio exterior eſt ſuperflua & inutilis.* Hoc Lutherus & Calvinus didicere.

8. *Si Papa ſit præſcitus & malus, & per conſequens membrum Diaboli, non habet poteſtatem ſuper fideles ſibi ab aliquo datam, niſi fortè à Cæſare.*

9. *Poſt Urbanum VI. non eſt aliquis recipiendus in Papam, ſed vivendum eſt more Græcorum ſub legibus propriis.*

10. *Contra Scripturam Sacram eſt, quòd viri Eccleſiaſtici habeant poſſeſſiones.*

11. *Nullus Prælatus debet aliquem excommunicare, niſi priùs ſciat, excommunicatum à Deo: & qui ſic excommunicat, ſit ex hoc hæreticus, vel excommunicatus.*

12. *Prælatus excommunicans Clericum, qui appellavit ad Regem, vel ad Concilium Regni, eo ipſo traditor eſt Regis & Regni.*

13. *Illi qui dimittunt prædicare, vel audire verbum Dei propter excommunicationem hominum, ſunt excommunicati, & in Dei judicio traditores Chriſti habentur.*

14. *Licet*

Digitized by Google

14. *Licet alicui Diacono, vel Presbytero prædicare verbum Dei abſque auctoritate Sedis Apoſtolicæ, ſive Epiſcopi Catholici.*

15. *Nullus eſt Dominus civilis, nullus eſt Prælatus, nullus eſt Epiſcopus, dum eſt in peccato mortali.*

16. *Domini temporales poſſunt ad arbitrium ſuum auferre bona temporalia ab Eccleſia, poſſeſſionatis habitualiter delinquentibus, ideſt ex habitu non ſolùm actu delinquentibus.*

17. *Populares poſſunt ad ſuum arbitrium Dominos delinquentes corrigere.*

18. *Decimæ ſunt puræ eleemoſynæ, & poſſunt Parochiani propter peccata ſuorum Prælatorum, ad libitum ſuum eas auferre.*

19. *Speciales orationes applicatæ uni perſonæ per Prælatos, vel Religioſos, non plus proſunt eidem, quàm generales, cæteris paribus.*

20. *Conferens eleemoſynam Fratribus eſt excommunicatus eo facto.*

21. *Si quis ingreditur Religionem privatam qualemcumque, tam poſſeſſionatorum, quàm mendicantium, redditur ineptior & inhabilior ad obſervantiam mandatorum Dei.*

22. *Sancti inſtituentes Religiones privatas, ſic inſtituendo peccaverunt.*

23. *Religioſi viventes in Religionibus privatis, non ſunt de Religione Chriſtiana.*

24. *Fratres tenentur per laborem manuum victum acquirere, & non per mendicitatem.*

25. *Omnes ſunt ſimoniaci, qui ſe obligant orare pro aliis, eis in temporalibus ſubvenientibus.*

26. *Oratio præſciti nulli valet.*

27. *Omnia de neceſſitate abſoluta eveniunt.* Hinc Lutherus liberum arbitrium oppugnare didicit.

28. *Confirmatio juvenum, Clericorum ordinatio, locorum conſecratio, reſervatur Papæ & Epiſcopis propter cupiditatem lucri temporalis & honoris.* Lutherus & Calvinus non diſſimiliter locuti ſunt.

29. *Univerſitates, Studia, Collegia, Graduationes & Magiſteria in eiſdem, ſunt vanâ Gentilitate introducta, & tantum proſunt Eccleſiæ ſicut Diabolus.*

30. *Excommunicatio Papæ, vel cujuſcumque Prælati non eſt timenda, quia eſt cenſura Antichriſti.* Juxta Wichleſſum ſentit Lutherus.

31. *Peccant fundantes Clauſtra, & ingredientes ſunt viri diabolici.*

32. *Ditare Clerum eſt contra regulam Chriſti.*

33. *Sil-*

33. *Silveſter Papa & Conſtantinus Imperator erraverunt Eccleſiam dotando.*

34. *Omnes de Ordine Mendicantium ſunt hæretici: & dantes eis eleemoſynam ſunt excommunicati.*

35. *Ingredientes Religionem, aut aliquem Ordinem, eo ipſo inhabiles ſunt ad obſervanda Divina præcepta, & per conſequens ad perveniendum ad Regna Cœlorum, niſi apoſtataverint ab eiſdem.* An ita ſenſerint Lutherus & Calvinus, eorum Libri & exempla ſatis oſtendunt.

36. *Papa cum omnibus Clericis ſuis poſſeſſionem habentibus ſunt hæretici, eò quòd poſſeſſiones habent: & conſentientes eis, omnes videlicet Domini ſeculares, & cæteri laici.*

37. *Eccleſia Romana eſt Synagoga Satanæ: nec Papa eſt proximus & immediatus Vicarius Chriſti & Apoſtolorum.* In hunc errorem omnes Novatores conſpirant.

38. *Decretales Epiſtolæ ſunt apocryphæ, & ſeducunt à fide Chriſti; & Clerici ſunt ſtulti, qui ſtudent eas.* Hoc ſe tenere comprobavit facto Lutherus, qui eas publicè combuſſit.

39. *Imperator & Domini ſeculares ſunt ſeducti à Diabolo, ut Eccleſiam dotarent bonis temporalibus.*

40. *Electio Papæ à Cardinalibus à Diabolo eſt introducta.*

41. *Non eſt de neceſſitate ſalutis credere Romanam Eccleſiam eſſe ſupremam inter alias Eccleſias.* In hoc ſuæ hæreſis baſim collocarunt Lutherus & alii.

42. *Fatuum eſt credere Indulgentiis Papæ & Epiſcoporum.* Ab hoc hæreſis ſuæ exordia ſumſit Lutherus, quem cæteri Sectarii ſecuti ſunt.

43. *Juramenta illicita ſunt, quæ ſiunt ad corroborandos humanos contractus & commercia civilia.*

44. *Auguſtinus Benedictus & Bernardus damnati ſunt, niſi pœnituerint de hoc quòd habuerunt poſſeſſiones, & inſtituerunt & intraverunt Religiones: & ſic à Papa uſque ad ultimum Religioſum omnes ſunt hæretici.*

45. *Omnes Religiones indifferenter introductæ ſunt à Diabolo.*

VII. Hi ſunt Articuli, quos Concilium Conſtantienſe in Wichleffo expreſsè damnavit. Ac inſuper quia Oxonienſis Academia alios ducentos ſexaginta, qui cum prædictis in ſententia coincidunt, licèt in ſenſu verborum, partim ut hæreticos, partim ſeditioſos, alios erroneos, temerarios, inſanos ex Wikleffi Libris collectos cenſorio ſtigmate confixit: hos etiam ſuâ præfatâ damnatione ſe complecti præfata Conſtantienſis Synodus proteſtatur. Wichleffi quoquè Dialogum, & Trialogum, cæteroſque Libros repro-

Digitized by Google

probavit, & ignibus tradi juſſit, ſicut in Concilio Romano ultimo ſub Joanne XXIII. ſtatutum fuerat. Ac demùm Joannem Wichleffum pronuntiat hæreticum, memoriam ejuſdem condemnat, ac ejus oſſa, ſi ab aliis fidelium corporibus diſcerni poſſint, exhumari, & procul ab Eccleſiaſtica ſepultura jactari jubet. Hæc omnia eâdem ſeſſ. 8. legi poſſunt.

VIII. Non ſolùm autem Eccleſiaſtica, ſed Regia etiam auctoritas in exterminationem Wichleffianæ hæreſis conſpiravit. Primus fuit Richardus II. cujus pro Catholica fide ſtudium privatis commodis prævaluit. Ut enim ejus Majeſtatem ac Regni Proceres ſibi addiceret, anno 1382. plures propoſitiones, eò tendentes ut Eccleſia Principibus omninò ſubjiceretur, Parlamento Wichleffus callidè obtulerat; quarum prima hæc erat: *Quòd Rex aut Regnum nulli Sedi vel Prælato obediat, niſi de quanto ex fide Scripturæ ſonat in obedientiam Jeſu Chriſto. Patet, quia aliter præponetur Chriſto in obedientia Antichriſtus. Omnis enim obedientia, quæ non ſit Chriſto, ſit Antichriſto: Quia Lucæ* 2. „ Qui non eſt mecum &c. „

2. *Quòd nec Curiæ Romanæ, nec Avenionicæ, nec alicui exteræ, emittatur Regni pecunia, niſi doceatur, hoc eſſe debitum ex Scriptura.*

3. *Quòd nec Cardinalis, nec alius habeat fructum Eccleſiæ vel prabendæ de Anglia, niſi vel ritè reſideat, vel occupetur legitimè in cauſa Regni, à Proceribus rationabiliter approbata.*

4. *Quòd Rex & Regnum tenentur deſtruere Regni proditores, & ſuos à ferocibus inimicis defendere.*

5. *Quòd Regni communitas non oneretur tallagiis inſuetis, antequam totum Patrimonium, quo Clerus dotatur deficiat. Patet, quia omnia iſta ſunt bona pauperum, caritativè exponenda ad eorum egentiam, vivente Clero in perfectione primariæ paupertatis.*

6. *Quòd quocumque Epiſcopo vel Curato dotato de Anglia, in contemtum Dei notoriè incidente, nedum liceat Regi, ſed teneatur ſua temporalia confiſcare.*

7. *Quòd Rex nullum Epiſcopum, vel Curatum mancipet ſuo miniſterio ſeculari. Quia tam Rex, quàm Clerus fieret proditor Jeſu Chriſti.*

8. *Quòd Rex nullum propter moram in excommunicatione incarceret, antequam ſecundùm Legem Dei ſit docta eſſe licita.* Has propoſitiones, quas refert Walſinghamus in Richardo II., Anglicani Proceres, ut par erat, rejecerunt.

IX. Anno inſuper 1388. Rex ſolemni Edicto Libros & ſcripta omnia Joannis Wichleffi, Nicolai Herfordii & Joannis Aſton, ubicumque in Regno ac ditionibus ſuis inveniri poſſent, ad Conſilium ſuum

ſuum deferri juſſit, ignibus tradenda, & illa à quovis ſubditorum ſuorum ſervari, legi, deſcribi, vendi, aut emi prohibuit, vel damnatos Wichleffi errores propugnari ſub pœna carceris. Edicto hâc formâ Rex ſubſcribit: *Teſte me ipſo apud Weſtmonaſterium 23. die Maji anno Regni noſtri XI.* Edictum legere eſt apud Henricum de Knigton Lib. 5. de Eventibus Angliæ.

X. Richardo ſicut in Regia dignitate, ita & in zelo Wichleffiſtarum hæreſis exterminandæ Henricus IV. & Henricus V. filius, ſucceſſere. Porrò, ut refert Nicolaus Harpsfeldius cap. 17. Hiſtoriæ Wichleffianæ, unus ex præcipuis ſcopis, quò Wichleffiani collimabant, erat, ut Clerum bonis omnibus temporalibus ſpoliarent, eumque ad ſummam egeſtatem redigerent. Ajebant enim, ex temporalibus poſſeſſionibus, quas Eccleſia, Religioſi Monachi, & Clerici indebitè uſurpabant, incredibilem Regno fructum allatum iri: Poſſe nempè ex his emolumentis 15. Comites, centum & ultra Equeſtris Ordinis homines, duo millia armigerorum ad Reipublicæ defenſionem foveri. Poſſe præterea centum pauperum hoſpitia ædificari præter viginti mille librarum annuos proventus, qui Regio fiſco accederent. Hoc ſub utilitatis & pietatis ſpecie aucupio, Reges ac Proceres facilè irretiendos & ad ſuos errores trahendos ſperabant.

XI. Tentata res eſt ſub Richardo, iterùm ſub Henrico IV. ac tertiò ſub Henrico V. At piiſſimi Reges privatis commodis Dei & Eccleſiæ honorem præferentes, aditum omnem huic fraudi obſtruxere, quin & eorum inſolentiam frænare conati ſunt. Uterque Henricus ſeveriſſimis legibus eos coercuit. Henricus pater Comitiorum ſupremorum auctoritate ſtatuit, ne quiſquam ſinè Epiſcopi licentia prædicandi officium ſibi aſſumeret; ne ad prava & damnata dogmata docenda conventus faciat; ne quis talia docentibus aures præbeat; ne damnatos Libros quis teneat; & ut qui obſtinati in erroribus perſiſterent, ad terrorem & exemplum aliorum incendio abſumerentur: miſitque ſelectiſſimos ex ſuo Conſilio viros ad Epiſcoporum Synodos, qui eorum zelum ac vigilàntiam excitarent. Patris pietati Henricus V. filius addidit, ut qui ob hæreſim ſupplicio damnarentur, omnibus bonis ac poſſeſſionibus privarentur, & inſuper Cancellarios omnes, ac Civitatum Prætores prævio juramento adſtrinxit, ut pro hæreſum exterminatione Epiſcopis adjumento eſſent, de hæreticis ac eorum fautoribus ſummo ſtudio inquirerent, captoſque ad Epiſcopos remitterent.

XII. Hæc mei Lectoris oculis ſubjicere volui, ut videns quanto zelo pro Fide, pro Eccleſia, ejuſque tuendis juribus, atque hæreſibus ea oppugnantibus exterminandis, Angliæ Reges ac Proceres olim

olim operati ſunt: ac deindè ſe convertens ad tempora quæ ab Henrico VIII. uſque ad præſentia fluxere, ac videns præfati Regni faciem in adverſam mutatam, & quæ tanta pro fide Catholica & Eccleſia, ejuſque tuendis juribus, ac hæreſibus eliminandis geſſit, modò factam Eccleſiæ Fideique Catholicæ hoſtem acerrimam, omnium hæreſeon tutum aſylum, ſolis Catholicis exterminandis, omnique etiam civili honori privandis intentam, ac in dies in errorum barathrum ruentem, adeò ut ex ea non pauci Deum vix agnoſcere dignentur; ſupplex Deum exoret, ut eorum ad Veritatem gratiâ ſuâ oculos aperiat, corda ad reſipiſcentiam flectat, & ad Fidei ac Eccleſiæ obedientiam reducat: & noſtris diebus renovetur gaudium, quo ſe perfundi (Epiſt. 28. aliàs 58. ad Auguſtinum) S. Gregorius teſtatur: *Quis narrare ſufficiat, quanta hìc lætitia in omnium corde Fidelium fuerit exorta, quòd gens Anglorum, operante Omnipotentis Dei gratiâ... expulſis errorum tenebris, Sanctæ Fidei luce perfuſa eſt, quòd mente integerrimâ jam calcata Idola, quibus priùs veſano amore ſubjacebat: quòd Omnipotenti Deo puro corde ſubſternitur: quòd à pravi operis lapſibus ſanctæ prædicationis regulis ligatur: quod præceptis Divinis animo ſubjacet, & intellectu ſublevatur; quòd uſque ad terram ſe in oratione humiliat, ne mente jaceat in terra. Cujus hoc opus eſt, niſi ejus qui ait* „ Pater meus uſque modò operatur, & ego operor? (Joan. 5. v. 17.) „ Faxit Deus, qui Anglos ad Fidem convertit, ut ad Fidem quam primò ſuſceperunt, integrè & ex corde revertantur.

XIII. Alia contra Wichleffum, ejuſque Sectarios ſupereſſent dicenda; ſed quia de his plura dicunt Auctores, & præcipuè Thomas Waldenſis tres Tomos eruditè confecit; & cùm pleraque ex Wichleffo moderni hæretici Lutherus & Calvinus excerpſerint, contra quæ in Vera Eccleſia & alibi agi; ideò longiorem in eo refutando trahere moram, operæ pretium non exiſtimo.

XIV. Joannem quoquè de Monterono mei Ordinis de pluribus erroribus damnatum prætereo: non quòd eum non damnem, cùm potiùs inſanæ temeritatis illum accuſem. Sed quia contra eum fusè agunt Alexandre in Hiſt. Sec. 13. & 14. cap. 3. art. 23. & Du Pleſſis Tom. 1. p. 2. à pag. 61. qui eum errantem quidem, ſed non formaliter hæreticum traducere videntur, ideò, ut ad graviora tranſeam, ipſum dimittam.

* * *
* *
*

CAPUT CV.

De Huſſitis.

§. I.

Hæreſis origo, Authores, & furor.

I. DUm acerbi ſchiſmatis incendio Romana conflagraret Eccleſia, & Bohemiæ Regnum obtineret Wenceslaus, cui vinum & ſomnus magis dominabantur, quàm ipſe ſubditis: *Vino ciboque marcens, lucemque dormiendo nocti conjungens* (ait Æneas Sylvius Hiſt. Bohemiæ cap. 34.) anno circiter milleſimo quadringenteſimo octavo Huſſitarum hæreſis Pragæ erupit ex Joannis Wichleffi Libris peſtilentiſſimis à Joanne Hus Presbytero, & in Academia Pragenſi Magiſtro Artium deindè Rectore, excitata, cui æmulatio inter Magiſtros orta occaſionem dedit. Rem narrat eodem loco c. 35. Æneas Sylvius: *Sub hoc Rege* (Wenceslao) *noſtrâ demum memoriâ, ætatis verò ſuæ anno circiter quinquageſimo, perfida Huſſitarum inſania ortum habuit, cujus & originem & progreſſum hoc loco proſequi animus eſt, quando ea peſtis omnem penè Germaniam conturbavit, neque adhuc extincta Regni Bohemici magnam partem occupat. Rexerunt Scholam Pragenſem uſque ad ea tempora* Theutones. *Id moleſtiſſimum* Bohemis *fuit, hominibus naturâ ferocibus atque indomitis. Ex quibus vir quidam genere nobilis, ex domo quam* Putridi piſcis *vocant, apud Oxoniam Angliæ Civitatem literis ſtudens, cùm Joannis Wikleffi Libros offendiſſet, quibus* de realibus univerſalibus *titulus inſcribitur, magnoperè illis oblectatus exemplaria ſecum attulit: inter quæ* de Civili, de Jure Divino, de Eccleſia, de diverſis Quæſtionibus, contra Clerum pleraque volumina, *veluti pretioſum theſaurum patriæ ſuæ intulit.*

II. *Imbutus jam ipſe Wiclevitarum veneno & ad nocendum paratus, tum quod erat familiæ ſuæ cognomen* Putridum piſcem, *ideſt* fœtidum virus *in Cives ſuos evomuit. Commodavit autem ſcripta quæ attulerat his potiſſimè, qui Theutonicorum odio tenebantur, inter quos Joannes eminuit obſcuro loco natus, ex villa* Hus, *quod* Anſerem *ſignificat, cognomentum mutuatus. Hic cùm eſſet ingenio peracri, & linguâ diſertâ, multumque dialecticis oblectaretur, & peregrinas opiniones amaret, avidè admodum Wiclevitarum doctrinam arripuit, eâque Theutonicos vexare Magiſtros cœpit, ſperans eo modo confuſos Theutones, Scholas relicturos. Quod cùm ſuccederet, à Wenceslao* im-

impetratum, ut Pragenſe Gymnaſium ritu Pariſienſis gubernaretur. Ea res Magiſtratum Scholæ Theutonibus abſtulit. Quam ob cauſam commoti Magiſtri ac diſcipuli Theutonici generis, jurejurando adacti, uno die ſupra duo millia ſecuti, apud Lipſicam Miſniæ civitatem trium dierum itinere à Praga diſtantem univerſale ſtudium erexere. Bohemis Scholæ ſuæ gubernatio liberè patuit, quorum princeps eſt habitus Joannes Hus, linguâ potens, & mundioris vitæ opinione clarus. Qui ubi ſatis fidei comparatum ſibi exiſtimavit, venenum quod jampridem occultè conceperat, palam evomuit.

III. *Fundaverat opulentus quidam civis in urbe Pragenſi ſub nomine Sanctorum Matthiæ & Matthæi haud ignobile Templum, quod* Bethlehem *appellavit. Redditibus additis, ex quibus duo prædicatores alerentur, qui feſtis profeſtiſque diebus verbum Dei Bohemico ſermone plebibus inſinuarent. Horum alter Joannes aſſumtus eſt. Qui cùm ſe libenter audiri animadverteret, multa de libris Joannis Wiclevi in medium attulit, aſſerens in eis omnem veritatem contineri, adjicienſque crebrò inter prædicandum, ſe poſtquam ex hac luce migraret, in ea loca proficiſci cupere, ad quæ Wiclevi anima perveniſſet, quem verum fuiſſe, bonum, ſanctum, cœloque dignum non dubitaret.*

Sequebantur Joannem Clerici ferè omnes ære alieno gravati, ſceleribus ac ſeditionibus inſignes, qui rerum novitate evadere pœnas arbitrabantur. His & nonnulli doctrinâ celebres juncti erant, qui cùm in Eccleſia conſequi dignitatem non potuiſſent, iniquo animo ferebant ſacerdotia majorum cenſuum his committi, qui quamvis nobilitate præirent, ſcientiâ tamen viderentur inferiores. Excæcavit eos invidia, ut qui viderant, & qui intellexerant non intelligerent. Proruperunt in blaſphemias, & cùm aliquibus ignaris fortaſsè ac vitioſis maledicere poſſent, in omnes latrare Sacerdotes cœpere, & ab Eccleſia Catholica recedentes Waldenſium Sectam atque inſaniam amplexi ſunt. Hæc de ortu Huſſitanæ hæreſis Æneas Sylvius poſtea Pius II. Romanus Pontifex.

IV. Ex præcipuis qui Joannis Hus erroribus adhæſere, fuerunt Hieronymus de Praga, vir perſpicacis ingenii in Pariſienſi, Pragenſi, Colonienſi, & Heildebergenſi Univerſitatibus Doctor, & Jacobellus Miſnenſis, qui in Eccleſia S. Michaelis tunc magno cum populi plauſu conciones habebat. Petrus autem Dreſenſis, qui cum aliis Theutonibus paulò ante Bohemiam reliquerat, cognitus inter ſuos, quia Waldenſi leprâ infectus eſſet, & ideò patriâ pulſus, Pragam velut hæreticorum aſylum repetiit, ibique puerorum docendorum curam accepit. Hic ergo Jacobellum aggreſſus: *Mirari ſe*, ait, *doctum & ſanctum virum, qui Divinâ elo-*

quentiâ plebibus exponeret, errorem illum non animadvertiſſe communionis Eucharistiæ, qui jampridem Eccleſiam peſſumdaſſet. In quâ ſub una tantùm ſpecie Dominicum Corpus populo miniſtratur; cùm apud Joannem Evangeliſtam & Apoſtolum Chriſto dilectiſſimum ſub duplici ſpecie panis vinique, ſumi jubeatur, dicente apud eum Salvatore „ Niſi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus ſanguinem, non habebitis vitam in vobis. „

Commotus his Jacobellus, cùm perquiſitis vetuſtis Sanctorum Doctorum Codicibus, Dionyſii præſertim & Cypriani, communionem Calicis laudatam inveniſſet, prohibitus apud Sacellum Archangeli Michaelis prædicare, in Templo majore Sancti Martini cathedram ſortitus, publicè commonere populum cœpit, ne deinceps communionem Calicis, ſinè quâ ſalvari nemo poſſet, quoquo pacto negligerent. Huic omnes hæretici conſenſerunt, haud modicâ geſtientes lætitiâ, quòd articulum inveniſſent in Evangelica Lege fundatum, per quem Romanæ Sedis vel ignorantia vel nequitia argui poſſet. Ita Æneas Sylvius dicto cap. 35. Unde patet, Petrum Dreſenſem hunc errorem Huſſitis inſtillaſſe, cui adeò pertinaciter adhæſere, ut quamvis plures, errores Wichleffi poſtea deſeruerint, in hoc tamen diù perſtiterint, propterea *Calixtini* etiam nuncupati. Imò Dubravio referente Lib. 26. Hiſt. Bohem. *Pro ſolo Calice obtinendo adeò ſolliciti erant, ut paſſim illum in parietibus, in vexillis, in templis pingerent.* In cujus deriſionem prodiit in Germania Dyſticon.

Tu pingis Calices Bohemorum terra per Urbes,
Ut credas Bacchi numina ſola coli.

V. *Subinco* (inquit Æneas Sylvius laudato loco) *cognomine* Lepus *claris parentibus apud Bohemos ortus, per idem tempus Pragenſem Eccleſiam pontificio retinebat, conſilio & animo illuſtris. Qui orienti calamitati obviàm ire cupiens, priuſquam ampliùs debacc haretur, libros Joannis Wikleffi ad ſe ferri, omneſque doctorum virorum conſilio adhibito publicè concremari juſſit. Supra ducenta volumina fuiſſe traduntur pulcherrimè conſcripta, bullis aureis tegumentiſque pretioſis ornata. Joanni prædicatio interdicta, & adjectæ minæ, ſi quando priores in populo errores vulgare auderet. Ipſe Pragâ excedens, apud villam, ubi ſibi origo fuit ac cognomen, permittente loci Domino, qui ejus inſaniæ favebat, vocare plebes ac docere non deſiſtit, multa in Romanum Præſulem, multa in reliquos Eccleſiæ Pontifices maledicta congerens. Utque populi animos ſibi magìs ac magìs conciliaret, Decimas haud aliter quàm eleemoſynas Sacerdotibus debitas aſtruit, liberum prædia poſſidentibus, ſi velint, eas dare, ſi nolint, nullo jure cogi poſſe.*

Et infra: *Odioſo quamvis hæc animo Rex intelligeret, deſidiâ ta-*

tamen corruptus & inertiâ torpens, impunè debacchari ſinebat hæreticos. Subinco Archiepiſcopus, ubi nullum adversùs tantum emergens malum in Wenceslao præſidium invenit, ad Sigiſmundum Hungariæ Regem confugit, obſecrans atque obteſtans, ut negligentiam fratris emendet, neque labefactari Orthodoxæ Fidei Sacramenta permittat. Dat fidem Sigiſmundus, petiturum ſe brevi Bohemiam, Eccleſiæ Catholicæ conſulturum. Sed dum dies die ducitur, Subinco apud Poſtinium in Hungaria moritur, & Albicus ei ſufficitur, natione Bohemus, arte medicus, & Sigiſmundo propterea carus, unicum extremæ avaritiæ barathrum. Qui claves cellæ vinariæ nulli alteri quàm ſibi ipſi credidit .... Idoneus profectò Pontifex, qui ſurgenti fomentum hæreſi daret.

VI. De facto autem ita contigit. Nam cùm Joannes XXIII. adversùs Ladislaum Neapolitanum Regem bellum indixiſſet, plenariam peccatorum remiſſionem indulgens iis, qui ad tuendam Eccleſiam arma ſumerent: *Recitabatur in Eccleſia Pragenſi decretum Pontificis. Quod cùm quidam ſordidæ artis homines audiſſent, Joannem Papam Antichriſtum eſſe magnâ voce clamaverunt, qui Crucem contra Chriſtianos decerneret. Eos è veſtigio Senatus in carcerem rapi juſſit; populus verò ſuſceptis armis dimitti omnes petiit. Sed placatus oratione Senatus, tanquam vita captivorum in tuto eſſet, ſuam quiſque domum rediere. De illis clàm ſupplicium ſumtum. At cùm ſanguis extra Prætorii januam defluens indicium necis feciſſet, iterùm accurrens populus interemtorum corpora rapuit, & aureo circumvoluta panno per omnes urbis Eccleſias detulit, clamantibus ejuſdem Sectæ Sacerdotibus: Iſti ſunt Sancti, qui pro Teſtamento Dei ſua corpora tradiderunt. Exin cadavera in ſacrario in Bethlehem repoſita, quaſi martyrum reliquiæ aromatibus condita.* Hæc citato loco Æneas Sylvius.

VII. Nullâ frænata poteſtate hæreſis Huſſitana in dies viribus augebatur. In retinendis Joannis Hus erroribus, & Wichleffi articulis ab ipſo approbatis, pertinaciores fuerunt *Thaboritæ*, ſic dicti à quodam loco ſitu munitiſſimo, quem ad Luſnitium flumen Joannes Ziſca Dux Huſſitarum occupavit, mœnibus cinxit, extructiſque domibus nomine *Thabor* appellari voluit, comiteſque ſuos Thaboritas, *Tanquam cum tribus Apoſtolis Salvatoris Chriſti Transfigurationem in Monte vidiſſent, indèque ſuas opiniones mutuati eſſent, quas fidei veritates appellabant* (ita Æneas Sylvius cap. 40.) Hi poſt Huſſi mortem bellum in Catholicos immane geſſère, Templa & Monaſteria eripientes, evertentes, incendentes, viros Eccleſiaſticos & Monachos trucidantes. Quæ narrans laudatus Sylvius cap. 36. poſt relatam Huſſi necem: *Apud Schlavoniam*, inquit,

no-

nobile Monaſterium Fratrum Prædicatorum extra mœnia oppidi ſitum è fundamentis dejiciunt. Eâque primâ Eccleſiarum ruinâ in Huſſitarum novitate factâ, decurritur in Eccleſias Monaſteriaque paſſim, nobiliſſima ſuperis dicata templa ferro atque igne vaſtantur. Mortuo Wenceslao Rege Ziſcha tyrannidem arripuit: ſed à Sygiſmundo Cæſare Regnum Bohemicum occupante multis præliis laceſſitus, non tamen compreſſus eſt. Nam in dies reſumtis viribus, ſtrages in Eccleſias & Monaſteria multiplicavit: de quibus Sylvius c. 43.

Quem tamen manus hominum proſternere non valuit, digitus Dei peſte tactum extinxit! *Ferunt* (inquit Sylvius cap. 46.) *illum cùm ægrotaret, interrogatum, quonam loco mortuus ſepeliri vellet, juſſiſſe cadaveri ſuo pellem adimi, carnes volucribus ac feris objectari, ex pelle tympanum fieri, eoque duce bella geri, arrepturos fugam hoſtes, quàm primùm ejus tympani ſonitum audirent. Thaborenſes, qui reliquas picturas abominantur, Ziſchæ tantummodò, & Angeli cujuſpiam Calicem manu tenentis, effigiem ſupra portam urbis pinxere, eique ſacra quotannis agunt.*

VIII. Ziſchâ in terris adhuc agente, altera Huſſitarum Secta Thaboritis non minùs fera exorta eſt, *Orebitarum* dicta. Ita Sylvius cap. 43. *Fuit & alia in Bohemia hæreticorum factio, fratrum, Orebitarum appellata, quæ territorium Græcenſe vicinaſque gentes magnis affecit cladibus, peſtifera atque immanis, neque Thaboritarum crudelitate ulla ex parte inferior. Adverſùs quam Martinus V. Pontifex Maximus nominatim Crucem decrevit; neque tamen in plures annos extirpari potuit. Hujus Sectæ homines quoties Sacerdotes noſtros intercepere, aut igne cremaverunt, aut nudos rigente hyeme ſuper glaciem colligatos dimiſere: Quos parvi momenti exiſtimarunt, diſſectis virilibus abire permiſerunt.* Orebitas ſeu *Horebitas* ſe ſe vocari voluere, Thaboritas æmulantes: ubi enim hi hoc nomen aſſumſere, ut ſe in Monte Thabor ſua dogmata accepiſſe ſimplicibus imponerent: ſic illi ut ſuam doctrinam ſibi traditam in Monte Horeb, in qua Deus apparuit Moyſi, venditarent, Horebitarum nomen ſibi affinxerunt.

IX. Mortuo Ziſchâ Thaboritæ in duas factiones ſciſſi ſunt. *Altera Procopium magnum, quem Raſum vocavere, ſibi ducem præfecit. Altera nullum inveniri poſſe dictitans, qui jure Ziſchæ ſuccederet; ſelectis paucis, qui communi conſilio bellum adminiſtrarent, ſe ſe* Orphanos *appellavere, inter quos potior habitus eſt Procopius cognomento Minor: atque ita Thaboritæ in duos exercitus diviſi, alii vetus nomen retinuere, aliis Orphanorum, ut diximus, inditum nomen. Qui ſi aliquando inter ſe diſſentirent, ubi tamen extrinſecùs vis ingruit, junctis viribus in unis caſtris ſe defendebant.* Ita Sylvius c. 47.

qui

qui addit, quòd *Egrediebantur duo exercitus, alter Sileſiam, alter Moraviam populabatur, vicinaſque regiones aſſiduis incurſionibus infeſtabant. Theutones per circuitum habitantes, alios* Philiſtæos, *alios* Idumæos, Moabitaſque *vocabant. Bohemiam terram Promiſſionis eſſe dicebant.*

X. Tertium conflabant exercitum Orebitæ, de quibus ſupra. Horum dux erat (inquit Sylvius citato loco) *Bedricus Presbyter Stamicenſis natione Moravus, qui bellis aſſiduis Sileſiam affectavit. Hic etiam hodie vivit, & urbem Coloniam appellatam poſſidet. Qui ſpretâ Religione Chriſtianâ, calcatoque Pontificio jure uxorem publicè duxit, & illâ mortua alteram ex Polonia ſuperduxit, ex qua filios ſuæ nequitiæ Sectatores ſuſtulit.* Ex hactenus dictis, & aliis quæ Æneas Sylvius, Dubravius, & Cocleus enarrant, apparet, Huſſitas, non fraude ſolùm velut vulpes, ſed furore tanquam lupos ovile Chriſti diſperdere fuiſſe conatos. Quod tamen, ut in aliis, non in fidei, ſed in eorum interitum, tandem Deo opem ferente, ceſſit.

§. II.

Huſſitarum errores.

I. SI ad errores, quos Joannes Hus Pragæ primò ſpargere cœpit, & quibus commotus Subinco Archiepiſcopus libros Wichleffi publicè Pragæ comburi juſſit, attendamus, penè in omnibus Wichleffi & Waldenſium erroribus conformes eos inveniemus: nam Æneas Sylvius Lib. Hiſt. Bohem. cap. 35. deſcribens Huſſitarum Sectæ ortum ac errores: *Hujus*, inquit, *peſtiferæ ac jam pridem damnatæ factionis dogmata ſunt: Romanum Præſulem reliquis Epiſcopis parem eſſe: inter Sacerdotes nullum diſcrimen. Presbyterum, non dignitatem, ſed vitæ meritum efficere potiorem. Animas è corporibus excedentes, aut in æternas è veſtigio pœnas mergi, aut perpetua conſequi gaudia; purgatorium ignem nullum inveniri. Vanum eſſe orare pro mortuis, & avaritiæ ſacerdotalis inventum. Dei & Sanctorum Imagines delendas. Aquarum, palmarumque benedictiones irridendas. Mendicantium Religiones malos Dæmones inveniſſe. Sacerdotes pauperes eſſe debere, ſolâ contentos eleemoſynâ. Liberam cuique prædicationem verbi Dei patere. Nullum capitale peccatum, quantumvis majoris mali vitandi gratia, tolerandum. Qui mortalis culpæ reus ſit, eum neque ſeculari, neque Eccleſiaſtica dignitate potiri, neque ei parendum eſſe. Confirmationem, quam chriſmate Pontifices inducunt, & extremam Unctionem inter Eccleſiæ Sacra minimè contineri. Auricularem Confeſſionem nugacem eſſe, ſufficere*

ſua

Digitized by Google

ſua quemque Deo in cubili ſuo confiteri peccata. Baptiſma fluviatilis undæ, nullâ interjectâ ſacri Olei mixturâ, recipiendum. Cœmeteriorum inanem uſum, quæſtus causâ repertum: quâcumque tegantur tellure humana corpora, nil diſtare. Templum Dei latè patentis ipſum Mundum eſſe; coarctare majeſtatem ejus, qui Eccleſias, Monaſteria, Oratoriaque conſtruunt; tanquam propitior in eis Divina bonitas inveniatur. Sacerdotales veſtes, Altarium ornamenta, pallas, corporalia, calices, patenas, vaſaque hujuſmodi, nil habere momenti. Sacerdotes quocumque loco, quocumque tempore ſacrum Chriſti Corpus conficere poſſe, petentibuſque miniſtrare: ſufficere ſi verba Sacramentalia tantùm dicat. Suffragia Sanctorum in Cœlis cum Chriſto regnantium fruſtrà impetrari, quæ juvare non poſſunt. In Canonicis horis cantandis dicendiſque fruſtrà tempus teri. Nullâ die ab opere ceſſandum, niſi quæ Dominica nunc appellatur; celebritates Sanctorum rursùs rejiciendas. Jejuniis quoquè ab Eccleſia inſtitutis nihil ineſſe meriti. Quibus omnibus Petrus Dreſenſis addidit hunc ab omnibus expanſis manibus ſuſceptum, nempè *Communionem ſub utraque ſpecie eſſe omnibus, etiam laicis, abſolutè neceſſariam ad ſalutem.*

II. Præfatos errores, quos Æneas Sylvius recenſet, licèt nec Joannes Hus, nec Huſſitæ Pragenſes, nec Nobiles Bohemi, nec Clerici Calixtini, omnes & ſingulos, ut infra dicam, profiterentur, eos tamen Thaboritarum Sectæ rigidioris fuiſſe proprios, idem Sylvius teſtatur in Epiſt. 130. Lib. 1. ad Cardinalem de Carvajal, ubi de eis loquens, præmiſſo, quòd *Quamvis picturas omnes abominentur, hujus tamen* (Ziſchæ eorum ducis præmortui) *picturam religiosè colunt, & honorem, quem Chriſto negant, contendunt Ziſchæ.* Subjungit: *Horum Secta peſtifera & abominabilis eſt, ac ſummo digna ſupplicio. Romanam Eccleſiam nolunt habere Primatum, aut proprii Clerum habere quicquam. Imagines Chriſti Sanctorumque delent: Ignem purgatorium inficiantur: nihil Sanctorum preces jam cum Chriſto regnantium prodeſſe mortalibus aſſeverant. Feſtum diem præter Dominicam, & Paſchalem non agunt, jejunia ſpernunt, horas Canonicas abjiciunt. Euchariſtiam ſub ſpecie panis & vini & parvulis & dementibus præbent. Conficientes nihil præter Orationem Dominicam, & verba Conſecrationis dicunt, neque veſtimenta mutant, neque ornatus aſſumunt aliquos. Quidam verò eò uſque deſipiunt, ut non verum Chriſti Corpus in Sacramento Altaris, ſed repræſentationem quamdam eſſe contendant, errantes Berengarii non converſi ſequaces. Ex Sacramentis Eccleſiæ Baptiſmum, Euchariſtiam, Matrimonium, Ordinemque recipiunt: De Pœnitentia parum ſentiunt: De Confirmatione & Extrema Unctione nihil. Monachorum Religionibus infenſiſſimi ſunt, inventioneſque diabolicas aſſerunt eſſe. Baptiſma*

ſim-

Digitized by Google

ſimplicis undæ volunt. Nullam aquam benedicant. Cæmeteria non habent conſecrata. Cadavera mortuorum in campis, & ut digna ſunt, cum beſtiis ſepeliuntur, vanumque cenſent orare pro mortuis. Eccleſiarum Conſecrationes derident, & in omnibus locis paſſim conficiunt Sacramentum. Hæc & alia de Thaboritis ſui temporis, videlicet anno 1451. ſcribebat Æneas Sylvius. Quibus patet, eos per Conſtantienſe Concilium ante triginta & ultra annos celebratum, nedum non fuiſſe correctos, ſed magis ſuis in erroribus efferatos. Cùmque ex his multa excerpſerint Lutherus, Calvinus, & horum Sectarii adhuc retineant, videat Lector quales habuerint præcurſores ac magiſtros.

III. Cæterùm ſi ad Articulos, quos in Joanne Hus Synodus Conſtantienſis ſeſſ. 14. damnavit, reſpiciamus, plures ex iis, quos ex Ænea Sylvio ſupra recenſui, deſiderantur. Hi ergo ferè omnes ex ejus ſcriptis excerpti, ut notat Alexandre in Hiſt. Sec. 15. & 16. cap. 2. art. 1. §. 2. ſequentes ſunt.

1. *Unica eſt Sancta Univerſalis Eccleſia, quæ eſt prædeſtinatorum univerſitas.*

2. *Paulus numquam fuit membrum Diaboli, licèt fecerit actus quoſdam actibus Eccleſiæ malignantium conſimiles.*

3. *Præſciti non ſunt partes Eccleſiæ, cùm nulla pars ejus ab ea finaliter excidat, eò quòd prædeſtinationis caritas, quæ ipſam ligat, non excidit.*

4. *Duæ naturæ Divinitas & humanitas ſunt unus Chriſtus.*

5. *Præſcitus etſi aliquando ſit in gratia ſecundùm præſentem juſtitiam, tamen numquam eſt pars Sanctæ Eccleſiæ: & prædeſtinatus ſemper manet membrum Eccleſiæ, licèt aliquando excidat à gratia adventitia, ſed non à gratia prædeſtinationis.*

6. *Sumendo Eccleſiam pro convocatione prædeſtinatorum, ſivè ſint in gratia, ſivè non, ſecundùm præſentem juſtitiam, iſto modo Eccleſia eſt articulus fidei.*

7. *Petrus non fuit, nec eſt Caput Eccleſiæ Sanctæ Catholicæ.*

8. *Sacerdotes quomodolibet criminosè viventes ſacerdotii polluunt poteſtatem, & ſicut filii infideles, ſentiunt infideliter de ſeptem Sacramentis Eccleſiæ, de clavibus, officiis, cenſuris, moribus, cæremoniis & ſacris rebus Eccleſiæ, veneratione Reliquiarum, Indulgentiis, & Ordinibus.*

9. *Papalis dignitas à Cæſare inolevit, & Papæ præfectio & inſtitutio à Cæſaris potentia emanavit.*

10. *Nullus ſinè revelatione aſſereret rationabiliter de ſe, vel de alio, quòd eſſet Caput particularis Sanctæ Eccleſiæ. Nec Romanus Pontifex eſt Caput Romanæ Eccleſiæ.*

11. *Non oportet credere, quòd iſte quicumque eſt particularis Romanus Pontifex, ſit Caput cujuſcumque particularis Eccleſiæ Sanctæ, niſi Deus illum prædeſtinaverit.*

12. *Nemo gerit vicem Chriſti, vel Petri, niſi ſequatur eum in moribus; cùm nulla alia ſequela ſit pertinentior, nec aliter à Deo accipiat procuratoriam poteſtatem; quia ad illud officium Vicarii requiritur, & morum conformitas, & inſtituentis auctoritas.*

13. *Papa non eſt manifeſtus & verus Succeſſor Principis Apoſtolorum Petri, ſi vivit moribus contrariis Petro: & ſi quærit avaritiam, tunc eſt Vicarius Judæ Iſcariotis: & pari evidentiâ Cardinales non ſunt manifeſti & veri Succeſſores Collegii aliorum Apoſtolorum Chriſti, niſi vixerint more Apoſtolorum ſervantes conſilia & mandata Domini noſtri Jeſu Chriſti.*

14. *Doctores ponentes, quòd aliquis per cenſuram Eccleſiaſticam emendandus, ſi corrigi noluerit, judicio ſeculari eſt tradendus, pro certo ſequuntur in hoc Pontifices, Scribas & Phariſæos, qui Chriſtum nolentem eis obedire in omnibus, dicentes,* „ Nobis non licèt interficere quemquam „ *ipſum ſeculari judicio tradiderunt, eò quòd tales ſunt homicidæ graviores, quàm Pilatus.*

15. *Obedientia Eccleſiaſtica eſt obedientia ſecundùm adinventionem Sacerdotum Eccleſiæ præter expreſſam auctoritatem Scripturæ.*

16. *Diviſio immediatè humanorum operum eſt, quòd ſint vel virtuoſa vel vitioſa. Quia ſi homo eſt vitioſus, & agat quidquam, tunc agit vitioſè: & ſi eſt virtuoſus & agat quidquam, tunc agit virtuoſè: quia ſicut vitium quod crimen dicitur, ſivè peccatum mortale inficit univerſaliter actus hominis vitioſi, ſic virtus vivificat omnes actus hominis virtuoſi.* Quæ propoſitio damnatur, quia ponit, hominem dum in peccato habitualiter manet, nullum opus moraliter bonum facere, ſed omnia opera ejus eſſe peccata. Quod meritò reprobatur. Nam fieri poteſt, ut homo maneat habitu in peccato, nec tamen ſingulos actus ſuos ad perverſum finem referat, & ſic faciat actum moraliter bonum: & è contra, quod non ſinguli actus hominis in gratia exiſtentis ſint boni & ad rectum finem dirigantur. Levibus enim peccatis ſunt obnoxii etiam homines ſancti, dum ſunt in hac mortali vita; ut Prov. 24. v. 16. *Septies in die cadet juſtus, & reſurget.*

17. *Sacerdos Chriſti vivens ſecundùm legem ejus, & habens notitiam Scripturæ, & affectum ad ædificandum populum, debet prædicare, non obſtante prætenſâ excommunicatione.* Et infra: *Quòd ſi Papa vel aliquis Prælatus mandat Sacerdoti ſic diſpoſito non prædicare, non debet obedire ſubditus.*

18. *Qui-*

18. *Quilibet prædicantis officium de mandato accipit, qui ad Sacerdotium accedit: & illud mandatum debet exequi, prætenſâ excommunicatione non obſtante.*

19. *Per cenſuras Eccleſiaſticas excommunicationis, ſuſpenſionis & interdicti, ad ſui exaltationem Clerus populum laicalem ſibi ſuppeditat; avaritiam multiplicat, malitiam protegit, & viam præparat Antichriſto. Signum autem evidens eſt, quòd ab Antichriſto tales procedant cenſuræ, quas vocant in proceſſibus ſuis fulminationes, quibus Clerus principaliſſimè procedit contra illos qui denudant nequitiam Antichriſti, quam Clerus maximè pro ſe uſurpavit.*

20. *Si Papa eſt malus, & præſertim ſi eſt præſcitus, tunc ut Judas Apoſtolus eſt Diabolus, fur & filius perditionis, & non eſt Caput Sanctæ Militantis Eccleſiæ, cùm nec ſit membrum ejus.*

21. *Gratia prædeſtinationis eſt vinculum, quo corpus Eccleſiæ & quodlibet ejus membrum jungitur Chriſto Capiti inſolubiliter.*

22. *Papa, vel Prælatus malus, & præſcitus eſt æquivocè Paſtor, & verè fur & latro.*

23. *Papa non debet dici* Sanctiſſimus *etiam ſecundùm officium, quia aliàs Rex etiam deberet dici* Sanctiſſimus *ſecundùm officium, & tortores & præcones dicerentur* Sancti: *imò etiam Diabolus deberet dici* Sanctus, *cùm ſit officiarius Dei.*

24. *Si Papa vivat Chriſto contrariè, etiamſi aſcenderet per ritam & legitimam electionem ſecundùm conſtitutionem humanam vulgatam, tamen aliundè aſcenderet quàm per Chriſtum: Dato etiam quòd intraret per electionem à Deo principaliter factam. Nam Judas Iſcarioth ritè & legitimè eſt electus à Deo Jeſu Chriſto ad Apoſtolatum, & tamen aſcendit aliundè in ovile ovium.*

25. *Condemnatio quadraginta quinque Articulorum Joannis Wikleffi per Doctores facta eſt irrationabilis & iniqua, & malefacta, & ficta eſt cauſa per eos allegata, videlicet ex eò quòd nullus eorum ſit Catholicus; ſed quilibet eorum aut eſt hæreticus, aut erroneus, aut ſcandaloſus.*

26. *Non eo ipſo quo electores, vel major pars eorum conſenſerit vivâ voce ſecundùm ritus hominum in perſonam aliquam, eo ipſo illa perſona eſt legitimè electa, vel eo ipſo eſt verus & manifeſtus Vicarius, vel Succeſſor Petri Apoſtoli, vel alterius Apoſtoli in officio Eccleſiaſtico; undè ſivè Electores benè vel malè egerint, operibus Electi debemus credere. Nam eo ipſo quo quis copioſius operatur meritoriè ad profectum Eccleſiæ, habet à Deo ad hoc copioſiùs poteſtatem.*

27. *Non eſt ſcintilla apparentiæ, quòd oporteat eſſe unum Caput in ſpiritualibus regens Eccleſiam, quod ſemper cum ipſa militante Eccleſia converſetur, & conſervetur.*

 28. *Chri-*

28. *Chriſtus ſinè talibus Capitibus monſtruoſis per ſuos veraces diſcipulos ſparſos per Orbem terrarum meliùs ſuam Eccleſiam regularet.*

29. *Apoſtoli & fideles Sacerdotes Domini ſtrenuè in neceſſariis ad ſalutem regularunt Eccleſiam, antequam Papæ officium foret introductum. Sic facerent, deficiente per ſummè poſſibile Papá uſque ad diem Judicii.*

30. *Nullus eſt Dominus civilis, nullus eſt Prælatus, nullus eſt Epiſcopus, dum eſt in peccato mortali.*

IV. Hi omnes ſunt Articuli ex ejus ſcriptis eruti, quos in Joanne Hus Synodus Conſtantienſis ſeſs. 15. damnavit. Qui omnes, ut ex eorum lectione apparet, variis & erroneis artibus in hoc collimant, ut Papam, ac omnes Prælatos ab Eccleſia auferant: nihil tamen in eis continetur contra Sacramentorum numerum, contra præſentiam Corporis Chriſti, & Tranſubſtantiationem panis & vini in Euchariſtia, contra cultum Sanctorum & eorum Imaginum, & contra Communionem ſub una ſpecie: quos errores, ut dixi, Æneas Sylvius Huſſitis, & præcipuè Thaboritis, tribuit. Ex quo inferunt non pauci, hos errores in Secta quidem Huſſitarum invaluiſſe, ſed à Joanne Hus non fuiſſe traductos.

V. Nihilominus ex proceſſibus contra ipſum formatis (qui extant ſeſſ. 15. præfati Concilii) deponentibus pluribus teſtibus accuſatus fuit, quòd alios errores aſſeruerit, & prædicaverit: & præcipuè, *Quòd poſt conſecrationem hoſtiæ in Altari maneat panis materialis, vel ſubſtantia panis.* Item: *Quòd Sacerdos exiſtens in mortali peccato non conficit Corpus Chriſti, non ordinat, non baptizat.* Scio ipſum coràm Concilio proteſtatum fuiſſe, hæc omnia à teſtibus ſibi falsò imponi: & inſuper ex ejus ſcriptis aliqua afferri documenta (quæ apud Alexandre loco citato legi poſſunt) quibus realem Corporis & Sanguinis Chriſti in Euchariſtia præſentiam & tranſubſtantiationem fateri videtur. Apertè etiam eum admiſiſſe Sacramentalis confeſſionis neceſſitatem, Extremæ Unctionis Sacramentum, Purgatorium & Orationes fidelium pro animabus in eo detentis prodeſſe. Præterea Sanctorum in Cœlo regnantium interceſſionem atque invocationem nobis ſalutarem eſſe, & religioſum cultum latriâ inferiorem Imaginibus ſacris tribuiſſe. Alia etiam ex ipſo Joanne Hus refert Du-Pleſſis Tom. 1. p. 2. pag. 169. &c. quibus evidenter apparet, eum tum realem præſentiam, tum tranſubſtantiationem in Euchariſtia profeſſum fuiſſe.

VI. In hoc Huſſitæ Pragenſes fideles ejus Sectarii magiſtrum ſecuti ſunt. Conſtat hoc ex eorum Synodo Pragæ anno 1421. die 7. Julii celebrata, præſidentibus Joanne de Pezibran, Procopio de Pilz-

Pilzna, Jacobo de Miſna, ſeu Jacobello, & Joanne de Nova Civitate cognomine Rochezana Præmonſtratenſis Ordinis apoſtatâ, qua in Synodo confitentur: *In Diviniſſimo Euchariſtiæ Sacramento, tam ſub forma panis, quàm ſub forma vini totum Dominum Jeſum Chriſtum verum Deum & hominem cum ſuo proprio Corpore & Sanguine nobiſcum eſſe ſuá præſentiá reali: Ordinem & ritum Miſſæ à Sanctis primitivæ Eccleſiæ approbatum, ab omnibus & ſingulis ſacrificantibus obſervandum: Confeſſionem auricularem non illicitam*. Inſuper conſecrationem fontis Baptiſmatis, Oleum Sacrum cum Chriſmate, Exorciſmos, Interrogationes & Reſponſiones, Unctiones omninò retineri debere. Quemlibet Sacerdotem ad horas Canonicas obligatum eſſe, affirmant. Quatuor dumtaxat articulos Eccleſiæ fidei & legi contrarios aſſeverant. Primum: *De Communione ſub utraque ſpecie*. Secundum: *Quòd nullus Sacerdos Chriſti ſuper prædiis, agris, domibus, cenſibus, aut quibuſcumque aliis proventibus & poſſeſſionibus civili & ſeculari jure dominetur.* Tertium: *De Lege Domini ab omnibus Sacerdotibus prædicanda*. Quartum: *De peccatis mortalibus non tolerandis*.

VII. Hoc maximè oſtendunt plerique ex Articulis Pragenſium Huſſitarum contra Thaboritas aſſertis, quos Joannes Lukauvitz Thaborita Presbyter, & Cochlæus Lib. 5. Hiſt. Huſſit. referunt.

Primus eſt de Veritate Corporis Chriſti his verbis conceptus: *Credimus & tenemus, ad quod ſingulos Chriſtianos adhortamur, ut credant, & teneant, quòd Chriſtus verus Deus & verus homo eſt in Sacramento viſibili Euchariſtiæ ſecundùm ſuam propriam naturam, & ſubſtantiam corpoream, & ſecundùm ejus naturalem eſſentiam, eamdem penitùs in numero, quam ſumſit de Virgine Maria, & ſecundùm quam reſidet in Cœlo in dextera Patris. Cui in eodem Sacramento honor, cultu, genuflexione, adoratione, luminum accenſione, & aliarum venerationum exhibitione debet exhiberi*.

Secundus de Septem Sacramentis: *Credimus & tenemus, quòd Septem Sacramenta, videlicet, Baptiſmus, Confirmatio, Pœnitentia, Euchariſtia, Ordo, Matrimonium, Unctio Sacra, ſunt ex fide Catholica neceſſaria & ſalubria antidota animarum, ab omnibus promovenda & tenenda*.

Tertius de Baptiſmo: *Item tenemus, quòd Sacramentum Baptiſmatis more Eccleſiæ cum Exorciſmis & cum Patrinis, cum Chriſmate & Oleo Sacris, ac cum trina immerſione in aqua benedicta, ac aliis ritibus conſuetis eſt exercendum: dum ad illa adeſt opportunitas loci, temporum & perſonarum*.

Quartus de Confirmatione: *Item credendum, & tenendum, & inſtandum eſt, quòd baptizati à proprio Epiſcopo juxta formam & ſta-*

& ſtatuta Eccleſiæ primitivæ cum Chriſmate ſint confirmandi.

Quintus de Pœnitentia & Confeſſione: *Item tenemus, quòd pro remedio animarum lapſarum & labentium & pœnitere volentium, Confeſſiones auriculares idoneo Sacerdoti ſunt exercendæ, & remedia ſalutifera, ſcilicet Jejunia, Eleemoſynæ, & Orationes, ac cætera opera ſatisfactionis pro modo culpæ, ſunt eis injungenda.*

Sextus de Sacramento Ordinis: *Item credendum & tenendum eſt, quòd Sacramentum Ordinis dumtaxat ab Epiſcopo vel Epiſcopis eſt conferendum.*

Septimus de Clavibus Ordini annexis: *Item credendum eſt, quòd Sacramento Ordinis ſoli dumtaxat annexæ ſunt Claves Eccleſiæ, & poteſtas ſolvendi & conficiendi, & vaſa ſacra contrectandi: ſic quòd non alteri ſtatui, vel perſonæ.*

Nonus de Sacramento Extremæ Unctionis: *Item credimus, & tenemus, quòd Sacramentum Extremæ Unctionis, poſcentibus ægris & infirmis, juxta formam & ritum Eccleſiæ Sanctæ eſt miniſtrandum & exercendum. Et nos hortamur omnes, & de poſt volumus adhortari, ut cùm in gravem infirmitatem inciderint, illud Sacramentum non omittant, aut quovis modo contemnant. Quia contemtores illius & aliorum Sacramentorum ſunt caſtigandi, & juxta cenſuram Eccleſiæ corrigendi.*

Decimustertius de Invocatione Sanctorum: *Credimus, & ex Scriptura comperientes tenemus, quòd Sancti in Cœlis Chriſtianis, ac Fidelibus ſuis orationibus, caritatis auxiliis, pro capacitate, ſivè eorum diſpoſitione ſuffragantur, quòd fideles poſſunt licitè poſtulare pro auxilio & interceſſione.*

Decimusquartus de Purgatorio, & de Orationibus pro Defunctis: *Item tenemus, & ex multis Scripturis Sanctorum comperientes, in Lege Domini fundatis, credimus, quòd animarum à corpore exutarum locus Purgatorii poſt hanc vitam eſt ponendus, quæ non ad plenum hìc in via ſatisfecerunt, poſt hanc vitam purgatæ ſalvabuntur: quòdque Fideles hìc in via talibus, propter vinculum caritatis & ſpiritus, poſſunt & debent Jejuniis, & Orationibus, Eleemoſynis, & ſanctis Operibus piè ſuffragari.*

Decimusquintus de Ritu ſacrificandi & orandi: *Item tenemus & firmiter obſervare intendimus, quòd Ritus & ordo ſacrificandi in Miſſa & Veſperis, & circa alia Officia Divina, in ſignis & habitu conſuetis, eſt legitimus & debitus: prout circa Miſſationem eſt Humerale, Alba, Stola, Mappula, Cingulus, & ornatus more Sanctæ Eccleſiæ ordinatus* &c.

Decimusſextus de Jejuniis Eccleſiæ: *Item Jejunia in Vigiliis Sanctorum ipſi Deo facienda, & alia Jejunia debita, in Eccleſia Sancta*

ta hucuſque legitimè obſervata, ipſi volumus obſervare, & nobis ſubjectos ad obſervandum tenere.

Decimusſeptimus de Feſtivitatibus Sanctorum: *Item tenemus, quòd Feſtivitates Sanctorum, præſertim Domini noſtri Jeſu Chriſti, & quæ ſunt Beatæ Virginis Mariæ, Apoſtolorum Chriſti Jeſu, Martyrum, Sanctorum, cæteræ antiquæ in Eccleſia Dei, in celebratione ab antiquo obſervatæ modo debito, non ſolùm ab opere ſervili corporalis laboris, ſed & abſtinendo à peccatis feſtivandæ.*

Vigeſimusprimus de Horis Canonicis: *Quilibet Chriſti Sacerdos, cui tempus & locus facultatem dant, ad Horas Canonicas ſit obligatus.*

Vigeſimustertius, de obedientia Epiſcopis præſtanda: *Item tenemus & fideliter obſervandum, pro unitate & ſocietate catholica in nobis perpetuò conſervanda, & pace Eccleſiæ cuſtodienda, juxta Decretum Clementis: omnes Sacerdotes & alii Chriſtifideles ſubjecti teneantur Epiſcopis etiam diſcolis, & aliis Præpoſitis, in omnibus præceptis licitis & boneſtis obedire, etiamſi ipſi aliter agant, quàm debeant. Et quòd tales Epiſcopi non leviter ſunt arguendi: ſed potiùs ſupportandi, niſi in fide erraverint.*

VIII. Præfati Articuli, quos Huſſitæ Pragenſes Thaboritis oppoſuerant, confirmare videntur ea quæ de Joanne Hus ſupra adnotavi, nimirùm Hus doctrinam in multis Catholicæ fidei articulis, quos moderni Acatholici à Luthero, & Calvino aliiſque Eccleſiæ Pſeudo-Reformatoribus edocti inficiantur, conſentire: ac propterea contra ſe ipſum loqui Lutherum, dum in ſcripto, quod in fine literarum Joannis Hus anno 1537. editarum legitur, quòd Lutherus ipſe celebraverit Hus tanquam virum *Magnis & excellentibus Spiritus Sancti donis ornatum, & ſcriptis dictiſque ſuis doctrinæ Chriſtianæ conſenſiſſe, & mortem pro aſſertione veritatis toleraſſe*, eumque *magnanimum & fortem Chriſti martyrem* appellat. Quòd ſi verum eſt, Joannem Hus in dogmatibus Tranſubſtantiationis, numero Sacramentorum, Confeſſione Sacramentali, Purgatorio, Orationibus pro Defunctis, Sanctorum Invocatione, & cultu Imaginum, cum Eccleſia Romana conſenſiſſe: quomodo ipſi qui hæc omnia negant, & propterea ab Eccleſia Romana, ceu apoſtatica receſſerunt, Joannem Hus eadem aſſerentem, virum Spiritus Sancti donis ornatum, ac verum pro veritate fidei martyrem celebrant, dum his encomiis ſe contra veritatem pugnare, & eſſe hæreticos evidenter declarent?

IX. Si hac in re quid ſentiam mihi proferre liceret, anceps eſſem, num præfati Articuli ab Huſſitis Pragenſibus contra Thaboritas oppoſiti veram ac ſinceram, & à Joanne Hus prædicatam do-

doctrinam contineant. Nam licèt privatis ſcriptis, quæ Alexandre citato loco producit, eam docuerit, contrariam tamen eum publicè prædicaſſe, teſtes depoſuere. Inſuper cùm ſe Wichleffi diſcipulum, & Librorum ſtudioſum gloriaretur, adeò ut damnationem 45. Articulorum Wichleffi ut erroneam hæreticam & ſcandaloſam rejiciat, quod ex vigeſimoquinto inter Articulos ejus proſcriptos ſupra oſtendi, temerarium non eſſet ſuſpicari, hominem vaferrimum, ut invidiam ex aliqua parte declinaret, & pœnam debitam evaderet, venenum quod corde retinebat, exteriùs diſſimulaſſe. Hoc certum eſt, quòd vigeſimustertius Articulus ab Huſſitis Pragenſibus contra Thaboritas relatus, de Obedientia Epiſcopis & Prælatis etſi diſcolis præſtanda, doctrinæ Joannis Hus directè contrarius eſt, cùm omnes ferè Articuli ejus à Concilio Conſtantienſi damnati in hoc colliment, ut Papæ, Epiſcopis, aliiſque Prælatis, niſi vivant ſecundùm Chriſti & Apoſtolorum vitam, imò niſi ſint prædeſtinati, nulla inſit poteſtas. Ut ut ſit, Joannes Hus verè fuit hæreticus, & ut talis juſtè damnatus, ut ſtatim dicam.

§. III.

Joannis Hus & Hieronymi Pragenſis damnatio.

I. JOannes Hus, videns ſua dogmata ab Univerſitatibus Pragenſi, Pariſienſi, & ab omnibus veris fidelibus, ut hæretica declarari, & inſuper ad Concilium Conſtantiæ convocatum mandato Pontificis & Imperatoris ad ſui reddendam rationem ſe acceſſiri, nihil commotus, ſed temerariâ fretus audaciâ ire decrevit. Priuſquam autem abiret ſcriptum Latinâ, Bohemicâ & Germanicâ lingua ad valvas Eccleſiarum, & Monaſteriorum Pragæ, & quaſi totius Germaniæ exaratum affixit, quo declarabat, ſe Concilio adſtiturum, ut ſuæ doctrinæ rationem redderet, & accuſationes à ſuis inimicis datas dilueret. Hâc fretus audaciâ Pragam reliquit, & per omnes Civitates, quas pertranſiebat, eadem ſpargens, comitibus Dominis Wenceslao de Duba, Joanne de Culma, aliiſque multis ſuis aſſeclis, Conſtantiam appulit tertio Nonas Novembris anni 1414. Die autem ſequenti Joannem Chlumæum, & Henricum Lazemboſium ad Summum Pontificem tunc Joannem XXIII. miſit, qui Joannem Hus Cæſareo munitum Diplomate, quo tutus eſſet, ad Concilium à ſe deductum nuntiarunt.

II. Admiſſus à Pontifice & Concilio Hus, ac in privata domo agere aliquâ libertate permiſſus fuit, donec à Concilio vocatus fidei ſuæ rationem redderet, & objecta dilueret, impoſito præcepto

pto

Digitized by Google

pto à Judicibus, ne urbe excederet. Tum ille animadvertere cœpit, aliam ibi eſſe diſceptandi rationem in cœtu doctiſſimorum ex omni natione hominum, quàm Pragæ in Capella Bethlehem coram laicis, aut in aula coram Nobilibus Eccleſiaſticorum redituum avidis, aut in foro coram minaci & Clero infensâ plebe. Videns etiam adverſarios ad accuſandum paratos, de fuga cogitare cœpit. Interim domi cœtus dogmaticos agebat cum ſuis, eos in doctrina Wichleffi confirmans, & inſuper licèt ſolemniter excommunicatus, Sacrum tamen in hoſpitio plebe concurrente ſæpè faciebat. Id cùm Epiſcopus Conſtantienſis reſciviſſet, ei ne ſacris operaretur inhibuit. Non paruit ſuperbus Hæreſiarcha. Tunc Præſul populo dira intentavit, ſi ejus Miſſam audiret. Tum fugere perfidus decrevit.

III. Igitur Dominicâ tertiâ Quadrageſimæ celebratâ Miſsâ, in curru ſtraminibus undique tecto, & eâ die ex urbe educendo ſe abſcondit. De illius fuga monitus Conſul Civitatis, Equites miſit, qui fugientem comprehenderent, & Conſtantiam reducerent. Repertus eſt in curru latitans, & ab Henrico Latzemboch equo impoſitus, & ad Pontificem in Palatium adductus. At Hus liberi commeatus literis fidens, vinciri ſe ac detineri poſſe negabat, niſi publicâ fide violatâ. Cui vir nobilis reſpondit: *Ita decretum eſt; ut cauſam tuam juſtifices, ne ſit hæretica, aut moriaris, ni revoces.* Tunc Hus ex equo deſiliens in circumſtantem Bohemorum multitudinem ſeſe proripuit. At ab Apparitoribus Papæ & Cardinalium comprehenſus, in Palatium adductus eſt; ac poſt octo dies in Ædibus FF. Prædicatorum cuſtodiæ traditus. Quò viri eruditi & Catholici, qui Synodo frequentes erant, ut ad ſaniorem mentem revocarent, eum conveniebant. Sed cùm nec hìc tutus eſſet: nam quinto nonas Martii penè aufugit, in alium carcerem translatus fuit ad diem uſque Mercurii ante Dominicam Palmarum, ibique varios libellos compoſuit, *de Decalogo*, *de Dilectione & Cognitione Dei*, *de Matrimonio*, *de Pœnitentia*, *de Tribus hoſtibus hominis*, *de Oratione Dominica*, *de Cœna Domini* &c. Sed Joanne XXIII. è Concilio clàm recedente, Joannes Hus in poteſtatem Sigiſmundi Imperatoris, & Synodi traditus, & ab his Epiſcopo Conſtantienſi conſignatus, in Arcem quamdam trans Rhenum deportatus eſt, diligentiùs cuſtodiendus.

IV. Intereà Hieronymus de Praga pridie Nonas Aprilis anni 1415. Conſtantiam advenit, tùm ut doctrinam ſuam oſtentaret, tùm ut Joanni Hus magiſtro ſuo ſuppetias ferret, affixo programmate, quo Imperatori & Synodo ſignificabat, ſe paratum eſſe ad doctrinam ſuam coram univerſa Synodo defendendam, & Adver-

ſariorum ſibi hæreſim affingentium calumniam diluendam. Mox à Concilio ſeſſ. 6. die 17. Aprilis citatur infra terminum quindecim dierum Hieronymus ad ſe præſentandum. Die 18. ejuſdem menſis Literæ citatoriæ valvis Conventus FF. Minorum affiguntur, & publicum conficitur Inſtrumentum. Seſs. 8. die Sabbati 4. Maii omnes Wichleffi damnandæ doctrinæ ac memoriæ Defenſores iterum citantur. 45. ejus Articuli, & alii 260., ac libri, præſertim *Trialogus* Conciliari ſententiâ damnantur, ejus nomen diris devovetur, inito decreto ut ejus oſſa exhumata igni traderentur. Dum hæc aguntur, Hieronymus Pragenſis, qui tantâ audaciâ Adverſarios ad Synodum provocarat, ſui erroris conſcientiâ territus fugam arripit, ſed à Joannis Palatini Comitis Præfecto in itinere interceptus, ac vinctus, Conſtantiam reductus in carcerem conjicitur.

V. Nunc ad Joannem Hus redeo. Nobiles Bohemi, ejus carceri mancipatione auditâ, ad Imperatorem & Synodum tanquam de fide violata Salvi-conductus literis conqueſti ſunt, & orant Patres, ut in cauſam ejus ſedulò incumbant, Imperatorem verò ut è carcere eductum publicè audiri faciat. Immeritò tamen conquerebantur. Nam ipſe Hus fidem violaverat, qui, ut ſupra dixi, Concilii judicio fugâ ſe ſubtraxerat, Sacris contra Eccleſiæ interdictum fuerat operatus, erroreſque Wichleffi ſecretis cœtibus ſpargebat, nec correctionis ullam ſpem exhibebat. Imò periculum maximum Fidei ac Religioni in tota Bohemia, Moravia, & Polonia imminebat, ſi redire liber ſineretur, non ejuratis erroribus, nec finitâ cauſâ.

VI. Nonis igitur Junii, & ſequentibus diebus teſtes legitimè contra ipſum auditi, libri exhibiti. Errorum capita excerpta ipſi oblata, ejuſque ad ſingula reſponſiones auditæ ſunt. A Cardinalibus Cameracenſi, Florentino, & aliis Præſulibus, ipſo etiam adhortante Sigiſmundo Imperatore, ut reſipiſceret, ſuaviter monitus, adduci non potuit. Tunc Imperator ita Patres eſt allocutus: *Quos errores hic homo docuerit, audiviſtis, qui omnes, quantum quidem judicare poſſum, imò & ſinguli, morte digni ſunt. Niſi eos adjurarit, comburendum curate: Si ejuraverit, nolite committere, ut in poſterum ſuggeſtum conſcendat, neve in Bohemiam revertatur: ab errore namque ſuo non recedet, ſed ſuorum ope plura capita inveniet. Tum verò Capitum ſuorum refutationem, addito ſimul mandato de iis extirpandis, totáque illá doctriná prorsùs delendá, in Bohemiam & Poloniam mittendam. Denique & Aſſeclas, ſive Sectatores ſuos, in primis Hieronymum, ſeverè puniendos cenſeo.* Ita Imperator verè Catholicus.

VII. Dum

VII. Dum in carcere detineretur Joannes, plures literas ad Bohemos ſcripſit eos in ſuis erroribus confirmans, quæ latinitate donatæ, inter ejus Opera Tom. 1. adhuc leguntur. Verùm die ſextâ Julii anni 1415. ad Synodum decimoquintò conſidentem adductus eſt, condemnationis ſententiam excepturus. Primò ergo Articulos, quos in ſuis libris contineri in publica audientia ipſe confeſſus fuerat, alios ut erroneos, ut temerarios, ſcandaloſos, alios ut apertè hæreticos pronuntiavit, eoſque doceri prohibuit, libros ejus concremari, & in fautores ejus ſeverè ab Inquiſitoribus procedi mandavit. Deindè ipſum Joannem Hus declaravit fuiſſe & eſſe manifeſtum hæreticum *pertinacem & incorrigibilem:* ideòque ipſum *ab Ordine Sacerdotali cæteriſque Ordinibus deponendum & degradandum*. Hujus executionem Archiepiſcopo Mediolanenſi, Feltrenſi, Aſtenſi, Alexandrino, Bagarenſi, & Vaurenſi Epiſcopis demandavit. Quâ profanatione & execratione ſolemni ritu peractâ, ipſum Curiæ ſeculari relinquendum Concilium his verbis decrevit: *Hæc Sancta Synodus Conſtantienſis Joannem Hus, attento quòd Eccleſia Dei non habeat ultra quid gerere valeat, judicio ſeculari relinquit, & ipſum Curiæ ſeculari relinquendum fore decernit*.

VIII. Solenniter exauctoratus, & chartaceâ mithrâ, in qua Dæmones depicti erant, redimitus, cum hac inſcriptione: *Hæreſiarcha*: civili Poteſtati traditus eſt: ac ſubindè Ludovico Bavariæ Duci, qui juſſu Imperatoris eum lictoribus conſignavit. A quibus cùm ad locum ſupplicii duceretur, præ foribus Templi libros ſuos comburi cernens, ſubriſit. Cùm ad locum ſupplicii perveniſſet, læto ac hilari vultu Pſalmos 30. & 51. recitavit, non ſemel repetens: *In manus tuas, Domine, commendo ſpiritum meum*. His falſis pietatis ſignis prætendens oſtendere ſe pro cauſa Dei, ac proindè Martyrem mori, & ſuos in errore confirmatos relinquere. Antequam rogus accenderetur, Dux Bavariæ & Dominus de Papenheim adequitarunt, ipſum admonentes, ut tandem errores ejuraret, & vitæ ſuæ parceret. Sed cùm operam perderent, ignis admotus eſt. Ubi ardere cœpit, hunc verſum canere cœpit: *Jeſu Chriſte, Fili Dei vivi, miſerere mei*; quem vocis ſonum flamma, & fragor ignis vix intercipere potuit. Sic infelix è flammis temporalibus dejectus fuit in æternas. Cineres ejus in Rhenum projecti, ne ab ejus Sectatoribus in Bohemiam delati ſuperſtitiosè uti martyris colerentur. Qui tamen è ſolo in quo ignis arſerat, terræ particulas deportarunt.

IX. Sumto de Joanne Hus promerito ſupplicio, in cauſa Hieronymi de Praga ejuſdem Hus diſcipuli, ſed ipſo longè facundioris, Synodus agere cœpit. Iſtum, qui Conſtantiæ, ut dixi tunc

aderat, accerſitum Petrus de Alliaco Cardinalis Cameracenſis, & alii Deputati, ad Eccleſiæ fidem revocare, & ad errorum abjurationem inducere procurarunt. Res initio feliciter ceſſit; ſiquidem paratum nunc ſe exhibuit Hieronymus ad omnem hæreſim abjurandam, præſertim Wichleffiticam & Huſſiticam, de quibus accuſabatur, & ad Fidei profeſſionem, quam ipſi Judices præſcriberent edendam: quod de facto præſtitit in ſeſſ.19. die 23. Septembris anni 1415. in qua extat Fidei formula, & omnium errorum retractatio propriâ manu conſcripta, & ſubſcriptione firmata. Porrò ſe Joanni Hus adhæſiſſe & faviſſe declaravit, quòd exiſtimaret virum bonum eſſe, nec in aliquo deviare ab Eccleſiæ & Patrum traditionibus, & libros pernicioſos, qui ſub ejus nomine ferebantur, illius fœtum non eſſe: ſed cùm poſtea comperiſſet propriâ illius manu conſcriptos eſſe, ipſos, ac doctrinam in eis contentam hæreticam declaravit, & juſtam fuiſſe eorum à Synodo factam damnationem, & tandem juravit per Sanctam Trinitatem, & per Sancta Evangelia præſentia, ſe *in Veritate Eccleſiæ Catholicæ ſemper & ſinè dubio permanſurum, & omnes qui contra hanc fidem venirent, cum dogmatibus ſuis æterno anathemate dignos* pronuntiavit. Ad hæc & alia, quæ in ſuæ fidei teſtimonium protulit, quis eum verè & ex corde pœnitentem non crediſiſſet?

X. Verùm non ita; ſed fictus & mendax fuit. Nam die 27. Aprilis anni 1416. delatum fuit ad Synodum, quòd præfatus Hieronymus, ut canis reverſus ad vomitum, datam fidem fregiſſet, ac Wichleffi & Hus damnationem injuſtam, & iniquam fuiſſe palàm aſſerens, utrumque virum ſanctum fuiſſe & vera docuiſſe, & religioſo cultu eorum venerandam eſſe memoriam prædicaret, & hæc datis in varias regiones literis confirmaſſet. Quare ipſo etiam poſtulante, ad Concilium vocatus ſeſſ.21. ſtans in banco elevato in Cardinales & alios Præſules impudenti fronte debacchari cœpit, tamquam à vera Fide alienos, & ab eadem veros fideles abducere conantes. Cùm ei objiceretur altâ & publica voce abjuratio die 23. Septembris anni præcedentis per ipſum facta, & ſubſcripta, dixit: *Quòd verum erat eandem adjurationem ſcripſiſſe ob timorem pœnæ ignis; tamen dixit, ſe mentitum fuiſſe ut fatuum, quando ſcripſerat & dixerat in adjuratione prædicta: de quibus ſummè dolet, & præſertim ubi revocavit doctrinam Joannis Hus & Wikleff, & conſentiendo damnationi Joannis Hus, quem credebat fuiſſe & eſſe ſanctum hominem; & peſſimè feciſſe*. Excepto quòd (ut ex ſententia contra ipſum lata habetur) *De Sacramento Altaris & tranſubſtantiatione panis in Corpus profeſſus eſt ſe tenere, & credere quod Eccleſia tenet, dicens, ſe plus credere Auguſtino, & cæteris Eccleſiæ*

Do-

Doctoribus, *quàm Joanni Wicbleff*, *& Joanni Hus*. Hæc Hieronymus: verè demens. Si enim tranſubſtantiationem ſe credere profitetur, quia eam Auguſtinus & cæteri Eccleſiæ Patres apertè tenent, ſe, ut adhæreat Wichleffo & Hus, tenere & credere recuſat?

XI. Juſtè igitur in eum, utpotè fœdifragum & contumacem eâdem ſeſs. 21. lata ſententia eſt; in qua præmiſsâ ejus abjuratione, ac de ea ſervanda fide juramento firmatâ dicitur: *Poſt quas profeſſionem & abjurationem multis diebus tranſactis, ſicut canis ad vomitum rediens, ut virus peſtilentiſſimum, quod in ſuo latitabat pectore, publicè evomeret, audientiam publicam ſibi dari in eadem Sancta Synodo poſtulavit. Quâ ſibi conceſsâ, coram eâdem Synodo publicè congregatâ aſſeruit: dixit, & profeſſus eſt in effectu, quòd præfatæ ſententiæ damnationis dictorum Joannis Wikleff & Joannis Hus utique conſenſerat, & illam ſententiam approbando mentitus fuit. Nec verebatur ſe confiteri mentitum: quin immo confeſſionem, approbationem, & profeſſionem ſuas ſuper illorum damnatione revocabat, nunc & in æternum aſſerens, ſe in libris Joannis Wikleff & Joannis Hus nullam unquam hæreſim, vel errorem legiſſe* &c. *Propter quæ eadem Sancta Synodus eundem Hieronymum putridum, aridum, in vite non manentem, foràs mittendum decernit: ipſumque hæreticum & in hæreſim relapſum excommunicatum, anathematizatum pronunciat & declarat, atque damnat.*

XII. Quâ lectâ ſententiâ, & communi omnium voto approbatâ, Synodus brachium ſeculare invocavit, & Hieronymus Poteſtati ſeculari ibidem præſenti traditus eſt, quæ in ipſum ageret. Tunc ipſe magiſtrum ſuum Hus imitari volens, cœpit animam ſuam commendare Deo, & altâ voce dicere: *Credo in Deum Patrem Omnipotentem* &c. totum Symbolum decantans eundo ligatus per plateas versùs locum ſupplicii: & licèt Prælati ſeculari Poteſtati committerent, ut eum gratioſè tractaret, orando Deum, ut ad ſe illum converteret: induratus audire noluit, & Joanni Hus, ſicut in errore, ita in pertinacia maluit eſſe ſocius, unde & ipſe igne conſumtus fuit. De utriuſque ſupplicio Æneas Sylvius Lib. Hiſt. Hohemicæ cap.36. *Pertulerunt ambo*, inquit, *conſtanti animo necem, & quaſi ad epulas invitati ad incendium properarunt, nullam emittentes vocem, quæ miſeri animi poſſet facere indicium. Ubi ardere cœperunt, hymnum cecinere, quem vix flamma & fragor ignis intercipere potuit. Nemo Philoſophorum tam forti animo mortem pertuliſſe traditur, quàm iſti incendium. Poggius Florentinus ætatis noſtræ nobilis ſcriptor de morte Hieronymi ad Nicolaum Nicoli concivem ſuum elegantem ſcripſit Epiſtolam, quamvis paululum ſuâ conſuetudine in mores Cleri invectus videatur.*

XIII. Al-

Digitized by Google

XIII. Altera ejuſdem Poggii extat Epiſtola ad Leonardum Aretinum data, in qua de Hieronymi conſtantia ea quæ præſens vidit deſcribens, inter cætera totus eſt in ejus extollenda conſtantia dicens: *Cùm veniſſet ad locum mortis, ſe ipſum exuit veſtimentis: tum procumbens flexis genibus, veneratus palum ad quem ligatus fuit, primùm funibus madentibus cum catena nudus ad palum conſtrictus fuit: Ligna deindè circumpoſita pectore tenus, non minuſcula, ſed groſſa, paleis interjectis; tum flammâ adhibitâ canere cœpit hymnum quemdam, quem fumus & ignis vix interrupit. Hoc maximum conſtantis animi ſignum; cùm lictor ignem poſt tergum* (ne id videret) *injicere vellet: Huc, inquit, accende, & in conſpectu accende ignem: Si enim illum timuiſſem, nunquam ad hunc locum, quem effugiendi facultas erat, acceſſiſſem. Hoc modo vir* (præter fidem) *egregius eſt conſumtus. Vidi hunc exitum, ſingulos actus inſpexi. Sivè perfidiâ, ſivè pertinaciâ id egerit, certè ex Philoſophiæ ſchola interitum viri deſcripſiſſes.* Data eſt hæc Epiſtola Conſtantiæ 3. Kal. Junii, quâ die hic Hieronymus hæreſis pœnas luit. Ei tamen Aretinus prudenter reſcripſit Lib. 4. *Nudius tertius exemplum habuimus literarum tuarum à Barbaro miſſum de Hieronymi ſupplicio, quarum elegantiam valdè probavi; illi tamen plus tribuere videris, quàm ego vellem, etſi judicium tuum ſæpè purgas.... Ego cautiùs hiſce de rebus ſcribendum puto.*

XIV. Ne autem ex iſtorum duorum in perferendo ſupplicio conſtanti alacritate dubitet quis, vel infirmari argumentum, quo ſuprà Tom.6.integro ex Conſtantia martyrum Veritatem Religionis Chriſtianæ demonſtravi, vel ex hoc ſequi, hos duos pro Veritate fuiſſe paſſos: Sciat inprimis, me hoc argumentum duxiſſe non ex unius, vel alterius in perferendis pro Chriſtiana Religione tormentis & morte conſtantiâ, ſed ex infinita penè multitudine ex omni ætate, ſexu, conditione, nedum fortiter cruciatus perferente, ſed ad eos accurrente, adeò ut perſecutores ipſi, lictores, & carnifices permoti ad eorum fidem converterentur, & pro ea mortem ſubire non timuerint. Quòd autem unus, vel alter alacri animo mortem ſubierit, Philoſophorum, & Paganorum exempla non deſunt. Deindè Martyres pro veritate, quam ab Eccleſia edocti erant patiebantur: iſti pro ſuis erroribus, quos contra Eccleſiam ejuſque fidem pertinaciter tuebantur, mortem ſeu veriùs ſupplicium ſubierunt: ideòque non Chriſti Martyribus, ſed Circumcellionibus Donatiſtarum comparandi. De utriuſque ergo dicam cum Auguſtino Serm. 325. aliàs 30. ex Sirmondianis: *Non enim illi pro veritate moriuntur; ſed ideò moriuntur, ne veritas annuntietur, ne veritas prædicetur, ne veritas teneatur, ne unitas ametur,*

tur, ne caritas diligatur, ne æternitas teneatur. O cauſa peſſima! ideò pœna infructuoſa. Non adtendis qui te de pœna jactas, tres Cruces fuiſſe, quando Dominus paſſus eſt? Inter duos latrones paſſus eſt Dominus: pœna non diſcernebat, ſed cauſa diſcernebat &c. idem dicit Serm. 227. (aliàs 27. ex Sirmondianis) Et Serm. 274. *Multi latrones patientiſſimè torquentur; & non cedentes & tortorem vincentes, poſtea æterno igne puniuntur. Cauſa diſcernit Martyrem à patientia imò duritia ſceleratorum.* Quiſquis ergo conſtantiam Hus & Hieronymi de Praga admiratur, non ſiſtat in pœna, ſed examinet cauſam, & concludet, eos fuiſſe Martyres non Chriſti ſed Diaboli.

XV. Alterum tamen argumentum pro juſtitia cauſæ mortis iſtorum profert Belli Huſſitici Auctor Hæreticus, nempè Hieronymum damnationis tempore vaticinando dixiſſe: *Ad juſtiſſimum Jeſu Chriſti tribunal appello, ut centeſimo ab hinc anno mihi ad hæc reſpondeatis.* Et ſimilia ab Hus fuiſſe prædicta his verbis: *Hodiè anſerem aſſatis, centum ab hinc annis niveus Cycnus veniet, quem occidere non valebitis.* Quod vaticinium in Luthero fuiſſe impletum dicunt. Sed hæc vaticinia eſſe hæreticorum inventa in ſuæ cauſæ præſidium demonſtrat coævorum Scriptorum ſilentium, Æneæ Sylvii, & Poggii qui Hieronymi ſupplicii ſpectator omnia ab ipſo facta, & dicta exactè recenſet. Dato autem quòd præfata locuti ſint, ea non Divino lumine, ſed Dæmonis inſtinctu, qui ex turbationibus, quibus tunc agitabatur Eccleſia, & ſpectatis naturalibus cauſis conjicere poterat, quid poſtea eſſet eventurum, ac, ut olim Montani Prophetiſſis, ſic & iſtis ſuggereret. De quo videndus eſt S. Thomas 2. 2. q. 172. art. 5. & 6. Unde Paulus 1. ad Tim. 4. v. 1. dicit: *In noviſſimis temporibus recedent quidam à fide, intendentes ſpiritibus ſeductoribus, & doctrinis Dæmoniorum.* Et S. Auguſtinus Lib. de Unitate Eccleſiæ cap. 19. *Exaudiuntur*, inquit, *multi, & multis modis, non ſolùm Chriſtiani Catholici, ſed & Pagani & Judæi & Hæretici, variis erroribus & ſuperſtitionibus dediti. Exaudiuntur autem vel à Spiritibus ſeductoribus, qui tamen nihil faciunt, niſi permittantur à Deo ſublimiter... Sivè ab ipſo Deo, vel ad pœnam malitiæ, vel ad ſolatium miſeriæ, vel ad admonitionem quærendæ ſalutis æternæ. Ad ipſam verò ſalutem ac vitam æternam nemo pervenit, niſi qui habet Caput Chriſtum. Habere autem Caput Chriſtum nemo poterit, niſi qui in ejus corpore fuerit, quod eſt Eccleſia, quam ſicut ipſum Caput, in Scripturis Sanctis Canonicis debemus agnoſcere, non in variis hominum rumoribus & opinionibus, & factis, & dictis, & viſis inquirere.*

§. IV.

§. IV.

Huſſiticæ hæreſis continuatio.

I. JOanne Hus & Hieronymo Pragenſi flammis extinctis hæreſis tamen extincta non fuit. Imò, ut refert Æneas Sylvius dicto cap. 36., cùm cineres exuſtorum, ne raperentur à Bohemis, in lacum eſſent projecti: *Diſcipuli eorum ex eo ſolo terram abſtulere, in quo ignis fuit, eamque veluti ſacram ſecum attulere in patriam. Joannes ac Hieronymus apud Bohemos martyrum honores meruere, nec minores, quàm Petrus & Paulus apud Romanos habiti. Nunciatis enim in Bohemiam quæ Conſtantiæ geſta fuerant de Joanne & Hieronymo, diſcipuli eorum ſequaceſque in unum convenientes, memoriam in primis defunctorum conſecrant, & celebrandam quotannis omnes decernunt.* Ita Sylvius. Qui deindè proſequitur enarrando. Capitibus etiam ſubſequentibus direptiones, & everſiones Eccleſiarum, Monaſteriorum, ſtrages in Catholicos Sacerdotes ſub Ziſcha Duce, & etiam eo extincto patratas: atque eorum in tres factiones diviſionem, de quibus omnibus aliqua dixi ſupra ſ. 1. Uno verbo, furore & armis ab Huſſitis res agebatur, tum contra Eccleſiam, tum contra Sigiſmundum ipſum Imperatorem. Quæ poſtea ſecuta ſint, dicam.

II. Poſt immane bellum à Thaboritis Ziſchâ duce & Orphanis ſub Procopio Raſo in Sigiſmundum Imperatorem & Catholicos geſtum, poſt ſacram expeditionem à Martino V. Pontifice Maximo in ipſos inſtitutam, & prælium contra illos infeliciter commiſſum, Julianus Cardinalis Sedis Apoſtolicæ Legatus è Bohemia cum exercitu fugatus, Baſileam ſe contulit, ibique Concilium jam à Summis Pontificibus Martino V. & Eugenio IV. indictum inchoavit anno 1431. Sigiſmundus Imperator, qui ad Coronam Imperii Romæ ſuſcipiendam iter aggrediebatur (ut refert Æneas Sylvius cap. 49.),,, Primoribus Regni Bohemiæ literas dedit, in queis
,, ſcriptum erat, ſe natione Bohemum nulli genti magis quàm ſuæ
,, affectum, Romam non aliam ob cauſam petere, quàm Coronæ
,, ſuſcipiendæ gratiâ. Id decorum Bohemorum Genti accedere,
,, cujus honeſtandæ ſibi maxima ſemper cura fuerit. Cœptum
,, eſſe jam ſuâ operâ Baſileæ Concilium, hortari eos, qui ſe audiri
,, de Religione cuperent, eò proficiſci, nec plus ſapere vellent,
,, quàm Mater Eccleſia Catholica: Auditurum benignè Conven-
,, tum rationes eorum; tantùm operam dent, ut cum Synodo de
,, Religione conveniant, ſibique redeunti paratum regnum reſervent.

Digitized by Google

„ vent. Neque enim arbitrari ſe, Bohemos ejus imperium fuge-
„ re, cujus pater, frater, avus apud eos regnaverunt. Nec ſe aliâ
„ lege regnaturum, quàm cæteri Chriſtiani Reges „. His pera-
manter ſimul ac piè, ut feros Bohemorum animos demulceret,
ſcripſit Sigiſmundus „ Scripſit & ipſa Baſileenſis Synodus Bohe-
„ mis, ut Legatos mitterent, qui fidei ſuæ rationem oſtenderent,
„ ſecuritatem itineris, & dicendi quæ vellent libertatem pro-
„ mittens.

III. „ Fuerunt inter Bohemos duæ ſententiæ: Orphani &
„ Thaboritæ, & plebes ferè omnes, eundum eſſe negabant, Joan-
„ nis & Hieronymi exemplum in medium afferentes, qui Con-
„ ſtantiam ad Synodum profecti ſub fide Sigiſmundi, publicè
„ combuſti fuiſſent. Nobilitas verò Mainardum ſecuta Principem
„ Novæ Domus, virum cordatum & ingenio dextro, petendum
„ eſſe Concilium prorsùs ajebat, nec tolerandos videri, qui novas
„ peregrinaſve de fide ſententias, novumque ritum Religionis in-
„ veniſſent, niſi dictorum factorumque rationem Univerſali Ec-
„ cleſiæ redderent, & quæ vulgò inculcaverant, coram doctis de-
„ ferrent. Vicit hæc ſententia: Legatio 300. equitum Baſileam
„ miſſa, cujus principes fuere, Gulielmus Coſka, non tam eque-
„ ſtri dignitate, quàm Eccleſiarum diruptione inſignis; Procopius
„ cognomento Raſus, idem magnus multis victoriis, magniſque
„ ſceleribus nobilitatus, Joannes de Rochezana pſeudo Pragen-
„ ſium apoſtolus, Nicolaus Gallus Thaboritarum Sacerdos, &
„ Petrus Anglicus patriâ profugus, ac ſolis elenchis in diſputa-
„ tione confidens. „

IV. Bohemorum Oratores anno 1433. ineunte à Synodo Baſi-
leenſi honorificè & peramanter hoſpitio exceptos, poſtridiè in con-
cione accerſitos Julianus Cardinalis benignè allocutus eſt, ac lon-
gâ & luculentâ oratione ad ea, quæ pacis & unionis eſſent, adhor-
tatus „ Audita eſt Cardinalis Oratio ſummo Patrum conſenſu,
„ Bohemi pauca reſpondêre, quibus par facundia non eſſet: ſe
„ neque Concilia, neque Eccleſiam contemſiſſe, adversùs inau-
„ ditos ſententiam Conſtantiæ latam, nihil de Religione Chriſtia-
„ na detrahere, incorruptam apud ſe Patrum auctoritatem ma-
„ nere: quodcumque Bohemi aſſerant, Sacris Literis atque Evan-
„ gelio confirmari: veniſſe, ut innocentiam ſuam univerſali Ec-
„ cleſiæ patefaciant, petereque publicam audientiam, in qua laici
„ quoquè adſint. Neque id negatum „. Et dies ſextadecima Ja-
nuarii deſignata.

V. „ Interrogati, quænam illa eſſent, in quibus à Romana
„ Eccleſia diſſentirent, quatuor Articulos propoſuere. Primò:

„ *De Communione Divinæ Eucharistiæ, quam ſub ſpecie panis & vini ſumendam his, qui ſalvi eſſe velint, neceſſariò affirmabant.* Secundò: *De Civili Dominio, quod Clericis interdictum Diviná Lege dicebant.* Tertiò: *De prædicatione verbi Dei, quam liberam permiſſamque paſſim omnibus arbitrabantur.* Quartò: *De publicis delictis, quæ nullá ratione toleranda putabant, etiam majoris mali vitandi gratiá.* Nam quamvis plurima ſint, quæ Huſſitarum perfidiâ adversùs Catholicæ fidei veritatem aſtruere & prædicare non dubitent, coram Concilio tamen doctorumque Patrum cœtu, hæc tueri tantummodò poſſe arbitrati ſunt, eaque Regni nomine dicta.

VI. „ Verùm cùm Legatus alia de Bohemis accepiſſe ſe affirmaret, quæ Chriſtianas aures offenderent, inter quæ illud eſſet, quòd Religiones Mendicantium inventum eſſe diabolicum prædicarent, aſſurgens Procopius: *Neque hoc falſum eſt*, inquit, *nam ſi neque Moyſes, neque ante eum Patriarchæ, neque poſt eum Prophetæ, neque in Nova Lege Chriſtus Dominus, neque Apoſtoli Mendicantes inſtituêre, quis non intelligit, Diaboli tenebrarumque opus eſſe?* Excepta eſt ingenti cachinno Procopii vox. Legatus verò, ut erat manſuetiſſimus Pater, argumentationem indocti hominis placidè diſſolvit: *Neque enim Prophetarum Patriarcharumque placita, & quæ Chriſtus inſtituit, quæ ſanxerunt Apoſtoli, dumtaxat à Deo eſſe docuit, verùm Eccleſiæ quoquè decreta, quæ Sancto dirigente Spiritu ducitur, opera Dei eſſe monſtravit: quamvis & aliundè Mendicantium vita ex Evangelio ſumta videri poſſit.* Selegerunt Bohemi quatuor Magiſtros, qui ſuos Articulos ex Divina Lege ſumtos oſtenderent. Qui eos confutarent, ex cœtu Patrum tandem aſſumti viri præſtantes, & ad dicendum parati. Diſputatum eſt quinquaginta diebus; multa in utramque partem adducta „. Hactenùs Æneas Sylvius.

VII. Ad primum Bohemorum Articulum de Communione ſub utraque ſpecie, octo diebus horis antemeridianis reſpondit Joannes de Raguſio Ordinis FF. Prædicatorum Procurator Generalis, poſtea S. R. E. Cardinalis. Ad ſecundum de punitione peccatorum publicorum reſpondit per quatuor dies Ægidius Carlerius Eccleſiæ Cameracenſis Decanus. Ad tertium de libera Prædicatione verbi Dei, tribus diebus reſpondit Henricus Kalteiſen Ordinis FF. Prædicatorum in Academia Colonienſi Doctor, Profeſſor, ac hæreticæ pravitatis Inquiſitor. Ad quartum de Civili Dominio Clericorum totidem diebus reſpondit Joannes de Polemar Archidiaconus Barchinonenſis cauſarum Sacri Palatii Auditor. Sed cùm Huſſitarum perfidia, licèt victa, vinci nollet, ad

Tra-

Tractatus ventum, tentatumque, ſi fortaſſis amicè trahi poſſent. Miſſi propterea Oratores ex Concilio in Bohemiam viri doctiſſimi, & qui gentis verſutiam noſſent. Multa cum Bohemis agitata: nunc pacis ſpes facta, nunc belli metus.

VIII. Dum hæc in Bohemia agerentur, & Oratores Synodi multis adhortarentur Bohemos ad pacem, non obſtante quòd Huſſitarum & Thaboritarum Sacerdos vanis ludificationibus pro exacta quatuor Articulorum obſervantia pertinaciter inſiſteret, ſtudio pacis utrique parti viſum eſt, iterùm Legatos Baſileam ad Concilium mittere pro eorum declaratione, à quo tranſmiſſa pro Bohemorum Oratoribus novâ ſecuritate, & ſalvo conducto admiſſi, rogaverunt Patres ut intuitu Eccleſiaſticæ unitatis præfatos Articulos in Regno Bohemiæ & Marchionatu Moraviæ obſervari permitterent. Forma unionis à Bohemis oblata, quia concepta terminis *Nos* & *Vos*, Patribus non placuit: dicebant enim: *Hæc non unitas, ſed duplicitas eſt. Non eſt in Chriſtiana unitate dicere*, Nos *&* Vos, *ſed tantùm* Nos. *Unus eſt populus Chriſtianus; pura, ſimplex & perfecta debet eſſe unitas Eccleſiaſtica, non ambagibus, non duplicationibus involuta. Tandem quia materna viſcera negare non poteſt pia Mater, quin exhibitione uberum ad vitæ provocet alimentum: Decrevit Sacrum Concilium iterum deſtinare ad vos, & iterum ad puram & ſimplicem unitatem & pacem hortari: quam ſi acquieveritis acceptare, prioribus omnibus abolitis, eritis Cariſſimi Filii, nec aliter habiti, quàm Regna cætera Potentatuſque & Provinciæ populi Chriſtiani*. Ita locutus fuit Joannes de Polemar in Oratione quam habuit in ſecundo ſuo adventu ad Bohemos Pragæ.

IX. Rebus hoc modo adhuc pendentibus (ut refert Æneas Sylvius cap. 51.) „ Thaboritæ & Orphani Mainardo ac cæteris „ Nobilibus infenſi eſſe cœperunt, eorumque ſuſpectas actiones „ habere, tanquam Concilio auſcultarent; neque vana opinio. „ Convenere namque ſæpè inter ſe Barones, errorem ſuum reco- „ gnoſcere, miſeros ſe dicere, qui cùm Regis imperium abdica- „ verint, Procopii jugum ferant. Illum Dominum eſſe, illum „ pro ſua libidine Provinciam regere, vectigalia exigere, tributa „ imponere, delectum habere militum, exercitum quò velit du- „ cere, rapere, ſpoliare, occidere, nullum pati qui ſuis conſiliis „ adverſetur, nobiles juxta atque ignobiles & mancipia eſſe &c. „ Habito igitur conventu, in ſententiam Mainardi itum eſt. Alcio Riſemburgenſis antiquæ nobilitatis homo, ſed tenui cenſu, dux gentis declaratus, quem Capitaneum vocavere. Apud eum inſignia Majeſtatis fuere, auctoritas apud Mainardum extitit.

X. His cognitis, Procopius Raſus Orphanos & Thaboritas,

quorum expeditionem ducebat, ad obſidionem urbis Pelzinæ à ſolis Fidelibus habitatæ repentè immiſit, atque undecim menſibus eam ſtrictè cinxit. Oppidani extrema omnia paſſi, ac jam fame pereuntes, ad Synodum Baſileenſem miſere, orantes, ne fidelem urbem in manus hæreticorum ſinerent pervenire. Patres, quibus nec publicum ærarium, nec arma erant, ex privato tamen peculio octo millium aureorum ſummam collectam Mainardo miſerunt, qui collecto exercitu obſeſſis ſubveniret. Plures, quos Sylvius narrat, eventus fuere. Tandem commiſſo prælio Thaboritarum & Orphanorum exercitus uſque ad illud tempus invictus, cum ſceleratis Ducibus deletus eſt. Nam Procopius Raſus circumventus multitudine equitum, non tam victus, quàm pugnando feſſus, telo in incertum miſſo transfoditur. Pari modo & alter Procopius dictus Minor fortiter pugnans occubuit. Atque is finis duobus illis pernicioſiſſimis ac deterrimis monſtris fuit, & ſic Thaboritarum & Orebitarum compreſſa imò & deleta ferocia, cùm eorum audacior pars in horreis collecta igne fuerit concremata. Hæc & alia Æneas Sylvius dicto cap. 51. Hiſt. Bohem. Hâc reportatâ victoriâ, Pragæ cauſa Catholicorum facta ſuperior eſt. Legati in publico Nobilium & Plebejorum conventu trium Articulorum declarationem propoſuerunt, quam ſi Bohemi ſuſcipere vellent, de quarto Articulo hoc eſt de Communione ſub utraque ſpecie, res per concordiam tranſigeretur.

§. V.

Conventiones, *ſeu* Compactata *in cauſa Bohemorum*.

I. PRimum Articulum à Bohemis expoſitum de cohibitione & punitione peccatorum mortalium, præſertim publicorum Patres Baſileenſes ita reſtrinxere: *Dicimus, quòd ſecundùm Scripturæ Sacræ ſententiam, Sanctorumque documenta Doctorum, ſic Catholicis eſt tenendum: Quòd omnia peccata mortalia, præſertim publica, quantum rationabiliter fieri poteſt, ſecundùm Legem Dei, & Sanctorum Patrum inſtituta, ſunt cohibenda, corripienda, & eliminanda. Poteſtas autem puniendi crimino ſos, non ad privatas perſonas, ſed ad eos tantummodò pertinet, qui juriſdictionem habent in eos, fori diſtinctione, juris & juſtitiæ ordine obſervatis.*

Quæ expoſitio eſt juxta mentem Pauli Rom. 13. v. 4. de Principe dicentis: *Dei enim Miniſter eſt tibi in bonum. Si autem malum feceris, time; non enim ſinè cauſa gladium portat. Dei enim Miniſter eſt, vindex in iram ei, qui malum agit*. Super quæ S. Thomas Lect. 1.

in

in cap.13. ad Rom. ait: *Ad hoc enim ſunt inſtituti Principes, ut illi qui amore virtutis non provocantur ad vitandum malum, & faciendum bonum, cogantur ad hoc timore pœnæ: Proverb.20.* „ Rex qui ſedet in ſolio judicii, diſſipat omne malum intuitu ſuo „. *Et ſecundùm hoc dicitur, quòd Principes* „ non ſunt timori boni operis, ſed mali „. Benè autem additur *Fori diſtinctione*, quia ordo regiminis poſtulat, ut quilibet exerceat poteſtatem in iis, quæ ſuæ ſubſunt juriſdictioni. Quare Hoſius Cordubenſis apud Athanaſium in Hiſt. Arianorum ad Monachos num. 44. jure ad Conſtantium ſcripſit: *Tibi Deus Imperium tradidit, nobis Eccleſiaſtica concredidit. Ac quemadmodum qui tibi Imperium ſubripit, Deo ordinanti repugnat; ita metue, ne ſi ad te Eccleſiaſtica pertrahas, magni criminis reus fias* „ Reddite, *ſcriptum eſt*, quæ ſunt Cæſaris, Cæſari, & quæ ſunt Dei, Deo. „

II. Secundum Articulum de libera prædicatione verbi Dei ſic declaravere „ *Dicimus, quòd ſecundùm Scripturæ Sacræ ſententiam Sanctorumque documenta Doctorum, ſic Catholicè eſt tenendum: Quòd verbum Dei à Sacerdotibus Domini & Levitis ad hoc idoneis, & per Superiores, ad quos pertinet, approbatis & miſſis, liberè, non tamen paſſim, ſed ordinatè & fideliter prædicetur, ſalvâ auctoritate Pontificis, qui eſt præordinator in cunctis juxta SS. Patrum inſtituta.*

Declaratio hæc ex Paulo ſumta eſt qui ad Rom.10. v.15. ſcribit: *Quomodo autem prædicabunt niſi mittantur?* Ubi S. Thomas Lect.2. dicit, Prædicatores mitti debere à Deo: vel immediatè, & ſic miſſi fuerunt Prophetæ, & Joannes Baptiſta, & à Chriſto Apoſtoli. Cujus miſſionis aliquando ſigna ſunt veritas eorum, quæ annuntiant, vel miracula in ejus confirmationem edita: hæc tamen duo ultima non ſufficienter demonſtrant Dei miſſionem. Dicitur enim Deuteron. 13. v. 1. *Si ſurrexerit in medio tui Propheta ... & prædixerit ſignum atque portentum, & evenerit, quod locutus eſt, & dixerit tibi, Eamus, & ſequamur Deos alienos .... Non audies Prophetæ illius.* Alio modo mittuntur aliqui à Deo mediante auctoritate Prælatorum, qui gerunt vicem Dei. Juſtè autem præſervatur auctoritas Romani Pontificis, qui cùm ſit ſucceſſor Petri, cui Chriſtus ſuas oves generatim doctrinâ paſcendi curam commiſit, poteſt per univerſum Mundum prædicatores mittere.

III. Articulum tertium de ſeculari Dominio Clericorum ita expoſuerunt. Primò: *Quòd Clerici non Religioſi, ſeu qui voto ſe ad hoc non obligarunt, licitè poſſunt habere & poſſidere quæcumque bona temporalia, hæreditates paternas, aut aliorum, ſi eis relinquantur, & alia bona juſtè acquiſita ex cauſa donationis, vel alterius liciti con-*

contractus, *vel arte licitâ*. Secundò: *Quòd Eccleſia poteſt licitè habere & poſſidere bona temporalia mobilia & immobilia, domus, prædia, villas, oppida, caſtra, civitates, & in eis habere privatum & civile dominium*. Tertiò: *Quòd Eccleſiaſtici viri bona Eccleſiæ, quorum ſunt Adminiſtratores, debent fideliter adminiſtrare, juxta SS. Patrum ſalubria inſtituta. Ipſaque bona Eccleſiæ ab aliis injuſtè non debent detineri, vel occupari*. Declaratio iſta à Concilio fuit approbata, contra Wichleffiſtas, Thaboritas, quos ſecutus fuit Lutherus. Hunc errorem excitarunt Apoſtolici, contra quos egi c. *36*. ſ. *3*.

IV. Circa Articulum quartum de Communione ſub utraque ſpecie, quæſtione *an ſit de præcepto Chriſti* relictâ à Concilio determinandâ, declaratum eſt ita: *Omnibus maturè pertractatis, ſi nihilominus in deſiderio Communionis ſub duplici ſpecie perſeveraverint, Sacrum Concilium Sacerdotibus dictorum Regni* (Bohemiæ) *& Marchionatus* (Moraviæ) *communicandi ſub utraque ſpecie populum, eas videlicet perſonas, quæ in annis diſcretionis conſtitutæ reverenter & devotè poſtularent, facultatem in Domino pro eorum utilitate & ſalute conceſſurum. Hoc ſempor obſervato, quòd Sacerdotes ſic communicantibus ſemper dicerent: Ipſos firmiter credere debere, quòd non ſub ſpecie panis caro tantùm, nec ſub ſpecie vini ſanguis tantùm, ſed ſub qualibet ſpecie eſt integer & totus Chriſtus*.

V. De hoc tamen Concilium nihil ſtatuendum, aut illis indulgendum eſſe decrevit, quia Concordiæ ſeu *Compactata* nomine abutentes, Catholicis inſultare cœperunt, nec requiſitâ Concilii ſententiâ, tanquam Communio ſub utraque ſpecie laicis etiam infantibus ac dementibus danda eſſet, & hoc de præcepto. Quare ad tantam frænandam audaciam Concilium Baſileenſe pronuntiavit: *Calicem quantum ad laicos pertinet, ex præcepto Chriſti non eſſe, moremque ſub ſpecie tantùm miniſtrandi populo à Sanctis Patribus inſtitutum*: *& ſanè inſtitutum videri, & ſervandum ab omnibus fidelibus eſſe, nec licere cuiquam ſuo judicio hunc declinare*. Hæc refert etiam Cardinalis Papienſis L. *6*. Commentarii (pag. mihi *393*.) ubi addit: *Non petiere ex illo tempore, calicem Bohemis, non indulſit Synodus ultrò: à Romano etiam Præſule tale quicquam nec poſtulatum eſt, nec comprobatum. Ipſi etiam, qui ad omnem contentionem noſtram conventa velut clypeum defenſionis objiciunt, illa eadem contemſere, veriùſque non ſervavere. Etenim pueris paſſim & dementibus non de pane tantùm, ſed de calice miniſtrarunt: invitos quoquè & non poſtulantes ad calicem adegere; Sacramenta Eccleſiæ, & ſepulchra, publicos honores illis, qui illum nollent, adimentes: de myſterio etiam tam panis, quàm vini nil plebibus juxta condictum ann unciave ere. Poſtremò nec Romanæ Sedis inſtitutis, à quâ longè errabant,*

in

in cæteris aſſenſere. Quorum omnium ſi præſtita ab illis fuiſſet fides, vix nunc poſt annum quadrageſimum exorti mali oſtenderentur veſtigia. Iis videlicet in renovata ætate defunctis, quia uſum jam haberent, calix eſſet indultus. Hæc Cardinalis Papienſis, addens, hujus Bohemorum pertinaciæ Joannem de Rochezana fuiſſe præcipuum incentorem.

§. VI.

De Communione ſub utraque ſpecie.

I. PRæmittendum cenſeo quòd licèt hujus Articuli inventor fuerit, ut dixi, Petrus Dreſdenſis, illum tamen Joannes Hus ſuſcepit, ac tenendum ſuis propoſuit. Conſtat hoc ex ejus libello, Conſtantiæ antequam carceri manciparetur edito, in quo ait: *Licere & expedire laicis fidelibus ſumere Sanguinem Chriſti ſub ſpecie vini: quia licèt Corpus & Sanguis Chriſti ſit ſub utraque ſpecie ſacramentali, tamen Chriſtus non ſinè ratione, nec gratis inſtituit utrumque modum ſacramentalem ſuis Fidelibus.* In carcerem verò detruſus, ac pertinacior factus uſum calicis omnibus, nedum licitum, ſed ut præceptum indixit: *Noli*, inquit, *reſiſtere Sacramento Calicis Domini, quem Chriſtus per ſe & per ſuum Apoſtolum inſtituit: quia nulla Scriptura eſt in oppoſitum, ſed ſola conſuetudo, quæ (ut æſtimo) ex negligentia inolevit. Jam non debemus conſuetudinem ſequi, ſed exemplum Chriſti & veritatem.... Etiam, cariſſime, præpara te ad paſſionem; in manducatione & communicatione Calicis, & ſta fortiter in veritate Chriſti, timore illicito poſtpoſito, confortans fratres alios in Evangelio Domini Jeſu Chriſti.* Ita Hus quaſi prævidens pœnam, quæ ſibi ac ſuis ob contumaciam eventura erat. Hoc ergo præmiſſo, ad cauſam accedo.

II. Quæſtionem hanc pertractavi Tomo 3. in 3. p. de Euchariſtia q. 4. Dub. 6. ubi oſtendi, quòd licèt primis Eccleſiæ ſeculis Communio ſub utraque ſpecie etiam laicis daretur, nemo tamen ante ſeculum 14. eam eſſe Divino jure neceſſariam aſſeruit: ideòque Dubio 7. intuli, Eccleſiam juſtis de cauſis potuiſſe laicos, imò & Sacerdotes non celebrantes uſu Calicis privare, & alia ſubjunxi, quæ ibi videri poſſunt. At ne Lectorem meum de hac cauſa prorsùs jejunum dimittam; & quia moderni Acatholici in hoc quoquè Huſſitas ſecuti utramque ſpeciem in ſua Cœna omnibus exhibent, & Catholicos, qui laicos ab uſu Calicis arcent, canino dente mordent, inter quos Calvinus Lib. 4. Inſtit. cap. 17. num. 47. ſolito ſuo more: *Ex eadem*, inquit, *prodiit officina & altera Conſti-*

tutio,

ſtatio, quæ dimidiam cœnæ partem meliori populi Dei numero, vel furata eſt, vel eripuit: nempè ſymbolum ſanguinis, quod laicis & profanis (his ſcilicet titulis Dei hæreditatem inſigniunt) interdictum, paucis raſis & unctis in peculium ceſſit. Propterea hujus & ſui ſimilium mendacia detegenda ſunt, & diſſipanda.

III. In quo ergo peccavit Eccleſia uſum Calicis laicis interdicendo? *Quia*, inquit, *Edictum æterni Dei eſt, ut omnes bibant: quod homo novâ & contrariâ lege antiquare & abrogare audet; edicens, ne omnes bibant.* At ubi hoc æterni Dei edictum? An Joan.6. v.54. his verbis: *Niſi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus ſanguinem, non habebitis vitam in vobis. Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem habet vitam æternam;* quo textu movebantur Bohemi? Nequaquam, ait Calvinus in cap. 6. Joannis, nam hìc de Cœna concio non eſt, aliàs nec infantuli ab ea deberent excludi: *Craſſus*, inquit, *fuit veterum error, qui infantulos putarunt vitâ æternâ privari, niſi Euchariſtiam illis porrigerent; neque enim de Cœna habetur concio, ſed de perpetua communicatione, quæ etiam extra Cœnæ uſum nobis conſtat. Nec verò rectè Bohemi, quum hoc teſtimonio probarent uſum Calicis promiſcuum debere omnibus eſſe.* Hoc eodem modo præfata verba exponit S. Auguſtinus, & ex eo Æneas Sylvius in Dialogo contra Bohemos & Thaboritas Epiſt.130.

IV. Ubi ergo eſt hoc Dei edictum de utraque ſpecie ſumenda? Ex verbis Chriſti, qui Matth. 26. accipiens panem ſeorſim à Calice dixit: *Accipite, & comedite hoc eſt corpus meum: & accipiens Calicem gratias egit & dedit illis dicens, Bibite ex hoc omnes. Hic eſt enim ſanguis meus.* Quibus ſimilia refert Marcus cap.14. & Lucas cap. 12. qui addit, Chriſtum dum exhiberet ſub pane Corpus ſuum Apoſtolis dixiſſe: *Hoc facite in meam commemorationem.* Quæ omnia recenſens Paulus 1. Cor.11. ait v. 23. *Ego enim accepi à Domino quod & tradidi vobis, quoniam Dominus Jeſus in qua nocte tradebatur, accepit panem, Et gratias agens fregit & dixit: Accipite & manducate: Hoc eſt Corpus meum, quod pro vobis tradetur: Hoc facite in meam commemorationem. Similiter & Calicem poſtquam cœnavit dicens: Hic Calix novum teſtamentum eſt in meo ſanguine: Hoc facite quotieſcumque bibetis in meam commemorationem. Quotieſcumque enim manducabitis panem hunc & calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis, donec veniat.* Ecce factum Chriſti ſub utraque ſpecie inſtituentis hoc Sacramentum, & ejus præceptum, ut omnes de utroque ſumerent: & ita factum eſſe Paulus commemorat.

V. Quia verò reſpondetur, hæc omnia dixiſſe Chriſtum Apoſtolis,

ſtolis, quos tunc inſtituebat Sacerdotes, ut facerent quæ fecerat ipſe, nimirùm ut utramque ſpeciem conſecrarent & ſumerent in memoriam ſacrificii, quod ipſe illicò facturus erat in Cruce, in quo ſanguis fundendus erat, & ſeparandus à corpore, in quo Apoſtolos imitantur noſtri Sacerdotes, dum memoriam illius ſacrificii celebrant: non tamen hoc dixiſſe omnibus etiam non celebrantibus, ſed purè de Sacramento participantibus: Inſurgit Calvinus Lib. 4. Inſt. cap. 17. num. 48. *Etſi duodecim tum dedit, præcepit ut ſic facerent: nempè, ut ſic inter ſe diſtribuerent*. Eadem opponebant Bohémi apud Æneam Sylvium dictâ Epiſt. 130. dicentes, quòd *Quamvis Evangeliſtarum nullus dicat*,, Hoc facite in meam commemorationem,, *niſi ſolus Lucas, qui poſt panem benedictum hæc verba ponit, nec poſt Calicem geminat: tamen quia Paulus hoc ad utramque ſpeciem repetit, tenendum eſt, & poſt panem & poſt Calicem dixiſſe Dominum*,, Hoc facite in meam commemorationem,,. *Ex quibus verbis præcepta tibi utriuſque ſpeciei Communicatio videtur. Et quia præcepta Chriſti ſervanda ſunt his qui ſalvi eſſe volunt, quicumque ſub ſpecie panis & vini non acceperit Sacramentum, damnationem incidit: & injuſta eſt Apoſtolica Sedes hujus inimica præcepti*. Ita loquebatur ex Bohemis quidam.

VI. Huic Æneas Sylvius: *Sed audi*, inquit, *reſponſum. Fateor, ſic locutos, ut dicis Evangeliſtas, neque verbis Pauli quicquam demo: Non tamen idcircò eſſe præceptum intelligo ſub ſpecie panis & vini communicari plebi. Nam verba quæ retuliſti, non omnibus fidelibus, ſed Apoſtolis tantùm dicta fuerunt. Quia, ut eſt communis ſententia Doctorum, aut jam Sacerdotes, aut tunc Sacerdotium acceperunt. Quòd ſi præceptum id eſt*,, Hoc facite in meam commemorationem,, *præceptum hoc Sacerdotes, non plebem obligat, Eccleſiam ſimul collectam, non quodlibet Eccleſiæ membrum reſpicit. Atque ut tecum nervoſiùs agam, & argumentationibus fortioribus utar: aut Sacerdotes erant Apoſtoli, quando mandatum hoc acceperunt, & ad id ſoli obnoxii ſunt Sacerdotes: aut adhuc erant laici, & tunc non ſumere tantùm, ſed conficere quoquè Sacramentum laicis eſt præceptum. Sed hoc tam vobis, quàm nobis abſurdum eſt. Ergo Sacerdotes erant, & Sacerdotes tantùm præceptio ligat*.

At Paulus (inquiebat Huſſita) 1. ad Cor. 11. *Non Sacerdotibus ſolùm, ſed univerſæ plebi, Clericis, laicis, maribus & feminis ſcribit*. Reſpondet Æneas: *Non mandat illic Paulus, ſed Domini mandatum refert, & rem geſtam, & quomodo Sacramentum inſtituit Dominus exponit. Cùmque nullus Evangeliſtarum verba illa*,, Hoc facite in meam commemorationem,, *poſt communionem Calicis ponat, notandum eſt, quomodo Paulus loquatur. Quia ille poſt panis*

Sacramentum, *inquit*, „ Hoc facite in meam commemorationem,„ *poſt Calicem autem* „ Hoc facite quotieſcumque biberitis in meam commemorationem „. *Additur hic* „ Quotieſcumque biberitis „. *Quid ſibi vult hoc* „ Quotieſcumque biberitis, *inquit*, facite? „ *hoc eſt*, *quando neceſſarium erit de Calice bibere*, *quando conficietis*, *quando Sacrificium offertis* „ Hoc facite in meam commemorationem „. *Quod ſolis Sacerdotibus convenit. Duobus namque modis hoc Diviniſſimum Sacramentum conſideramus*, *ut Sacramentum ſolùm*, *ut Sacrificium & Sacramentum. In Sacrificio utraque ſpecies exigitur*, *quia imago eſt illius Sacrificii*, *in quo Chriſtus aſſiſtens Pontifex futurorum bonorum per amplius & perfectius tabernaculum non manufactum*, *ideſt non hujus creationis*, *ſe ipſum pro nobis Sacrificium obtulit Deo Patri in ara Crucis. Ideòque non ſolùm repræſentari dicitur Chriſtus paſſus*, *ſed etiam quoquè paſſio Chriſti*, *in qua ſanguis fuit à corpore ſeparatus*, *referenda. In puro autem Sacramento*, *quod ad ſanctificationem noſtram requirimus*, *ut inviſibilis gratia ſub viſibili ſpecie nobis tradatur*, *ſufficit repræſentatio Chriſti paſſi*, *quam panis ſpecies abundè refert. Quia & Dominus grano tritici ſe comparavit*, *qui mortuus eſt*, *ut multum fructum afferret.*

VII. Hæc & alia Æneas Sylvius, quibus oſtendit, quòd ſi Chriſtus præcepit utramque ſpeciem ſumere,hoc præcepit ſolis Sacerdotibus conficientibus Sacrificium, non verò aliis purè ſumentibus Sacramentum. Imò dici etiam poſſet, verba illa Chriſti *Bibite ex hoc omnes* eſſe invitantis potiùs quàm præcipientis, non enim de pane dixit *comedite ex hoc omnes*, quia ſingulis partem dabat, ſed quia unus erat Calix, monebat, ut ſinguli ex eo aliquid biberent. Sanè non fuiſſe uſum Calicis omnibus præceptum à Chriſto, Acatholici ipſi fateri debent, dum abſtemiis nec ipſi Calicem propinant. Sic enim in diſciplina Eccleſiaſtica Reformatorum Galliæ cap.12. art.7. ſtatuitur: *Panis cœnæ adminiſtrandus eſt non bibentibus vinum*, *præmiſsâ proteſtatione*, *quòd non fiat ex contemtu* &c. Certè ſciens eſſe præceptum, ſi etiam abſque contemtu contrarium faciat, non excuſatur à culpa. Liberum ergo Chriſtus reliquit laicis uſum Calicis: quod Paulus ſupra laudatus indicavit, ubi ait, Chriſtum non dixiſſe abſolutè de Calice ſicut de pane ſed ſub conditione, *Hoc facite quotieſcumque bibetis* &c.

VIII. A ſuppoſito Chriſti præcepto de Communione ſub utraque ſpecie omnibus præbenda tranſit Calvinus citato loco ad praxim Eccleſiæ antiquæ: *Cur*, inquit, *meliore illo ſeculo ab Apoſtolis ad mille uſque annos poſtea*, *ſinè exceptione omnes fiebant utriuſque ſymboli participes? Ignorabatne vetus Eccleſia*, *quos Chriſtus convivas ad Cœnam ſuam admiſiſſet?... Extant Eccleſiaſticæ hiſto-*

riæ,

Digitized by Google

ria, *extant Veterum libri*, *qui aperta hujus rei teſtimonia ſuggerunt*. Indè aliquorum Veterum Tertulliani, Ambroſii, Auguſtini, Chryſoſtomi verba refert.

Non inficior, antiquam Eccleſiæ conſuetudinem fuiſſe omnes ſub utraque ſpecie communicandi: non quia exiſtimarent, hoc fuiſſe à Chriſto præceptum, & ad ſubſtantiam Sacramenti neceſſarium, ſed tanquam ad ritum ex facto Chriſti pertinens, ideòque non ſemper illud obſervabat, ſed interdum omittebat. Præſentibus quidem panem & vinum, ideſt Corpus & Sanguinem Chriſti tradebat, ſed ad abſentes ſolùm panem mittebat. Imò cùm etiam præſentibus ad proprias domos deportandum Sacramentum traderet, ſolum panem, non vinum eis tradebat. Hujus praxis teſtes ſunt Cyprianus Lib. de Lapſis, ubi refert mulierem quamdam, quæ Sanctum Domini Domum reportaverat, & in arca recluſerat, cùm manibus indignis tentaſſet aperire, igne inde ſurgente deterrita eſt, ne auderet attingere: & alium crimine maculatum, qui auſus cum aliis partem latenter accipere, eam *nec contrectare*, *nec edere potuit*, *cinerem ferre ſe apertis manibus invenit*. Tertullianus Lib. 2. ad uxorem cap. 5. de uxore fideli viro infideli nupta, & domi panem Euchariſticum ſumente, ait: *Non ſciet maritus*, *quid ante omnem cibum guſtes*: *& ſi ſciverit*, *panem non illum credet eſſe*, *qui dicitur*. Alia in hujus praxis confirmationem attuli Tom. 3. in 3. p. de Euch. q. 4. Dub. 6. §. 2. Non ergo exiſtimavit Eccleſia antiqua, ſemper & ex Chriſti præcepto Euchariſtiam ſub utraque ſpecie ab omnibus ſumendam: & licèt Chriſtus ſolis præſentibus ſub utraque ſpecie dederit, ipſa tamen etiam domum deportandam, & quidem ſub una ſpecie præſentibus tradebat, & ad abſentes tranſmittere ſolebat, ut citato loco oſtendi.

IX. Pro hac veritate unus ſufficiat Baſilius, qui in Epiſtola 93. (aliàs 289.) ad Cæſariam Patriciam ait: *Quòd autem perſecutionum tempore cogitur quis abſente Sacerdote aut Diacono Communionem ſuâ ipſius manu accipere*, *id grave non eſſe*, *ſupervacuum eſt oſtendere*: *quia hoc diuturna conſuetudo ipſis rebus confirmat*. *Omnes enim in ſolitudinibus Monachi*, *ubi non eſt Sacerdos*, *Communionem domi ſervantes ſuis ipſorum manibus ſumunt*. *Alexandriæ autem & in Ægypto unuſquiſque etiam de plebe*, *ut plurimum habet domi Communionem*, *& quando vult per ſe ipſe fit illius particeps*. *Poſtquam enim ſemel Sacerdos Sacrificium abſolvit*, *ac porrexit*: *qui illud ut totum ſimul accepit*, *is dum quotidiè participat*, *meritò credere debet*, *ſe ab eo qui dedit participare & accipere*. *Enimverò etiam in Eccleſia Sacerdos porrigit partem*: *quam qui ſuſcipit*, *cum omni poteſtate retinet*, *& ſic ori admovet propriâ manu*. *Itaque idem valet*,

 ſive

Digitized by Google

ſive quis partem unam à Sacerdote accipiat, ſive multas ſimul.

Ecce Eccleſiæ antiquæ conſuetudinem, Euchariſtiam non ſolùm præſentibus in Eccleſia manducandam, ſed etiam eam illis tradendi ad propriam domum deportandam, & ſuâ manu ſumendam, & hanc ſub ſola ſpecie panis: Calix enim in Eccleſiis aſſervabatur, & ſolis in Eccleſia communicantibus tradebatur. Hujus teſtimonium dat S. Ambroſius in Orat. de Obitu Satyri fratris, ubi dicit, quòd Satyrus in periculo naufragii poſitus Euchariſtiam ſibi dari petiit, eâque in orario incluſâ, & collo ſibi orario involuto, ſe ſe in mare projecit, & liber primus evaſit: ex quo apparet unicam tantùm panis ſpeciem tunc conſueviſſe in itinere deportari. Hoc idem demonſtrat antiquiſſima conſuetudo, quâ Epiſcopi in ſignum pacis Euchariſtiam ſibi mutuò tranſmittebant, ut ex Irenæo apud Euſebium Lib.5. Hiſt. cap.24.; & facto quod narratur in Lib.6. Hiſt. Tripartitæ cap.24. de Serapione, ad quem ægrotantem Presbyter panem Euchariſticum miſit per puerum. In his duobus caſibus nemo, puto, dicet miſſum fuiſſe etiam Calicem. Etſi ergo uſum Calicis etiam circa laicos antiqua celebraret Eccleſia, non hoc à Chriſto præceptum ad ſubſtantiam Sacramenti exiſtimabat. Maximè quia exemplum Chriſti præceſſerat, qui Lucæ 24. v. 30. duobus Diſcipulis euntibus in Emmaus panem nullâ factâ mentione vini porrexit, quem Euchariſticum fuiſſe Patres ſentiunt. Et exemplo primorum Chriſtianorum, de quibus Act. 2. v. 42. dicitur: *Erant autem perſeverantes in doctrina Apoſtolorum & communicatione fractionis panis.*

X. His & aliis permota Eccleſia exiſtimavit, ſub una vel duplici ſpecie miniſtrare Euchariſtiam laicis non pertinere ad Sacramenti neceſſitatem, & ſubſtantiam, nec de hoc ullum factum à Chriſto præceptum, ſed ad purum ritum pro temporum diverſitate variabilem: ideòque ſicut licèt Chriſtus eam ſolis præſentibus dederit, & quidem poſt cœnam, exiſtimavit tamen Eccleſia eam etiam ad abſentes mittere, ſolis jejunis excepto caſu neceſſitatis tradere, eam non in communi menſa, ſed in altari, & veſtibus ſacris conficere & exhibere: ita quamvis Chriſtus utramque ſpeciem omnibus tradiderit, ob varias occurrentes cauſas, & maximè ob inſurgentes errores, aliquando judicavit, omnes etiam laicos ad utramque ſpeciem ſumendam obligare, aliquando eis alterutram permittere, aliquando à ſumtione Calicis eos removere, non mutando Sacramenti ſubſtantiam, ſed uſum & ritum, quem immutare vel tollere in ejus poteſtate ſemper fuit. Ut enim docet S. Thomas 3.p. q.80.art.12. ad 2. *Perfectio hujus Sacramenti non eſt in uſu fidelium, ſed in conſecratione materiæ. Et ideò nihil derogat perfectioni hujus*

Sa-

Sacramenti, ſi populus ſumat corpus ſinè ſanguine, dummodò Sacerdos conſecrans ſumat utrumque.

XI. Bingamus natione & ſecta Anglicanus Tom. 6. Originum ſeu Antiquit. Eccleſiaſt. Lib. 15. cap. 5. ſ. ut evincat, per duodecim ſecula univerſalem fuiſſe uſum Communionem perferendi ſub utraque ſpecie etiam laicis profert: Primò: Cardinalem Bona Rerum Liturgic. Lib. 2. cap. 18. dicentem: *Certum eſt, omnes paſſim Clericos & laicos, viros & mulieres ſub utraque ſpecie ſacra myſteria antiquitùs ſumſiſſe, cùm ſolemni eorum celebrationi aderant, & offerebant, ac de oblatis participabant. Extra Sacrificium verò, & extra Eccleſiam ſemper & ubique Communio ſub una ſpecie in uſu fuit. Primæ parti aſſertionis conſentiunt omnes tam Catholici, quàm Sectarii; nec eam negare poteſt, qui vel leviſſimâ rerum Eccleſiaſticarum notitiâ imbutus ſit. Semper enim & ubique ab Eccleſiæ primordiis uſque ad ſeculum* XII. *ſub ſpecie panis & vini communicarunt fideles, cœpitque paulatim ejus ſeculi initio uſus Calicis obſoleſcere, pleriſque Epiſcopis eum populo interdicentibus, ob periculum irreverentiæ & effuſionis, quod inevitabile erat auctâ fidelium multitudine, in qua deeſſe non poterant minùs cauti & attenti, & parùm religioſi.*

XII. Secundò: Idem Binghamus Tomo 7. Lib. 16. cap. 6. ſ. 27. conatur probare, veteres pro ſacrilegio habuiſſe Sacram Euchariſtiam dividere, & ab uſu Calicis abſtinere. Tum ex Gelaſio de Confecr. diſt. 2. cap. 12. *Comperimus, quòd quidam ſumtâ tantummodo de corporis ſacri portione, à calice ſacri cruoris abſtineant. Qui procul dubio (quoniam neſcio quâ ſuperſtitione docentur obſtringi) aut integra Sacramenta percipiant, aut ab integris arceantur. Quia diviſio unius, ejuſdemque myſterii ſinè grandi ſacrilegio non poteſt provenire.* Quod pridem deteſtatus fuerat S. Leo Serm. 4. de Quadrageſima his verbis: *Ore indigno Corpus Chriſti accipiunt, ſanguinem autem redemtionis noſtræ haurire omninò declinant. Quod ideò veſtram volumus ſcire ſanctitatem, ut vobis hujuſcemodi homines & his manifeſtentur indiciis, & quorum deprehenſa fuerit ſacrilega ſimulatio, notati & prohibiti à Sanctorum ſocietate ſacerdotali auctoritate pellantur.* Hæc Binghamus, & alii ſuæ Sectæ pro tuenda Communionis ſub utraque ſpecie ab omnibus ſumendæ neceſſitate.

XIII. Ad primum ergo, admittam quod dicit Bona, à primis Eccleſiæ ſeculis omnes etiam laicos utriuſque ſexus, qui ſolemni Sacrorum Myſteriorum celebrationi aderant, & offerebant, de oblatis participare in utraque ſpecie conſueviſſe; quia cùm de utraque ſpecie offerrent, æquum erat ut de utraque ſpecie participarent. In quo tamen, ut notat S. Thomas in 1. ad Cor. c. 11. Lect. 4. hoc inconveniens ſequebatur: *In primitiva enim Eccleſia fideles panem*

nem & vinum offerebant, quæ conſecrabantur in Sanguinem & Corpus Chriſti, quibus jam conſecratis, divites, qui multa obtulerant, eadem ſibi repetebant, & ſic ipſi abundanter ſumebant, pauperibus nihil ſumentibus, qui nihil obtulerant. De hac ergo culpa Apoſtolus eos hic reprehendit dicens,, Convenientibus enim vobis in unum, jam non eſt (*ideſt non contingit inter vos*) Dominicam Cœnam manducare,,. *Cœna enim Domini eſt communis toti familiæ. Unuſquiſque autem veſtrum ſumit eam, non quaſi communem ſed quaſi propriam, dum ſibi vult vendicare quod Deo obtulit .... Et ita ſequitur, quòd* ,, Alius (*ſcilicet pauper qui nihil obtulit*) eſurit (*nihil ſcilicet ſumens de conſecratis*) Alius autem (*ſcilicet dives qui multa obtulit*) ebrius eſt,,. *Propter hoc quod nimium ſumſit de vino conſecrato, quod ſcilicet quaſi proprium repopoſcit*. Quæ indicant conſuetudinem tunc fuiſſe, ut omnes de utraque ſpecie participarent, quia omnes de pane & vino offerebant.

Hoc igitur Binghamo & ſuis dabo. At ipſi mihi viciſſim dent, quod ſecundo loco dicit Bona: *Quòd extra Sacrificium & extra Eccleſiam ſemper & ubique Communio ſub una ſpecie in uſu fuit*. Quod inferius confirmans: *Quid enim*, inquit, *clarius & frequentius in veteri hiſtoria, quàm Communio ſub una ſpecie? Hanc evincunt exempla ſuperiùs allata de Euchariſtia domi aſſervata, ad abſentes tranſmiſſa, atque in longis itineribus ac navigationibus à fidelibus delata, utique in ſola ſpecie panis, cum ferret occaſio, ſumenda. Nec aliter communicabant Anachoretæ in vaſtis ſolitudinibus, quàm particulis quas ſecum ferebant, cùm in ſolemnioribus feſtis ad Eccleſiam conveniebant, vel ad eos mittebant, aut portabant Sacerdotes. Vinum ſiquidem diù conſervatum aceſcit & corrumpitur, nec poteſt ſinè periculo effuſionis longè portari*. Deindè allatis aliquibus exemplis, pergit: *Semper enim fuerunt homines, vel ex nativitate, vel ob infirmitatem abſtemii, qui nec quidem odorem vini ferre poſſunt. Acceſſit & converſio gentium Aquilonarium, apud quas nec vinum naſcebatur, nec facilè ferri poterat. Hos autem vel privare debemus Divinæ menſæ participatione, vel dicendum ſolâ panis ſpecie communicaſſe. Legimus enim in quibuſdam regionibus vix repertum à fidelibus per eas iter agentibus vinum pro Sacerdote celebrante*.

XIV. His poſitis ita diſcurro. Si Communio ſub utraque ſpecie eſt ab omnibus, etiam laicis, ex præcepto Chriſti neceſſariò ſumenda, hoc eſt vel quia ſpectat ad ſubſtantiam, vel integritatem Sacramenti, non ſolùm ut conficiendi, ſed ut ſumendi, vel quia ſpectat ad ſolum uſum & conſuetudinem ab Eccleſia introductam. Si primum. Ergo ſivè ſolemniter in Eccleſia, ſivè privatè domi, vel alibi ſub una ſpecie ſumat, nullum recipit Sacramentum:

Digitized by Google

tum: ſicut Baptiſma, cui deficit aliquid ex præcepto Chriſti ad ſubſtantiam pertinens, ſivè ſolemniter, ſivè privatè ſuſceptum, nullum eſt: & conſequenter quotquot retroactis temporibus Euchariſtiam ſub una tantùm ſpecie, quam ex ſupra allatis cauſis ſumſerunt, verè Sacramentum non ſuſceperunt. Si verò ex ſolo uſu & conſuetudine (ut re verâ eſt) ſumtio ſub utraque ſpecie fuit ab Eccleſia olim introducta, & poſtea ab eadem pari auctoritate rationalibus de cauſis quoad laicos ſublata; cur adversùs eam blaterant? maximè quando ipſi nullâ auctoritate fulti antiquos Baptiſmi ritus & alia inverecundè ſuſtulerunt? Num plus poterunt pauci ab Eccleſia rebelles ſuo privato judicio infatuati, quàm univerſa Eccleſia juxta Chriſti promiſſum à Spiritu Sancto directa & gubernata?

XV. At non ſic Græci. Hi enim quamvis ſchiſmate ab Eccleſia Latina etiam in ritu Euchariſtiam miniſtrandi divulſi: nam ipſi ſub una ſpecie communicant toto tempore Quadrageſimæ, quo Præſanctificatis utuntur, exceptis Sabbatis & Dominicis. Aliis diebus quamvis doceant faciendam eſſe Communionem ſub utraque ſpecie, factam tamen ſub una non damnant. Nec unquam legitur, aut Græcos à Latinis ob duplicem ſpeciem, aut Latinos à Græcis ob unicam, reprehenſos fuiſſe: nec ipſi Græci, qui poſt ſchiſma nullam occaſionem prætermiſerunt vexandi Latinos, hoc diſſimulaſſent, ſi utramque ſpeciem ex Chriſti præcepto neceſſariò ſumendam credidiſſent. De hoc plura dicit Æneas Sylvius in diſputatione cum Huſſitis habita, quam refert in Epiſtola 130. ſupra citata.

XVI. Nunc ad ſecundum quod opponit Binghamus de Gelaſio & S. Leone, damnantibus ut ſacrilegii reos qui ad Euchariſtiam ſub utraque ſpecie ſumendam non accederent, dicam, Gelaſii Canonem latum fuiſſe contra eos qui Calicem reſpuebant, non quia crederent ſumtionem ſanguinis non eſſe neceſſariam ad veritatem Sacramenti, cùm integer Chriſtus ſub ſpecie panis ſumatur; ſed quia ſuperſtitioſè & ſacrilegè à Calice abſtinebant. Tales erant Manichæi, qui cùm dicerent, vinum eſſe fel Principis tenebrarum, & à malo Deo ſeu Diabolo creatum, Communionem ſub ſpecie vini ſumere exhorrebant. In hoc ſecutus fuit Gelaſius exemplum S. Leonis Magni. Cùm enim horum Pontificum temporibus non pauci Sectâ Manichæi Romæ ſub Catholico nomine latitarent, & accedentes ad Euchariſtiam, ſolam ſpeciem panis ſumerent, à ſumtione Calicis ſubdolè ſe trahentes: ideò ut hi ſub Catholico nomine latitantes proderentur, uterque Pontifex legem ſtatuit, ut ſub utraque ſpecie omnes communicarent; ne ſi Catholici à Calice abſti-

abſtinerent, ſe de hæreſi Manichæorum ſuſpectos redderent: aut hæreſi Manichæorum infecti eo ſigno detegi non poſſent, ſi idem facerent quod Catholici, ſub ſpecie ſola panis communicarent. Ex quibus apparet, antea non fuiſſe lege præceptum Romæ, ut omnes Catholici ſub utraque ſpecie communicarent, ſed liberam fuiſſe ſub una vel ſub duplici ſpecie communicandi conſuetudinem, aliàs ad detegendos Manichæos non fuiſſet neceſſaria nova lex, ſed facto ipſo ſe detexiſſent.

XVII. Hæc trahens ad præſentem caſum ita diſcurro. Si ad detegendum & tollendum errorem Manichæorum, qui ſacrilegâ moti ſuperſtitione à Calice abſtinebant, æquum fuit Legem ſtatuere, ut omnes ſub utraque panis & vini ſpecie communicarent: ergo ad tollendum errorem, quo quidam dicebant ſub utraque ſpecie ab omnibus communicandum eſſe, quia ſub una ſpecie panis integer Chriſtus non ſumitur, ſed ſolum Corpus & non Sanguis, æquum fuit legem oppoſitam condere, ut ſcilicet omnes, qui Sacrificium non conficerent, ſub ſola ſpecie panis Sacramentum ſumerent.

XVIII. Has fuiſſe cauſas, quæ in Conciliis Conſtantienſi, Baſileenſi, & Tridentino moverunt Eccleſiam ad removendos ab uſu Calicis laicos, & non celebrantes, oſtendo. Nam præter irreverentiam, & effuſionem ſanguinis, quæ in Calice multitudini propinando non rarò contingebat; contendebant Huſſitæ, Calicem eſſe omnibus dandum etiam non jejunis, & hoc ex facto & præcepto Chriſti, & hoc, quia à ſumente ſub una tantùm ſpecie panis, ſolum Corpus, & non ſanguis, & ideò non integer Chriſtus ſumeretur. Propterea Concilium Tridentinum ſeſſ. 21. poſtquam cap. 1. ſtatuit, Laicos, & Clericos non conficientes non adſtringi jure Divino ad Communionem ſub utraque ſpecie, Cap. 2. declarat in Eccleſia eſſe poteſtatem circa diſpenſationem Sacramenti Euchariſtiæ. Et cap. 3. totum & integrum Chriſtum ac verum Sacramentum ſub qualibet ſpecie ſumi. Deindè contra oppoſitum ſentientes hos canones edidit. Primò: *Si quis dixerit, ex Dei præcepto, vel neceſſitate ſalutis, omnes & ſingulos Chriſtifideles utramque ſpeciem Sanctiſſimi Euchariſtiæ Sacramenti ſumere debere; anathema ſit*. Secundò: *Si quis dixerit, Sanctam Eccleſiam Catholicam non juſtis cauſis & rationibus adductam fuiſſe, ut laicos, atque etiam Clericos non conficientes, ſub panis tantummodò ſpecie communicaret, aut in eo erraſſe; anathema ſit*. Tertiò: *Si quis negaverit, totum & integrum Chriſtum omnium gratiarum fontem & auctorem ſub una panis ſpecie ſumi, quia ut quidam falsò aſſerunt, non ſecundùm ipſius Chriſti inſtitutionem ſub utraque ſpecie ſumatur; anathema ſit*. An

verò

verò uſus Calicis alicui perſonæ, vel Nationi, vel Regno etiam pro non celebrantibus concedi poſſit, prudentiæ Summi Pontificis relinquit ſeſſ. 22. cap. ultimo ubi ait: *An ſi honeſtis, & Chriſtianæ caritati conſentaneis rationibus concedendus alicui vel Nationi vel Regno Calicis uſus videatur, ſub aliquibus conditionibus concedendus ſit, & quænam illæ ſint: in aliud tempus, oblatâ ſibi occaſione, examinandos atque definiendos reſervaverit; nunc eorum, pro quibus petitur, ſaluti optimè conſultum volens, decrevit, integrum negotium ad Sanctiſſimum Dominum noſtrum eſſe referendum, prout præſenti decreto refert; qui pro ſingulari prudentia id efficiat, quod utile Reipublicæ Chriſtianæ & ſalutare petentibus uſum Calicis fore judicaverit.* Quibus apparet, ſecluſis errore & abuſu, Eccleſiam Romanam à concedendo uſu Calicis alienam non eſſe; & concedendo ſolum panem laicis ab Eccleſia antiqua non receſſiſſe. Quia ut ait S. Th. in cap. 6. Joan. Lect. 7. *Qui communicat corpori, communicat etiam ſanguini, cum ſub utraque ſpecie totus Chriſtus contineatur etiam quantum ad Corpus & Sanguinem. Sed ſub ſpeciebus panis continetur Corpus Chriſti ex vi converſionis, Sanguis verò ex naturali concomitantia. Sub ſpeciebus verò vini continetur Sanguis Chriſti ex vi converſionis, Corpus verò ex concomitantia naturali.* Quæ hìc dicta ſufficiant. Alia videri poterunt Tom. 3. in 3. p. q. 4. de Euch. Dub. 6. & 7. ibi à me dicta.

CAPUT CVI.

De Intelligentibus; Adamitis, Joanne Parvo, & Grabon.

§. I.

Secta Hominum Intelligentiæ.

I. Sectæ huic *Intelligentiæ* nomen Auctores ſui indidere, quam inſipientiam & dementiam appellare potiùs debuiſſent. Hi fuere Ægidius Cantoris homo laicus, & Willelmus de Hildeniſſem Carmelita, qui Ægidii erroribus de ſuo alios addidit. Ambo erant natione Belgæ, ambo eoſdem errores ſpargebant, quibus Willelmus addebat proprios. Hâc Sectâ Bruxellenſem Villam inquinari, rumor pervenit ad Petrum de Alliaco Epiſcopum Cameracenſem, qui ne peſtis iſta expanderetur, pro ſui muneris zelo Auctores ad Conventum S. Quintini FF. Prædicatorum Noviomenſis diœceſis vocavit, ubi præſente hæreticæ pra-

vitatis Inquiſitore conſtituti, ex proceſſu formato & ejuſdem Fratris Willelmi confeſſione conſtitit, eos ſequentes errores docuiſſe. Et Ægidium quidem

II. Primò aſſeruiſſe, *Se eſſe ſalvatorem hominum, qui per ipſum viſuri eſſent Chriſtum, ſicut per Chriſtum Patrem*. Secundò: *Diabolum, & omnes homines finaliter fore ſalvandos: & tunc Diabolum non fore Diabolum ſuperbum, ſed Luciferum humillimum*. Tertiò: *Actus carnalis copulæ delectationes paradiſi eſſe, & ſinè peccato exerceri*. Quartò: *Omnes actus nefarios ad Divinam referendos eſſe voluntatem*. Quintò; *Tempus Veteris Legis tempus fuiſſe Patris, Tempus Novæ Legis, Filii: Tempus verò proximum, Spiritus Sancti: quod tempus Eliæ appellabat, quo reconciliabantur Scripturæ; ut quæ priùs tanquam vera habebantur, jam refutentur, ſicut & Catholicæ veritates, quæ conſueverunt prædicari de paupertate, continentia, obedientia, quarum oppoſitum hoc tempore Spiritus Sancti prædicandum eſſet*. Hinc *Afflatum Spiritus Sancti etiam in rebus inhoneſtis jactitabat: Orationes, jejunia, Eccleſiæ præcepta, caſtitatem & continentiam ſummoperè oderat, nullam eſſe omninò in mundo virginem effutiens, præter unam, cui* Sapientiæ *nomen*. *De Purgatorio autem & Inferno ſingulari & ficto modo loquebatur. Mirabatur, quòd aliquis ſignaret ſe ſigno Crucis, & dicebat: Eſtis & vos adhuc benedicendi?* Hæc & alia Ægidius ſuis inſtillabat; hoc totum à Spiritu Sancto eſſe dictitans: quo multa fatua ſæpiùs attentavit. Nam *ob aſſertam ſibi factam revelationem, quâdam die ivit totus nudus per longam viam portans ſuper caput ſuum ſcutellam, cum carnibus deferendam*, ut ajebat, *cuidam pauperi*.

III. His & aliis Ægidii fatuitatibus ſuas addebat Fr. Willelmus. Primò, quòd *qui dicunt ſe habere velle, nihil dicunt. Deus enim totum facit, & omnia, ſivè bona, ſivè mala fiunt voluntate Divinâ*. Secundò: *Quòd nullus homo purus in via actibus ſuis meretur aliquid vitæ æternæ, ſed Chriſtus ſolùm, qui in Cruce omnia meruit*: ideòque *illud quod homo agit non cedit ſibi ad meritum vel demeritum, nec ad ſalvationem, aut damnationem, ſed paſſio Chriſti ſatisfecit pro omnibus*. Tertiò: *Quòd homo exterior non maculat hominem interiorem, nec homo interior unquam damnabitur*. Quartò: *Quòd Presbyteri audientes Confeſſiones non remittunt peccata, ſed Chriſtus: ex eo quòd peccator non poteſt remittere peccata*. Quintò: *Quòd Deus eſt ubique, in lapide, in membris hominis, & in Inferno, ſicut in Sacramento Altaris: & ideò quilibet habet Deum perfectè antequam communicet*. Sextò: *Quòd Reſurrectio ampliùs non ſit futura, quia jam facta in Chriſto, eo quòd ſumus Chriſti membra, & non ſurrexit Caput ſinè membris*. Has & alias propoſitiones à ſe aſſertas Wil-

lel-

Digitized by Google

lelmus ipſe coram Petro de Alliaco, & aliis aſſidentibus confeſſus eſt, ac ſolemniter retractavit & ejuravit, tum voce, tum ſcripto in Palatio Epiſcopali Cameracenſi die 12. Junii anni 1411. Acta hæc videri poſſunt apud Du-Pleſſis Tom. 1. p. 2. pag. 201. & ſeq.

IV. Ex his addi poſſunt aliqua de mulieribus illius Sectæ. Primò: Quòd aliqua inter illas fuit antiqua, quam Ægidius vocavit *Seraphin*: Quæ palam dixit, quòd *licet extra matrimonium coitum exercere abſque peccato. Ille enim actus eſt purè naturalis, ſicut comedere & bibere. Attamen ille actus reprobatur, & non iſti. Unde ipſa ſatis miratur cum aliis de cæcitate hominum communiter hoc ſentientium*: Secundò: De quadam maritata, *quæ non faciebat differentiam inter virum & virum, ſed quemlibet indifferenter admittebat, ſuis tempore & loco. Et hoc erat quaſi commune inter illas*. Additurque, quòd dictus Frater Willelmus hæc abſolutè non damnabat, ſed in aliquo ſenſu per Sacram Scripturam colorari, & ſalvari poſſe dicebat, demto coitu ab Eccleſia damnato. Sed hæc dimittamus. Aliqua enim à modernis Hæreticis iterum audiemus.

§. II.

De novis Adamitis.

I. Adamitarum hæreſim, quam ſupra cap. 27. confutavi, ſeculo XV. ab Inferis excitavit ac in Orbem iterum traduxit Diabolus, ad hoc operâ uſus cujuſdam, cui nomen Pikardus, qui ex Anglia in Galliam Belgicam trajiciens, indè tranſmiſſo Rheno, per Germaniam in Bohemiam penetravit, eamque hâc peſte inquinavit. Hanc ex Wichleffi ſchola revixiſſe cenſet Harpsfeldius cap. 4. Hiſt. Wichleffianæ: *Prodiiſſe*, inquit, *ex Wikleffi ſchola, qui nudi in publicum prodirent, tam viri, quàm feminæ, & ita in omnibus inſtar Adami & Evæ incedendum eſſe contenderent.*

II. Igitur Pikardus iſte (ut dicto cap. 27. §. 2. num. 8. ex Ænea Sylvio Hiſt. Bohem. cap. 41. retuli) brevi tempore ex Bohemis non parvam virorum ac mulierum plebem ad ſe traxit, quos, inſtar Adami & Evæ ante peccatum, nudos omninò incedere jubens, Adamitas vocavit: Veteres Adamitas ſuperans; dum enim illi in ſolis ſuis Eccleſiis, quas paradiſum appellabant, ſe prorsùs nudabant, ac indè egredientes veſtes reſumebant, iſti ubique nudi incedebant, occupatâ Inſulâ quâdam amne Luſinicio cinctâ; Filium Dei ſe dixit, & Adam appellavit. Eis promiſcuè commiſceri permiſit: nefas tamen ipſis erat ipſius Adam, ideſt Pikardi injuſſu mulierem cognoſcere. Sed ut quiſque libidine incenſus in aliquam

exardebat, eam manu prehenſam ad Sectæ Principem trahens: *In hanc*, ajebat, *ſpiritus meus concaluit*. Cui reſpondebat ille: *Ite, creſcite & multiplicamini, & replete terram*. Ajebat quoquè, cæteros homines ſervos eſſe, ſe verò, & qui ex eis naſcerentur, liberos. Ex iis quadraginta viri Inſulâ egreſſi intrantes vicinas villas evaginatis gladiis ſupra ducentos agreſtes, quos Diaboli filios vocabant, interfecere.

III. His auditis Ziſcha Thaboritarum dux (de quo ſupra) quamvis ſceleratus, ſcelus tamen exhorruit: *Habet enim hoc natura hominum, ut aliena magìs, quàm ſua quiſque vitia perhorreſcat*: & teſte S. Auguſtino Lib. 1. contra Academicos cap. 9. *Stultitia miſera eſt, etiam ſtultorum judicio*. Ducto igitur in eos exercitu, & expugnatâ Inſulâ, Adamitas omnes gladio delevit anno 1421., duobus tantùm reſervatis, ut ex eis gentis ſuperſtitionem edoceretur. Fertur etiam, duas illius Sectæ mulieres, vivas igni damnatas, cantantes & ridentes flammarum incendia pertuliſſe. At ne mireris, Lector (inquit Floremundus Remundus Lib. 7. cap. 6. num. 6. Hiſt. Hæreſ.) *Diabolus enim, qui ſemper fuit & erit Dei ſimia, etiam ſuos martyres habere voluit, eoque illorum animos, quos ab Eccleſiæ unitate ſeduxit, ſpecie quâdam magnanimitatis armat, quæ veræ conſtantiæ ponderibus appenſa atque examinata, nihil minus quàm veras notas & qualitates illius habet: ut quæ ex infernalibus hauſta fontibus, brutalitas potiùs aut furor vel inſania, quàm magnanimitas dicenda ſit*. Deindè plura ejuſmodi affert exempla, tum in Paganis, tum in cujuſcumque ſeculi Hæreticis, memorans etiam duas præfatas Adamitarum Sectæ feminas, quæ in flammis tanquam in lecto roſis conſtrato jacentes, Deum, ut ipſæ putabant, canticis celebrabant. Idem dicit S. Bernardus Serm. 66. in Cantica, ubi de quibuſdam Hæreticis, ait: *Mirantur aliqui, quòd non modò patienter, ſed & læti, ut videbatur, ducerentur ad mortem; ſed qui minùs advertunt, quanta ſit poteſtas Diaboli, non modò in corpora hominum, ſed etiam in corda quæ ſemel permiſſus poſſederit: nonne plus eſt ſibimet hominem injicere manus, quàm id libenter ab alio ſuſtinere? Hoc autem in multis potuiſſe Diabolum frequenter experti ſumus, qui ſe ipſos, aut ſubmerſerunt, aut ſuſpenderunt. Denique Judas ſuſpendit ſe ipſum Diabolo ſinè dubio immittente. Ego tamen majus exiſtimo, magìſque admiror, quòd potuit immiſiſſe in cor ejus, ut traderet Dominum, quàm ut ſemetipſum ſuſpenderet. Nihil ergo ſimile habet conſtantia Martyrum, & pertinacia horum, quia mortis contemtum in illis pietas, in iſtis cordis duritia operatur*. Hæc S. Bernardus. Alia in veteribus Adamitis dicto cap. 27. videri poterunt.

ſ. III.

§. III.

De Joanne Parvo.

I. JOannes Parvus (vulgò *Petit*) natione Normannus, Theologus Pariſienſis (quem nonnulli Franciſcanum, alii Dominicanum falsò venditant, cùm ſecularem fuiſſe Joannes Juvenalis de Urſinis, & alii Hiſtorici teſtentur) ſui erroris occaſionem ex hoc facto aucupatus eſt. Cùm Joannes Burgundiæ Dux Ludovicum Ducem Aurelianenſem Caroli VI. Regis Chriſtianiſſimi fratrem, & Patruelem ſuum, cum quo æmulatione regnandi antea contenderat, poſtquam in ſignum ſinceræ cum ipſo reconciliationis in ſacrificio Miſſæ Sacratiſſimum Domini noſtri Corpus unà cum ipſo percepiſſet die Dominica 20. Novembris anni 1407., immani proditione immiſſis ſicariis die 22. ejuſdem menſis occidi curaſſet, & crimen confeſſus in Belgium confugiſſet; ſcelusque hoc verè proditioni Judæ aſſimilandum, qui poſt ſuſceptum Chriſti Corpus ipſum tradidit, totius Orbis animos meritò horrore concuſſiſſet; Joannes Parvus venalis homo, & ingenii ad aſſentationem fœdè projecti, parricidium horribili impudentiâ à crimine abſolvendum ſuſcepit, defuncti Principis manes crudeliùs inſectatus, quàm fuerat corpus à ſicariis confoſſum.

II. Execrando igitur edito Libello, quem *Juſtificationem Ducis Burgundiæ* inſcripſit, imponere conatus fuit, Aurelianenſem Ducem Regnum affectaſſe, magos adhibuiſſe, variaſque incantationes ac ſortilegia ad Regem de medio tollendum, item ad feminas ſuæ libidini ſubjiciendas: Tentaſſe inſuper apud Benedictum dictum XIII. ut Rex è ſolio deturbaretur ob mentis impotentiam, ac ipſe in ejus locum ſubſtitueretur, atque ad id exequendum fœdus cum Angliæ Rege pepigiſſe: & aliis aliiſque modis Regis vitæ, ac totius ſtirpis Regiæ inſidiatum fuiſſe, gravia quoquè vectigalia exegiſſe, quibus ſe adversùs Regem exaltaret, aliaque ejuſmodi plurima eum perpetraſſe calumniabatur. Quare ajebat, non ſolùm non eſſe pœnâ dignum Burgundiæ Ducem, quòd eum occidiſſet, ſed contra gratiâ honore præmiis cumulandum, tanquam tyrannidis depulſorem ac tyranni interfectorem; & ad hoc confirmandum in præfato Libello probare ſatagebat, fas eſſe ac meritorium cuilibet homini etiam privato propriâ auctoritate tyrannum opprimere: quod octo momentis, quæ veritates vocabat, conabatur oſtendere.

III. Præfati immanes Joannis Parvi Articuli Burgundiæ Du-

Ducis potentiâ protecti abſque cenſura ſeptennio manſerunt: donec ipſo Joanne Parvo mortuo, & Burgundo à Rege edictis & armis laceſſito, menſe Februario anni 1414. præviâ Facultatis Pariſienſis cenſurâ, à Geraldo de Monteacuto Epiſcopo Pariſienſi, & Fr. Joanne Poleti Ord. FF. Prædicatorum hæreticæ pravitatis Inquiſitore damnati ſunt. Damnationem promovit Joannes Gerſonius ejuſdem Facultatis Cancellarius, qui ex Libro Joannis Parvi novem propoſitiones cenſurâ notandas excerpſit, quarum octo ad hoc collimabant, ut cuique privato & ſubdito lege naturali, morali & Divinâ licitum, honorabile, & meritorium facerent, propriâ auctoritate Tyrannum, vel apertè, vel inſidiis invadere, & etiam occidere, nec in hoc reprehendi, ſed potiùs laudari, & præmiari debere. Nona autem aſſertio dicebat, quòd ſi in fœderibus etiam juramento firmatis aliquid contingat, quod vertatur in præjudicium unius promittentium, non tenetur fœderâ obſervare. Quâ via ad perjuria parabatur. Has novem aſſertiones cum ſuis cenſuris per extenſum ex Gerſonio refert Alexandre in Hiſt. Eccl. Sec. 15. & 16. cap. 2. art. 4.

IV. Adversùs ſententiam ab Epiſcopo Pariſienſi & Inquiſitore in Joannis Parvi aſſertiones appellavit Burgundiæ Dux ad Joannem XXIII., qui eam tribus Cardinalibus examinandam commiſit. Sed horum declinato judicio, res ad Conſtantienſem Synodum, agente Gerſonio Pariſienſis Academiæ Cancellario & Regis Chriſtianiſſimi Oratore, delata eſt. Dux Burgundiæ literis ad Synodum datis graviter conqueſtus eſt, quoſdam eſſe Conſtantiæ qui honori ſuo detraherent, maximè in materia fidei. Se Theologum non eſſe ac ſubtilitatum dogmatis peritum; firmiter tamen credere, quod Eccleſia crederet. Se è glorioſiſſima Franciæ domo originem ducere, quæ Dei gratiâ nullâ unquam hæreſeos labe inquinata fuiſſet. Ideòque gravem ſibi fieri injuriam, vel ſuſpicando eum approbaviſſe errores, quos nunquam cognoviſſet. Errores qui ſub nomine Joannis Parvi obtrudebantur, ipſius non eſſe, ſed Pariſiis ab æmulis Parvi & ſuis confictos. Obſecrare itaque Patres, ut ſi quid in hac cauſa vellent decernere, eam Judicibus nullius partium ſtudio addictis, ſuis etiam Oratoribus præſentibus, committerent. Hæc & alia Dux Burgundiæ pro Joannis Parvi, & ſua defenſione.

V. Res in Synodo magnâ partium contentione agitata eſt. Martinus Perræus Atrebatenſis Epiſcopus parùm ſinceræ fidei accuſabat Gerſonium, quòd Pariſienſi Academiæ novem præfatos Articulos tanquam Parvi præſentaſſet, cùm non eſſent illius. Damnandos quidem fatebatur, ſed non ut à Joanne Parvo con-

ſcri-

ſcripti fuerant. Judices deſtinati fuere (à quibus ad inſtantiam Oratorum Ducis Burgundiæ Cardinalis de Alliaco, eo quòd Gerſonii Magiſter fuiſſet, excluſus fuit) qui octo Articulos oblatos damnandos cenſuerunt, ex quo bona & ſincera Gerſonii in eis exponendis fides apparuit. Quare ſeſſ. 15. eorumdem damnatio prodiit abſque ulla tamen mentione Auctoris vel Libri, & hoc prudenti conſilio, tum ut Burgundiæ Ducis honori parceretur, tum ne ex quæſtione facti novæ turbæ excitarentur. Hæc tamen œconomia Concilii, quâ Joannis Parvi nomini ac memoriæ pepercerat, non omnibus placuit, & præcipuè Senatui Pariſienſi, ut conſtat ex Regiis literis, quas exhibet Alexandre loco citato.

VI. Cujuſcumque tamen fuerint præfatæ aſſertiones, meritò eas ut partim erroneas, partim hæreticas Synodus confixit: directè enim pugnant contra ea quæ præcipiunt S. Paulus Rom. 13. dicens: *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit: Non enim eſt poteſtas niſi à Deo... Itaque qui poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit. Qui autem reſiſtunt, ipſi ſibi damnationem acquirunt.* Et S. Petrus in Epiſt. 1. cap. 2. v. 17. *Regem honorificate. Servi ſubditi eſtote in omni timore Dominis, non tantum bonis & modeſtis, ſed etiam diſcolis.* Et licèt eo tempore Reges ac Principes omnes tyrannicè perſequerentur Chriſtianos, eos monet Petrus: *Hæc eſt enim gratia, ſi propter Dei conſcientiam ſuſtinet quis triſtitias, patiens injuſtè.* Imò tantum aberat, ut contra eos inſidias & necem machinarentur, quin potiùs eis fideliter in iis quæ contra Deum non erant, obediebant.

Quare Tertullianus in Apologet. cap. 31. *Qui ergo*, inquit, *putas, nihil nos de ſalute Cæſarum curare, inſpice Dei voces, literas noſtras, quas neque ipſi ſupprimimus.... Scito ex illis præceptum eſſe nobis, ad redundantiam benignitatis, etiam pro inimicis Deum orare, & perſecutoribus noſtris benè precari. Qui magis inimici & perſecutores Chriſtianorum, quàm de quorum majeſtate convenimur in crimen? Sed etiam nominatim & manifeſtè* (Paulus 1. Tim. 2.) „ Orate, *inquit*, pro Regibus, & pro Principibus & Poteſtatibus, ut omnia tranquilla ſint &c. „ Eadem repetit Lib. ad Scapulam c. 2. *Chriſtianus*, inquit, *nullius eſt hoſtis, nedum Imperatoris, quem ſciens à Deo ſuo conſtitui, neceſſe eſt, ut & ipſum diligat, ut revereatur, & honoret & ſalvum velit cum toto Romano Imperio, quouſque ſæculum ſtabit.... Colimus ergo & Imperatorem ſic quomodo & nobis licet, & ipſi expedit, ut hominem à Deo ſecundum, & quidquid eſt à Deo conſecutum, & ſolo Deo minorem.*

VII. Fortiùs S. Auguſtinus in Pſal. 124. n. 7. *Julianus*, inquit, *extitit infidelis Imperator, extitit apoſtata, iniquus, idololatra: Mi-*

Milites Chriſtiani ſervierunt Imperatori infideli ; ubi veniebatur ad cauſam Chriſti, *non agnoſcebant niſi illum qui in Cælo erat*. *Si quando volebat*, *ut Idola colerent*, *ut thurificarent*, *præponebant illi Deum*: *Quando autem dicebat*: *Producite aciem*, *ite contra illam gentem*, *ſtatim obtemperabant*. *Diſtinguebant Dominum æternum à Domino temporali ; & tamen ſubditi erant propter Dominum æternum etiam Domino temporali*. Ex Lege ergo Divina morali & naturali non eſt occidendus Rex tyrannicè gubernans, ſed ei obediendum, in iis tamen quæ non ſunt contra Deum.

VIII. Sed quid de illo, qui injuſtè & tyrannicè Regnum ſibi indebitum invaderet, vel invadere conaretur, quò forte aſſertiones Jo. Parvi reſpiciunt ; liceret ne cuilibet privato illum interficere? Reſpondeo, privatæ perſonæ privatâ ac propriâ auctoritate id non licere. Debet enim conſtare, illum nullum in Regnum jus habere. Quòd eo occiſo non timeantur eadem, vel graviora mala, quàm eo tolerato. Quòd Reſpublica ei reſiſtat, nec ſit alius ſuperior, qui, ut huic malo obviaret, adiri poſſit. Horum autem judicium ad Rempublicam, non ad privatam perſonam pertinet. Quòd ſi hæc omnia contingerent, nec aliter ſubveniri poſſet, tunc quælibet perſona, non privatâ, ſed publicâ totius Regni, & ut pars illius eſt, auctoritate, jure defenſionis licitè poſſet tyrannicum invaſorem occidere. Hinc S. Th. in 2. Sent. diſt. 44. q. 2. art. 2. ad 5. excuſans Tullium, quòd laudaverit eos qui Julium Cæſarem (ſibi alioquin amicum & familiarem) interfecerant, ait: *Quòd Tullius loquitur in caſu illo, quando aliquis dominium ſibi per violentiam ſurripit*, *nolentibus ſubditis*, *vel etiam ad conſenſum coactis ; & quando non eſt recurſus ad ſuperiorem*, *per quem judicium de invaſore poſſit fieri* : *tunc enim qui ad liberationem patriæ tyrannum occidit*, *laudatur*, *& præmium accipit*. Et hoc, quia ut dixerat in corp. art. talis prælatio à Deo non eſt. Ita S. Th. qui videri poteſt Opuſc. 20. de Regimine Principum Lib. 1. cap. 6. Nam in his diutiùs immorari hic locus non eſt. Dicam ſolùm, quòd ſi in Sacris Literis aliqua leguntur facta & laudata, hæc Divino inſtinctu prodiiſſe dicenda ſunt.

§. IV.

De Fr. Matthæo Grabon.

I. FRater Matthæus Grabon natione Saxo Ordinis Prædicatorum Profeſſor fuit Conventus Wyſmarienſis diœceſis Merſeburgenſis. Quæ offenſionem dederunt fuere Concluſiones, quas contra Devotarias extra Congregationem approbatam viventes in

Digitized by Google

in Libello edidit. Quâ autem occaſione ad hoc motus fuerit, ipſemet Fr. Matthæus Martino V. humiliter exponit „ Beatiſſime
„ Pater. Exponitur Sanctitati Veſtræ ex parte veſtri devoti Ora-
„ toris Fr. Matthæi Grabon Conventus Wyſmarienſis Provinciæ
„ Saxoniæ Ord. Prædicatorum, ac Merſerburgenſis diœceſis:
„ quòd cùm Lector ipſe exiſtens in Conventu Groningenſi diœce-
„ ſis Trajectenſis dictæ Provinciæ & Ordinis, videret quamplures
„ perſonas ſexus utriuſque, novæ Religionis habitum aſſumentes,
„ & conventicula facientes, nullum habitum approbatum profi-
„ tentes, ſtatuenteſque ſibi ipſis Superiores pro libito voluntatis,
„ & ſub ſimulata devotione populum attrahentes, & multa con-
„ tra veritatem Sacræ Scripturæ ac Sacros Canones attentantes,
„ & de eleemoſynis Chriſtifidelium domos ſumtuoſas ad modum
„ Monaſteriorum Regularium ædificantes, & ſe invicem in eis
„ includentes, cum obſervatione quorumdam rituum minimè per
„ Eccleſiam approbatorum; cœpit ſuper hoc apud ſemetipſum
„ ardenter cogitare, & an hoc ſtantibus regulis Fidei & Sacris
„ Canonibus Eccleſia diſſimulare deberet; revolvenſque diligen-
„ tiùs Sacræ Scripturæ Sanctorumque Doctorum Libros & Sacros
„ Canones, quaſdam Concluſiones reprobantes illorum modum
„ vivendi extraxit, & ſcripturæ commendavit; quarum una prin-
„ cipalis eſt, ex qua aliæ deducuntur, exceptis paucis: Nullus po-
„ teſt licitè & meritoriè, immo nec veraciter, obedientiæ pauper-
„ tatis & caſtitatis univerſa conſilia conjunctim, extra veras Reli-
„ giones manendo, adimplere &c. „ Hæc ipſe Grabon Summo Pontifici expoſuit (apud Du-Pleſſis Tom. 1. p. 2. pag. 197.)

II. Verùm zelus Grabon non fuit ſecundùm ſcientiam. Ejus enim Libello Martino V. in Concilio Conſtantienſi exhibito, illiuſque examine Petro de Alliaco Cardinali Cameracenſi, Cardinali Aquilejenſi, Joanni Gerſonio, & aliis commiſſo; viginti quinque propoſitiones, partim erroneas, partim temerarias, partim ſcandaloſas, aliquas etiam hæreticas extraxerunt, quarum ſingulas videre eſt apud Du-Pleſſis loco citato pag. 198. & Alexandre in Hiſt. Eccl. Secul. 15. & 16. cap. 2. art. 4.

III. Intimatâ Fr. Matthæo Grabon damnationis ſententiâ, promtam obedientiam, quâ Libellum inchoaverat dicens: *Suppono me primò, quòd non intendo infra ſcripta, neque quomodolibet aliàs pertinaciter defendere* &c., facto comprobavit. Ejuratis enim, & anathematizatis omni hæreſi, omnique falſâ & erroneâ doctrinâ in præfato ſuo Opuſculo, ſeu Tractatulo, vel Libello, de qua hactenus infamatus, convictus & ſententialiter damnatus fuerat, concludit „ Conſentio Sanctæ Romanæ Eccleſiæ & Apoſtolicæ

Digitized by Google

„ Sedi, ac corde & ore puris profiteor, eamdem fidem & doctri-
„ nam me tenere & credere, quam Sancta Mater Eccleſia tradi-
„ dit & firmavit. Jurans per Sanctam Trinitatem, & per hæc Sa-
„ croſancta Chriſti Evangelia, eos, qui contra hanc Fidem Ortho-
„ doxam veniunt, cum dogmatibus ſuis æterno anathemate di-
„ gnos eſſe. Promitto etiam, quòd ſi ego ipſe aliquando contra
„ hæc ſentire, docere, aut prædicare præſumſero, Canonum ſeve-
„ ritati me ſubmitto &c. „ Forma hæc abjurationis & confeſſionis Fidei extat apud Du-Pleſſis citato loco pag. 199. Audivimus Grabon errantem, audivimus pœnitentem, dimittamus eum.

CAPUT CVII.

De Auguſtino de Roma, quibuſdam Mendicantibus, Petro Oxomenſi, Foſſariis, & Hermanno Ruiſſuich.

§. I.

Auguſtini de Roma & quorumdam Mendicantium errores.

I. QUI ſequuntur (ut relati Cap. præcedente) errores particulares fuere, qui damnati ſtatim, ut à ſuis auctoribus prolati interierunt, nec Sectam ſpecialem reliquerunt. Auguſtinus ergo de Roma priùs Ordinis Eremitarum S. Auguſtini profeſſor, ac ejuſdem Generalis, deindè ad Cæſenatenſem Epiſcopatum aſſumtus, poſtea ad Archiepiſcopatum Nazarenum in Regno Neapolitano translatus, inter alios Librum conſcripſit, *De Chriſto & Eccleſia*, tribus tractatibus diviſum, quorum primo titulus: *De Sacramento unitatis Jeſu Chriſti, & Eccleſiæ, ſivè de Chriſto integro*. Secundò: *De Chriſto Capite, & ejus inclyto Principatu*. Tertiò: *De Caritate Chriſti erga Electos, & ejus infinito amore*. Librum iſtum Concilium Baſileenſe ſeſſ. 22. Decreto ſuo in multis tanquam non ſanam in Fide doctrinam continentem cum ſuis defenſoriis damnavit ac reprobavit.

II. In eo enim ſequentes propoſitiones legebantur. Prima: *Chriſtus quotidiè peccat, & ex quo fuit Chriſtus, quotidiè peccavit*. Quamvis autem non de Chriſti Perſona, ſeu de ipſo quatenus Caput eſt, ſed de membris ejus, quæ cum Chriſto Capite unum Chriſtum efficere aſſerebat, hoc ſe intelligere proteſtaretur, dictam tamen propoſitionem abſolutè prolatam fidelium aures non ſinè

ſine horrore audire poterant. Falſa etiam eſt. Nam fideles dum peccant, non agunt ex influxu Chriſti Capitis; ideòque nec dici poteſt, Chriſtum Caput peccare in membris ſuis.

Secunda Propoſitio: *Non omnes Fideles juſtificati ſunt membra Chriſti, ſed ſoli electi finaliter in perpetuum regnaturi cum Chriſto.*

3. *Secundùm ineffabilem præſcientiam Dei ſumuntur membra Chriſti, ex quibus conſtat Eccleſia; quæ tamen non conſtat niſi ex eis, qui ſecundùm propoſitum electionis vocati ſunt.*

4. *Non ſufficit Chriſto uniri vinculo caritatis, ut aliqui efficiantur membra Chriſti, ſed requiritur alia unio.* Hæ tres propoſitiones à Concilio Conſtantienſi in Joanne Hus antea damnatæ fuerant. Deindè contradicunt primæ: Si enim ſoli electi ſunt membra Chriſti, quomodo Chriſtus Caput in membris ſuis quotidiè peccat?

5. *Humana natura in Chriſto verè eſt Chriſtus: Humana natura in Chriſto eſt Perſona Chriſti: Ratio ſuppoſitalis determinans humanam naturam in Chriſto non realiter diſtinguitur ab ipſa natura determinata.* Ex hac ſequitur, quòd Suppoſitum, ſeu Perſona in Chriſto, vel ſit creata quod volebat Neſtorius, vel quòd Divina Perſona ſit converſa in humanam, vel humana in Divinam, ut Eutyches & alii ſentiebant. Hinc dicebat

6. *Natura humana aſſumta à Verbo ex unione perſonali eſt veraciter Deus naturalis, & proprius.*

7. *Chriſtus ſecundùm voluntatem creatam tantum diligit naturam humanam unitam Perſonæ Verbi, quantum diligit naturam Divinam.*

8. *Sicut duæ Perſonæ in Divinis ſunt æqualiter diligibiles, ita duæ naturæ in Chriſto Divina & humana ſunt æqualiter diligibiles propter perſonam communem.*

9. *Anima Chriſti videt Deum tam clarè & intensè quantum clarè & intensè videt Deus ſe ipſum.* His humanam naturam aſſumtam à Verbo, quaſi factam Divinam, Deo æquiparabat.

III. Meritò igitur Synodus Baſileenſis Librum hunc cenſurâ notavit, damnavit, prohibuit. Nomini tamen Auctoris pepercit, quia Librum judicio & correctioni Eccleſiæ præviè ſubmiſerat. Imò etſi debitè vocatus fuiſſet, ob legitimas tamen, quas adduxit ſuæ impotentiæ cauſas, indulgenter diſpenſatus fuit.

IV. Ex Mendicantium Ordinibus aliqui, maximè in diœceſibus Taurinenſi, & Aſtenſi, referente Auguſtino Patricio in Hiſt. Concilii Baſileenſis & Florentini cap. 137., contra Eccleſiæ Hierarchicam Diſciplinam anno 1443. ſpargere cœperunt:

1. *Quod Parochiani non tenentur de jure Dominicis diebus & ſolemnibus Miſſas in propriis Eccleſiis Parochialibus audire, ſed ubi*

Digitized by Google

pro ſua devotione maluerint, prætermiſſis ſuis Parochiis: neque hæc libertas ipſis adimi poteſt à Synodalibus Conſtitutionibus. Huic contrariantur Canones, & præcipuè Tridentini ſeſſ. 22. & ſeſſ. 24. de Reform. cap. 4.

2. *Parochiani ſuis Curatis illis diebus non tenentur ad oblationem faciendam, ſed in voluntate dantis eſt, cui velit oblationem facere.*

3. *Obnoxius quávis causâ ut Miſſas celebrari curet pro vivis & defunctis, non ſatisfacit debito ſuo, ſi per Curatum Sacerdotem id fieri curet, quoniam ratione beneficii ad id eſt obligatus.*

4. *Decimarum ſolutio, etſi de præcepto ſit, non tamen de præcepto eſt cui ſit ſolvenda: liberum igitur eſt omnibus cui velint illas ſolvere, vel in opera pietatis pro arbitrio impendere.*

5. *Morientes in habitu & profeſſione Ordinis Minorum, ultra annum pœnas Purgatorii non patiuntur: quoniam B. Franciſcus ex Divino privilegio quotannis ad Purgatorium deſcendit, Profeſſoreſque omnes ſui Ordinis ad Cœlum ſecum deducit.*

6. *Fratres Mendicantes etiam non præſentati Ordinariis omnium Confeſſiones audire poſſunt: & qui apud eos ſunt confeſſi, non tenentur, etiam ſemel in anno confiteri proprio Sacerdoti, nec petere confitendi veniam.*

7. *Epiſcopi Diœceſani, etiam in ſuis Synodis, non poſſunt ſibi reſervare abſolutiones aliquorum criminum præter caſus in jure expreſſos.*

Has propoſitiones ut falſas & erroneas Synodum Baſileenſem damnaſſe, Decreto edito pridie Idus Februarii anno 1444. præfatus Patricius refert.

§. II.

De Petro Oxomenſi, Foſſariis, & Hermanno Riſſuich.

I. PEtrus Oxomenſis, ſive de Oſma, Hiſpanus, Theologiæ in Univerſitate Salmanticenſi Profeſſor Libellum Confeſſionis edidit, qui Magiſtris Salmanticenſibus & Complutenſibus magnam dedit offenſionem: unde novem Concluſiones ex illius ſcriptis ad judicium Archiepiſcopi Toletani detulerunt, eaſque Bartholomæus Carranza in Summa Conciliorum recenſet his verbis.

Prima eſt: *Quòd peccata mortalia, quantùm ad culpam & pœnam alterius ſeculi, delentur per ſolam cordis contritionem ſinè ordine ad claves.*

2. *Quòd confeſſio de peccatis in ſpecie fuerit ex aliquo ſtatuto univerſalis Eccleſiæ, non de jure Divino.*

3. *Quòd*

3. *Quòd pravæ cogitationes confiteri non debent, ſed ſolâ diſplicentiâ delentur ſinè ordine ad claves.*

4. *Quòd confeſſio debet eſſe ſecreta, ideſt de peccatis ſecretis, non de manifeſtis.*

5. *Quòd non ſunt abſolvendi pœnitentes, niſi peractâ priùs pœnitentiâ eis injunctâ.*

6. *Quòd Papa non poteſt indulgere alicui vivo pœnam Purgatorii.*

7. *Quòd Eccleſia Urbis Romæ errare poteſt.*

8. *Quòd Papa non poteſt diſpenſare in Statutis univerſalis Eccleſiæ.*

9. *Quòd Sacramentum Pœnitentiæ, quantùm ad collationem gratiæ, Sacramentum naturæ eſt, non alicujus inſtitutionis Veteris vel Novi Teſtamenti.*

II. Præfatas Concluſiones cenſorio examine ab Alphonſo Carillo Toletano Archiepiſcopo traditas, ac erroribus, necnon hæreſibus apertè ſcatentes repertas, præfatus Archiepiſcopus in conventu quinquaginta duorum virorum in Theologia partim Doctorum, partim Pontificii Juris Peritorum Compluti juſſu Sixti IV. habito, ſedens pro Tribunali, tanquam hæreticas, erroneas, & ſcandaloſas, & malè ſonantes prolatâ ſententiâ damnavit, ac Librum illum flammis tradendum judicavit, quem illicò Promotor Fiſcalis Curiæ tradidit ſeculari. Hæc ex Bartholomæo Carranza.

Præfatum judicium Sixtus IV. Diplomate dato quinto Idus Auguſti anno 1478. approbavit ac auctoritate Apoſtolicâ confirmavit; Eidem Archiepiſcopo indicens, ut ſicut Petrus de Oſma prædictos errores ſuos humiliter abjuraverat, ita ſequaces ejus ejurare compellat, ut qui Petrum errantem ſequuti ſunt, ſequantur etiam ut errores abjurantem: quod ſi facere recuſaverint, eos hæreticos declaret. Solemnem Petri de Oſma abjurationem inter cætera legere eſt apud Du-Pleſſis Tom. 1. p. 2. pag. 300.

III. Catholicam fidem, quem illibatam ſemper cuſtodire ſtuduerat Univerſitas Salamanticenſis, à Petro de Oſma Profeſſore ſuo turpiter contaminatam videns, ut debitæ execrationis teſtimonium relinqueret, Librum ſimul cùm Cathedra in media Schola flammis combuſſit. Ita refert Bannes in eadem Univerſitate Theologiæ Primarius Lector. Comm. in 2. 2. q. 1. art. 10. Concluſ. 5. his verbis „ In Congregatione facta ante annos centum Compluti „ per Alphonſum Carillo Archiepiſcopum Toletanum de mandato Summi Pontificis Sixti IV. contra Petrum Oxomenſem „ Doctorem, aliàs Pariſienſem Clericum ſecularem, qui Salmanticæ Sacræ Theologiæ primariæ Cathedræ præfectus fuit: qui ſolus

Digitized by Google

„ ſolus Magiſtrorum Dominicanæ familiæ ſeriem in eadem Ca-
„ thedra ab ipſius inſtitutione præſidentium interrupit ſatis infe-
„ liciter. Nam ejus Libri ſimul cum Cathedra, in qua ſedebat, in
„ media Schola majori igni traditi ſunt comburendi.

IV. Foſſarii (ſic dicti, quia in foſſis & ſpeluncis noctu conveniebant, ibique promiſcuâ libidine brutorum more abutebantur) circa annum 1501. in Bohemia emerſerunt. Adamitarum, de quibus ſupra, ſoboles erant, & uſque ad undeviginti millia peſtis hæc creverat. De his dicit Trithemius in Chron. Spanhemienſi, quòd Eccleſiam Dei & Miniſtros ejus contemnebant, Sacramenta irridebant, ac penè infinitos profitebantur errores. Ad hanc Sectam nedum è vili plebe, ſed & nobiles atque potentes non pauci in Bohemia declinarunt. E quibus unus Chriſtophorus nomine, vir nobilis & dives, quadraginta florenorum millia inter eoſdem hæreticos in eleemoſynam diſtribuens, unus ex eis factus eſt.

E converſo autem alius vir nobilis Laurentius Gratz de Rotenhauſen fide & converſatinne bonus Chriſtianus, cum emiſſet Oppidum quoddam Gurricke dictum, & reperiſſet oppidanos ferè omnes eâdem Sectâ infectos, legem eis propoſuit, ut aut renuntiarent errori, aut bonis omnibus relictis ab Oppido diſcederent. At omnes unanimiter baculos tenentes in manibus, omnibus bonis relictis exierunt, profecti ad alios ſuæ Sectæ conſocios, à quibus tanquam martyres Chriſti fuerunt in gaudio & honore ſuſcepti, & in cunctis neceſſariis copioſiſſimè proviſi. Apoſtolorum imitatores ſe mentiebantur. Errores ſuos mirâ ſubtilitate tuebantur, Diabolo eos docente, ac quâdam ſuperſtitione eos decipiente.

Cum quis in illum cœtum intromitti cupiebat, Catholico Sacerdote Miſſam celebrante Eccleſiam ingredi debebat, & ſtans in loco ſecreto, verba contumelioſa, ut edoctus fuerat, toto tempore Miſſæ eam execrando proferre. Quibus in fine Miſſæ completis, muſca magni corporis ad eum advolans pennarum ſtrepitu in os ejus introire velle indicabat. Cùmque mox ille os aperiret, muſca ingrediebatur, & tunc Spiritu Sancto, verè tamen Diabolo, impletus dicebatur. Se noviſſe quemdam, addit Trithemius, qui reverſus ad fidem narrabat, quòd hæreticorum deceptus conſilio, ea quæ diximus ſub Miſſa fecit, ſed cùm ſtrepitum muſcæ caput circumvolantis audiſſet, paveſactus in terram cecidit, at vix muſcam, ne os ingrederetur, abigere potuit. Verùm non omnes, qui ad Sectam admittuntur, ad hanc ſecretam maligni ſpiritus infuſionem ob certas cauſas & rationes admittunt.

V. *Hermanus Riſſuich* natione Batavus cùm varios errores diſſeminaſſet, idcircò anno 1499. cuſtodiæ traditus, errores abjurare com-

compulſus fuit. Sed è carcere elapſus, impia deliria à novis Manichæis excerpſit ac promulgavit. Primò: *Angelos à Deo non eſſe creatos*. Secundò: *Animæ & corporis eundem eſſe interitum.* Tertiò: *Nullum eſſe Infernum*. Quartò: *Materiam, ex qua elementa facta ſunt, non eſſe à Deo factam, ſed Deo eſſe coæternam*. Quintò: *Stultum & ſimplicem fuiſſe Chriſtum, phantaſticum, ac ſeductorem hominum, qui univerſum Mundum damnaverit, & neminem ſalvum fecerit*. Sextò: *Quæcumque Chriſtus geſſit contra rationem eſſe, & humano generi nocere; ac proindè ipſum Omnipotentis Dei Filium non eſſe*. Septimò: *Moſen à Deo modo viſibili Legem non accepiſſe, nec facie ad faciem cum eo locutum*. Octavò: *Fidem noſtram fabuloſam eſſe, fatuam Scripturam, ac ficta tum Veteris tum Novi Teſtamenti Biblia*. Nonò: *Falſum eſſe Evangelium ex eo dicebat, quòd qui potuit creare Mundum ſinè Incarnatione, eundem quoquè ſinè Incarnatione ſalvare potuerit*. Propter has verè impias blaſphemias Hagæ captus fuit anno 1512. & coram Inquiſitore iſtos errores à ſe traditos eſſe confeſſus, addidit, ſe Chriſtianum natum eſſe, ſed à Chriſtiana Religione deſciviſſe, quia eam inſanam judicaret. Quapropter per Civiles Magiſtratus igne combuſtus eſt. Ita referunt Bernardus à Lutzemburgo, Prateolus &c.

IN-

Digitized by Google

INDEX RERUM

Quæ in hujus ſeptimi Tomi Parte IV. continentur.

A

ABÆLARDUS *Petrus plus ſapere volens malè de Trinitatis Perſonis loqui cœpit.* pag. 122. 123. *damnatus, reſipiſcere nolens, Concilio ſe ſubduxit & ad Romanum Pontificem appellavit.* 123. *à quo etiam damnatus, ac tandem pœnitens in Monaſterio finivit vitam.* 124. 125. *ejus errores de Trinitate & aliis fidei dogmatibus refert S. Bernardus.* 125. 126. 127. 128. 129.

Adamitæ *novi. eorum errores.* 323. *à Ziſcha delentur.* 324.

Ægidius *Cantoris auctor Sectæ Intelligentium.* 321. 322.

Agobardus *contra Felicem.* 38. *&c.*

Albanenſes *Catharorum factio in tres diviſa. Prima duo principia boni & mali ponebat. Patrem majorem Filio & Spiritu Sancto. Mundum à malo Deo formatum. Diabolum partem creaturarum boni Dei extraxiſſe, eaſque de uno in aliud corpus tranſmittere. Filium Dei humanam naturam verè non aſſumſiſſe, nec verè mortuum &c. Prophetis detrabebant. De Judicio, Inferno & aliis impiè ſentiebant.* 155.

Albanenſium *altera factio errores auxit in pejus, ſimiliter & tertia.* 156. 157. 158. 159. 160.

Albigenſes *unde dicti, quomodo detecti in partibus Toloſæ.* 166. 167. *Duos conſtituebant Creatores; inviſibilium, quem benignum; & viſibilium, quem malignum vocabant: huic Vetus Teſtamentum tribuebant, quod rejiciebant, exceptis paucis, quæ in Novo referuntur. Deum V. T. mendacem aſſerebant.* 168. 169. *Duos Chriſtos, unum bonum, alterum malum fingebant: bono Deo uxores tribuebant. Romanam Eccleſiam meretricem vocabant. Sacramenta ad nihilum redigebant. Reſurrectionem carnis & Purgatorium negabant. Imaginum Sacrarum uſum reprobabant.* 170. 171. *Qui apud eos eſſent* Boni homines, *qui verò* Credentes. 171. 172. *alia putida docebant, falſa, fabuloſa, impia, inter quæ Sacri Altaris horrenda profanatio.* 172. 173. *Ritus quo ad ſuam Sectam recipiebant.* 173. *Sacra adverſùs eos prædicatio, in qua laborarunt Arnaldus Abbas, Didacus Oxomenſis, Petrus de Caſtro Novo, Legatus, qui juſſu Ray-*

Digitized by Google

Raymundi Comitis Toloſani occiſus fuit. His acceſſit S. Dominicus, qui verbo & miraculis eos confudit. 174. 175. 176. 177. *& ad eos expugnandos Ordinem Prædicatorum & S. Inquiſitionis officium inſtituit.* 178. 179. *Sacrum contra eos bellum.* 180. 181. 182. *Concilium Lateranenſe IV. contra eos celebratum* 182. 183. *Unum Papam ſibi conſtituerunt.* 175.

Aldebertus *natione Gallus.* 32. *ejus fallaciæ.* ibid. & 33. *damnatio.* 34. 35. 36. *nomina ignota Angelorum uſurpabat.* 35.

Allatius *Thaborium Lumen increatum putat, & oculis corporeis videri poſſe putat.* 252. 253.

Almarici *conditio & error.* 184. 185. *ab ejus diſcipulis hæreſis erroribus aucta: dicebant poteſtatem Patris in Lege Moſaica ſolùm duraſſe: Filii uſque ad eorum tempora, & tunc Legem Spiritus S. cæpiſſe: extincta Sacramenta. Solam caritatem ſalvare, aliaque blaſphemabant.* 185. 186. *propter quæ multi eorum combuſti & Almarici oſſa exhumata.* 189. *quomodo detecti.* 188. *Ariſtotelis libris abutebantur.* 189. *Ab Almarici diſcipulis ortum putatur Evangelium Æternum.* 195.

Altare *Sacrum ab Albigenſibus impiè profanatum.* 173.

Angelorum *ignota nomina rejiciuntur.* 35.

Antropomorphitarum *hæreſis in Italia excitatur.* 73.

Apoſtolici *novi. Nuptias damnabant, præcipuè ſecundas, eſum carnium. Suam ſolam veram Eccleſiam dicebant. Eccleſiaſticis detrahebant. Baptiſmum parvulorum, invocationem SS., orationes pro mortuis, Purgatorium negabant.* 138. 139. 140. 141. *mori potiùs eligebant quàm converti.* 143. *Quid de illis S. Bernardus.* 164. 165.

Arca fœderis *Sacris Imaginibus præluſit.* 24. 25. 26.

Areſaſtus *novos Manichæos detegit.* 75. 76.

Ariſtotelis *Libri cur prohibiti.* 189.

Arnaldi *Montanerii errores.* 261.

Arnaldus *Brixienſis, à quo Arnaldiſtæ.* 117. *Dominium temporale Romæ à Papa eripere, & Senatum, ut olim reſtituere tentat, ſed incaſſum.* ibid. *ab Eccleſiaſticis item & Monachis bona temporalia rapere.* 118. 119. 120. 121. *Romam auſus irrepere, populum contra Papam, Cardinales, & ipſum Imperatorem ad ſeditionem accendit.* 120. 121. *Tandem juſſu Imperatoris captus crematus fuit.* 121. 122. *Ad ejus tumulum miracula patrata confingebant Albigenſes.* 172. 173.

Arnaldus *Ciſtercienſis Abbas contra Albigenſes, & alter Arnaldus ſe oppoſuit.* 174.

Arnaldus *de Villanova Medicus Mundi finem propè eſſe & alia docuit: Romam petens naufragio periit. Errores poſt ejus mor-*

mortem in ejus libris cenſurâ notati. 233. 234. 235. *eos ante mortem ejuraſſe aliqui putant*. 236.
Aſtathi, *id eſt Inſtabiles, Sergiotarum ramuſculus*. 56.
Athenagoras *virtutes Dei à Deo diſtinctas poſuit*. 251.
Attrebatenſis *Synodi pro Romana Eccleſia decretum*. 86.
Auguſtini *de Roma errores damnati*. 330. 331.
S. Auguſtinus *quid ſentiat de juramento*. 53.
Auguſtinus *Steuchus Cælum Empyreum eſſe claritatem increatam Dei putavit*. 251.

B

BAanes *à quo Baanitæ Sergiotarum Secta*. 56.
Bagnolenſes (*ſeu Bajolenſes*) *Manichæorum ſoboles, illicitum dicebant eſſe Chriſtianis juramentum*. 49. *&c. eorum momenta ſolvuntur*. 52. 53. *&c.*
Bagnolenſes *alii, tertia Catharorum Secta, cum Cantorezenſibus conveniebant, excepto quòd animas ante Mundum creatas & peccaſſe dicebant. B. Virginem fuiſſe Angelum, nec ex ea humanam naturam ſumſiſſe Chriſtum, ſed habuiſſe Corpus cæleſte*. 161.
Bardas *cum Photio in Ignatium conſpirat*. 68.
Barlaamus *Monachus virtutes Dei ab eſſentia diſtinctas ponebat*. 251.
Bartholomæus *de Carcaſſona Albigenſium Papa*. 175.
Beguardi & Beguinæ *Fratricellorum ſurculus. Eorum errores à Clemente V. damnantur*. 230. 231. *de eis Alvarus Pelagius & Alphonſus de Caſtro quid ſentiant*. 232.
Beguinæ *vocantur etiam mulieres honeſtam vitam ſub probato Inſtituto ducentes*. 232. 233.
Berengarius. *Ejus ingenium, patria, conditio*. 86. 87. 88. *Baptiſma parvulorum negabat, legitima conjugia deſtruebat, Chriſtum non intraſſe januis clauſis ad Diſcipulos dicebat, nec in Euchariſtia verè adeſſe, quamvis aliqui putent eum ſolùm negaſſe, ibi eſſe per Tranſubſtantiationem, falsò tamen*. 89. *In hoc errore aliis dimiſſis perſtitit*. 90. *in pluribus Conciliis damnatus. An verè tandem reſipuerit, incertum eſt*. 91. 92. 93. 94. 95. *Berengariani moderni refutantur*. 96. 97. *&c.*
Berengarius *alter Monachus*. 258.
S. Bernardus *de Henrici hæreſibus*. 113. *quas etiam miraculis extinxit*. 116. *de Arnaldo Brixienſi*. 120. *de Petro Abælardo*. 125. *&c. contra Gilbertum Porretanum*. 132. 133. *contra novos Apoſtolicos*. 138. 139. 140. 141. *&c.* & 164. 165.
Bertholdi *de Rorbach errores*. 257.
Binghamus *contra Sacras Imagines obloquitur*. 19. *pro Communione Calicis etiam laicis dandа pugnat*. 19.
Bogomili *ex Manichæis & Maſſalia-*

ſalianis errores hauſerant. Qui verò eſſent errores referuntur. 103. 104. 105. *&c.*

Bohemorum *Compactata.* 308. 309.

S. Bonifacius *Aldeberti & Clementis errores Zachariæ Papæ ſignificat.* 32. 33. *damnat.* 34.

C

Alviniſtarum *error de Euchariſtia rejicitur.* 96. *&c.*

Cantorezenſes *Catharorum Secta. De uno principio benè ſentiebant, ſed malè de Trinitate & Unitate. Mundum hunc Diabolum de licentia Dei quoad viſibilia & corpus primi hominis, cui unum Angelum qui in modico peccaverat, infudit, formaſſe dicebant. Vetus Teſtamentum, Moyſen & cæteros damnabant. Chriſto verum corpus aliqui eorum tribuebant, non tamen glorificandum.* 160.

Cariſiaca *Synodus Gotheſcalcum damnat.* 62. 63.

Cathari *Waldenſium Secta. Mundum à Diabolo factum dicebant. Baptiſmum &c. nihil prodeſſe. Matrimonium peccatum eſſe. Carnis reſurrectionem, Purgatorium negabant. Eſum carnium, ovorum, caſei damnabant. Poteſtates ſeculares peccare puniendo, in nullo caſu licitum eſſe jurare, parvulis Baptiſmum non prodeſſe, avem occidere peccatum eſſe docebant & etiam quadrupedia. In tres Sectas diviſi.* 156.

Ceccus *Aſculanus, ſeu Franciſcus Stabili Aſtrologiæ profeſſor accuſatur, quòd omnia etiam Deum & Chriſtum ſyderum neceſſitati ſubjiceret. Aliqui tamen in hoc eum calumniam paſſum aſſerunt.* 238. 239.

Chriſtus. *Ejus ſtatua Paneade erecta, à Juliano Apoſtata dejecta. Quid evenerit?* 21. *Epiſtola ab Aldeberto conficta.* 34. 35. *Non eſt Filius Dei adoptivus.* 36. *&c. probatur & oppoſita ſolvuntur.* 44. 45. 46. *Jurare abſolutè non vetat.* 52. *&c.*

Circumcelliones *recentes. Eorum errores contra Papam, Epiſcopos, Mendicantium Ordines &c.* 200. 201. *Waldenſium proles, & pſeudo-Reformatorum ſemina fuere.* 201. 202.

Claudius *Taurinenſis quis. Imagines Crucis ab Eccleſiis dejecit.* 59. 60.

Clemens *hæreticus. Ejus errores.* 33. *damnati.* 34. 35. 36.

de Communione *ſub utraque ſpecie ſumenda.* 311. *&c. de ea nullum præceptum.* 312. *&c. Oppoſitum refutatur.* 317. *&c.*

Conſtantinus *Aug. unde dictus* Copronymus. *Ejus blaſphemiæ in Mariam & Sanctos.* 9. *ejectus recuperat Imperium.* 10. *in Imagines pſeudo-Synodum cogit, quam Synodum ſeptimam falsò appellari juſſit.* 10. 11. 12. *in Imagines, & Monachos, Reliquias SS., Cælibatum deſæviit.* 13. *moritur.* 14. *Leo filius ei impietate ſuccedens eo-*

eodem anno obit. ibidem.
Conſtantinus *& Irenes mater ad Hadrianum* I. *pro Synodo habenda de cultu Imaginum ſcribunt*. 15.
Conſtantinus *Magnus Imagines in Eccleſiis ponit*. 23. 24.
Cotarelli *Patharenis adhærebant: alia tamen turpia & ſceleſta addebant*. 161. 162.
Crucifratres. *Vid.* Flagellantes.
Crucis *Dominicæ veneratio*. 60.

D

Deſiderius *Longobardus in oppugnandis Mendicantibus Guillelmi de S. Amore ſocius*. 213. *à S. Thoma refellitur & S. Bonaventura*. 214. 215. 216. *An pro hæreticis habendi ſint*. 215.
Didacus *Epiſcopus Oxomenſis contra Albigenſes*. 174.
Dionyſii *de Foulechat errores*. 259.
S. Dominicus *contra Albigenſes miraculis fidem probavit*. 176. 177. *Ordinem Prædicatorum contra eos inſtituit, & S. Inquiſitionis officium promovit. Eorum in hoc munere labor*. 179. *Ejus ortus & Ordo ab Abbate Joachim prænuntiatur*. 193. 194.
Dulcinus *è Fratricellorum Secta varia ſparſit contra Eccleſiam Romanam, Papam, Religioſorum vota & alia. In montanis Novarienſibus conventicula agebat, ibique tandem captus cum Margarita quadam in errore & ſcelere ei ſocia, unà cum ea cæſus & combuſtus fuit*. 227. 228. *Sectæ illius turpitudines Mediolani apparuere in quadam Guillelma &c.* 229. *quomodo id factum*. 230.

E

Eccleſia *juramentum admittit*. 55.
Ekardus (*ſeu Echardus*) *plures errores docuit, quos Joannes XXII. damnavit: ejus tamen reſipiſcentiam in eadem Bulla condemnatoria teſtatus fuit*. 240. 241. 242. 243.
Elipandus *Toletanus Archiepiſcopus. Ejus error de Chriſto filio Dei adoptivo*. 37. *Errorem ejuravit*. 43.
Eon *ſeu Eudon præſtigiator, damnatur, ac miſerè obit*. 136. 137.
S. Epiphanius *cultum SS. Imaginum non improbat*. 30.
Erigena *Jo: Scotus quis fuerit. Martyr falsò dictus*. 70. 71. *Præſentiam realem Corporis & Sanguinis Chriſti in Euchariſtia negavit*. 71. 72. *De prædeſtinatione cum Pelagianis ſenſit. Verſionem S. Scripturæ edidit*. 72. 73. *Romam à Pontifice vocatus morte fuit præventus*. 73.
Evangelium Æternum. *Quis ejus libri Auctor*. 194. 195. *errores in eo contenti*. 195. 196. 197. *Statum Monachorum extollit. Ternarium ſtatuit. Damnatur*. 196. 197.
Euchariſtia. *Pro ejus veritate*. 80. 96. *&c.*

Eu-

Eudon. *Vide* Eon.
Eugenius III. *damnat Gilbertum Porretanum*. 133. 134.
S. Euphemiæ *Reliquiæ à Copronymo in mare projectæ*. 13.

F

Felix *Urgelitanus Epiſcopus. Ejus* error. 36. *malè de Chriſto & Maria loquitur*. 37. 38. 39. *error de Chriſto Filio Dei adoptivo pluribus Synodis damnatur*. 40. 41. 42. *Errorem ejuraſſe in ſpeciem viſus fuit*. 41. *an illum reſumſerit*. 43. *Error impugnatur*. 44. *oppoſita ſolvuntur*. 44. 45. *errores alii*. 47. 48.
Femina *quomodo ſeduxit Sergium*. 56. 57.
Flagellantium *Secta primò exorta rigidam pœnitentiam flagellis oſtentabat*. 202. *aliquandiù ſopita excitatur. Epiſtolam iram Dei indicantem confingit. Modus quò ſe flagellabant*. 203. 204. *Clemens VI. eam proſcribit. Errores eorum recenſentur*. 204. 205. *Contra Papam, Eccleſiam, Sacramenta.* Crucifratres *ſe appellabant*. ibid.
Folmarus *errabat circa modum quo Chriſtus eſt in Eucbariſtia*. 144. *refutatur*. 145. *ab ipſo retractatur error*. 145. 146.
Foſſarii *unde dicti. Eorum fœditates*. 334. *Dæmonem ſub ſpecie muſcæ jactabant ſibi adeſſe*. ibidem.
Francofordienſis *Synodus contra Felicis errorem*. 41. 42.
Fratricelli, *qui, & à quo orti fuerint*. 319. *Cæleſtinus V. eis favere viſus fuit. At Bonifacius VIII. eos damnavit*. 220. *Beguini dicti ſunt*. 220. 221. *Joannes XXII. eorum errores damnat*. 221. 222. *Quid de Regula S. Franciſci dicerent*. 222. 223. *eorum alii errores & turpitudines*. 223. 224. 225.

G

Gandulfus. *Ejus hæreſis ad Synodum Attrebatenſem defertur*. 77. 78. *Diſcipuli interrogati errores fatentur circa Baptiſmum, Eucbariſtiam, Pœnitentiam poſt lapſum, Eccleſiam, Connubia, Cultum SS. Imagines, Purgatorium &c.* 78. *quos errores Gerardus Epiſcopus confutat*. 79. 80. 81. *&c. & qui aderant hæretici eos abjurarunt*. 85.
Gerardus *Segarelli Fratricellorum Sectam obſcenitatibus & erroribus auxit. Modò à Spiritu Sancto regi Mundum in caritate, ideòque promiſcuum cum feminis concubitum licitum eſſe dicebat*. 226. 227. *ejus conditio, & exitus*. ibidem.
Germanus *Patriarcha pro Imaginibus*. 3. 6. *ejus prædictio de Anaſtaſio*. 6. *de Copronymo*. 9.
Gilbertus *Porretanus quis fuerit? ejus errores de Trinitatis Perſonis, de Divina natura, de attributis, de merito, de Baptiſmo &c.* 131. 132. *à S. Ber-*

S. Bernardo refutantur. 132. 133.

Gonſalvi *Martini, ſeu Gondiſalvi errores*. 257.

Gotheſcalcus *Gallus cum Prædeſtinatianis erravit*. 61. *Rabanus contra eum ſcripſit, coram Synodo Cariſiaca pertinax damnatus*. 62. 63. *Eccleſia Gallicana diviſa*. 64. *error de Trinitate ei injuſtè affigitur*. 65. 66. *an ante mortem reſipuerit, incertum*. 66. 67.

Grabon *in quo erravit, damnatus errores retractavit*. 329. 330.

Gregorius II. *pro cultu Imaginum*. 4. 5. *Galliæ Regem in auxilium vocat*. 6. *Synodum cogit*. 7.

Gregorius III. *incaſſum monito Iſauro Synodum cogit*. 8. 9.

Guidonis *Carmelitæ errores & retractatio*. 255. 256.

Guillelma *femina turpiſſima etſi ſpecie ſancta*. 229.

Guillelmus *de S. Amore Ordines Mendicantium damnat*. 206. 207. 208. *eorum cauſam Alexander IV. tuetur*. 208. *Guillelmi librum proſcribit*. 209. *S. Ludovicus IX. eis patrocinatur. Sententiæ damnationis libri Guillelmi Magiſtri quidam Pariſienſes Romæ ſubſcribunt*. 210. 211. *quibus alii adhæſerunt*. 212. *Guillelmus tamen pertinax re verâ manſit, ſicut & alii. Mendicantes tamen in Academiam ſunt admiſſi*. 213.

Guntherus *de Arnaldo Brixienſi*. 118. 119. 121. 122.

H

Hadrianus I. *ad Conſtantinum & Irenem pro Concilio habendo reſcribit: Legatos mittit*. 16.

Heloiſſa *Abbatiſſa*. 125.

Henriciani *ab Henrico dicti, Petrobuſianis ſimiles erant*. 113. *errores*. 114.

Henrici *hæreſes, perſona, mores turpiſſimi*. 114. 15. *Hildeberti Cenomanenſis Epiſcopi in eum manſuetudo*. 115. *eum ab Epiſcopatu ejecit*. 116. *tandem capitur*. ibid.

Hermannus *Pongilupus Gnoſticorum turpitudines excitavit & errores addidit*. 225. 226.

S. Hieronymus *de Juramento quid ſentiat*. 55.

Hieronymus *de Praga Hus ſocius*. 283. *Conſtantiam venit*. 297. 298. *pertinax ultimo ſupplicio afficitur*. 300. *quod hilari animo ſubit*. 301. 302. *falſus tamen martyr*. 302. 303.

Hincmarus trinam Deitatem *contra Gotheſcalcum dici poſſe negat, Gotheſcalcus ſe defendit*. 65. 66. *ad ejus converſionem laborat*. ibid.

Hus *Joannes Huſſitarum auctor*. 282. *Wichleffi errores innovat. Hieronymus de Praga ei adhæret*. 283. *Petrus quoquè Dreſenſis & Jacobellus*. 283. 284. *ejus errores damnati*. 288. 289. *an omnes ei tributos docuerit, dubitatur*. 295. 296. *Concilium Conſtantienſe adit, fugam tentat, capitur*. 296. 297. *ultimo ſup-*

Digitized by Google

ſupplicio intrepidus afficitur. 298. 299. *intrepidè patitur*. ibid. *non tamen martyr*. 302. 303.

Huſſitarum *origo*. 282. 283. *eorum præcipuus error de Calice*. 284. *Fruſtrà Epiſcopus Subinco eis reſiſtit*. 284. 285. *Thaboritæ inter eos ferociores, duce Ziſchâ: eo mortuo Orebitæ ſucceſſerunt*. 286. *inter eos factiones*. 286. 287. *Errores præcipuè Thaboritarum*. 287. 288. *Joannis Hus errores in Concilio Conſtantienſi damnati*. 289. 290. 291. 292. *alii errores*. 293. 294. 295. *Hæreſis continuatio poſt ſupplicium Hus & Hieronymi de Praga*. 304. *A Synodo Baſileenſi recipiuntur*. 305. *ibi audiuntur & refutantur*. 306. *Thaboritæ & Orphani comprimuntur*. 307. 308. *Conventiones in cauſa Bohemorum*. 308. 309. *Communio ſub utraque ſpecie non eſt præcepta*. 311. 312. *&c.*

I

Jacobellus *Huſſitis adhæret*. 283. 284.

Jandunus. *Vid.* Marſilius Patavinus.

Janovezii *Bartholomæi errores*. 358.

Iconoclaſtæ. *Hæreſis auctores*. 2. *Leo Iſaurus*. 3. *Copronymus*. 9. *&c. in modernis hæreticis excitati*. 13. 14. 19. *convincuntur*. 23. 24. 25. *&c. eorum rationes ſolvuntur*. 28. 29. *&c.*

Jezidus *Caliphas decipitur*. 2.

Ignatius *Patriarcha deponitur & relegatur*. 68. 69.

Illiberitanum *Concilium non favet Iconoclaſtis*. 29.

SS. Imagines *à quibus primò depulſæ*. 2. 3. 12. 13. *reſtitutæ à Conſtantino & Irene*. 14. 15. *earum cultus antiquus*. 17. 18. *Uſus primis ſeculis non adeò publicus*. 19. 20. *ſicut nec Templorum*. ibid. *uſus tamen erat*. 21. 22. *uſus & cultus probatur*. 23. *&c. de Imaginibus Dei & Angelorum*. 31.

Intelligentium *Sectæ auctores & errores*. 321. 322.

Joachimus *Abbas de Trinitate erravit*. 190. 191. *ab Innocentio III. in Conc. Later. IV. reprobatur*. 192. 193. *An propheticum ſpiritum habuerit*. 193. 194.

S. Joannes *Chryſoſtomus circa juramentum videtur rigidus*. 54.

S. Joannes *Damaſcenus amputata dexterâ miraculosè ſanatur*. 7. 8.

Joannes *de Parma Evangelii Æterni auctor putatur*. 194.

Joannes *de Poliaco contra Mendicantes ſcripſit, ſed errorem revocavit*. 214. 215.

Joannes *Scotus*. *Vid.* Erigena.

Joannis *de Calore errores*. 259.

Joannis *de Latone errores*. 261.

Joannis *de Mercuria errores*. 254.

Joannis *Parvi error de tyranno occidendo damnatur*. 325. 326. *&c.*

Irenes *pia pro Imaginibus*. *Paulum*

Digitized by Google

lum Patriarcham ante mortem viſitat. 14. 15. *ejus prudentia in coercendis Iconomachis*. 16. 17.

Judæi *bellum contra S. Imagines excitant*. 2.

Juramentum *non eſt per ſe Chriſtianis illicitum*. 49. 50. *imò ſi adſint conditiones debitæ actus religionis eſt*. 50. 51. *debet tres conditiones habere ut bonum ſit*. 51. 52. *an à malo ſit*. 53. *contraria ſolvuntur*. 52. 53. *&c.*

L

LEo *Copronymi filius Imagines evertere pergit, ſed brevi moritur*. 14.

Leo *Iſaurus SS. Imagines perſequitur*. 2. *Germano Patriarchæ non acquieſcit*. 3. *nec Papæ Gregorio II.* 4. *imò in eum minatur*. 5. 6. *pertinax moritur*. 9.

Leontius *Cypri Epiſcopus pro cultu SS. Imaginum*. 26. 27.

Liſojus *& Stephanus novi Manichæi. Eorum turpes errores*. 74. *ab Areſaſto detecti, qui Regis juſſu Aurelianum cum Clerico ſuo venit*. 75. *fingens ſe eorum diſcipulum, cœtus eorum adit*. 76. *Comprehenſi errores ſuos fatentur, & pertinaces comburuntur*. 77.

Lolhardi *à Lolbardo Walthero orti. Eorum errores, ac turpitudines*. 236. 237. 238.

Ludovici *cujuſdam errores*. 256.

S. Ludovicus IX. *Galliæ Rex contra Albigenſes*. 180. *Ordinibus Mendicantium patrocinatur*. 210.

Lull *ſeu Lullus Raymundus quis fuerit. Ejus doctrina an à Chriſto revelata*. 263. 267. *de illius damnatione diſſidium*. 264. *verè damnata*. 265. 266. *Quid de Lulliſtis ſentiendum*. 267. 268.

M

MArgarita *Dulcini in crimine ſocia cum eo pœnas luit*. 228.

Marſilius *Patavinus & Jandunus omnia temporalia Cæſari ſubjiciebant. Petrum non fuiſſe conſtitutum Caput, nec poſt Petrum ullum à Chriſto relictum Caput dicebant. Ad Cæſarem Papam inſtituere ſpectare: omnes Sacerdotes æquales eſſe &c. Refelluntur*. 244. 245. 246. 247. *&c.*

Mendicantium *Ordines in ſui ortu impugnati, ſed defenſi*. 208. 209. 210. *&c. in hoc Eccleſiæ ſimiles*. 216.

Mendicantium *quorumdam errores damnati*. 331. 332.

Monachi *& Moniales à Copronymo odio habentur*. 13.

N

NIcænum II. *Concilium indicitur*. 17. *ejus Decretum de SS. Imaginibus*. 18. 19.

Nicolai *de Ultricuria errores*. 254. 255.

Nicolai *natione Calabri errores*. 257.

Digitized by Google

O

OLdcaſtell *Joannes in hæreſi Wicbleffiana pertinax comburitur*. 274. 275.
Orationes *Defunctis prodeſſe Petrus de Bruis negabat*. 111.
Ordibarii W*aldenſium Secta de Mundo, Chriſto, Trinitate &c. blaſphemabant*. 156.
Orebitæ *Huſſitarum factio*. 287.
Orphani *apud Huſſitas, qui*. 286. *compreſſi*. 308.
Ortlibenſes W*aldenſium Secta, de Trinitate, Mundo, Paſſione & Morte Chriſti, Reſurrectione, Baptiſmo, Euchariſtia impiè ſentiebant*. 155.
Otto *Friſingenſis de Arnaldo Brixienſi*. 117. 118. 120. *de Petro Abælardo*. 122. 123. *de Giberto Porretano*. 131. 132. 134.

P

PAlamitæ *à Palama; Thaborium lumen increatum fuiſſe & diſtinctum ab eſſentia Dei, oculis tamen corporeis videri poſſe dicebant. Refutantur*. 249. 250. 251. 252. 253.
Paſagii *Legem Moſaicam in omnibus obſervandam eſſe docebant. Chriſtum Dei Filium non eſſe æqualem Patri. Tres quidem eſſe Perſonas; ſed unum Deum; Doctores omnes & totam Eccleſiam Romanam condemnabant*. 162.
Pathareni *Catharorum factio quaſi patientes ſe vocabant. Putabant Chriſtum phantaſma eſſe; nec verè natum, paſſum &c. Tres Divinas Perſonas poſt Judicium unam fore Perſonam. Duo principia ponebant, unum viſibilium alterum inviſibilium*. 161.
Pauli *Patriarchæ CP. ante mortem gemitus*. 15.
S. Paulus *ſæpè juravit*. 50.
Petrus *Abælardus. Vid.* Abælardus.
Petrus *Abailardus, ſeu Pailardus, ſeu Barliarius, profeſſione Magus, quomodo ad pœnitentiam ductus obiit*. 129. 130.
Petrus *de Bruis (à quo Petrobuſiani) Baptiſma ante uſum rationis non prodeſſe, Templa eſſe diruenda, Cruces Sacras comburendas & vaſa ſacra, aſſerebat. Item Sacramentum Corporis & Sanguinis Domini nihil eſſe, ac orationes defunctis nihil prodeſſe*. 110. 111. *Manichæam Sectam profeſſum fuiſſe, immeritò aliqui putant*. 112. *Petrobuſianis ſimiles Iconii detecti. Petrus de Bruis in rogo, quem ex Sanctis Crucibus accenderat, combuſtus fuit*. 112.
Petrus *Dreſenſis Huſſita*. 283. 284.
Petrus *Joannis Olivi in Comment. ſuper Apocalypſim varia contra Eccleſiam & alia ſcripſit*. 217. 218. W*addingus eum purgare conatur*. 218. 219.
Petrus *de Oſma. Ejus errores damnati*. 332. 333.
Photius *in Ignatium Patriarcham CP. conſpirat. Primò Eunuchus*

Digitized by Google

chus Patriarchatum invadit. 68. *Schiſma contra Rom. Pontificem facit*. 69. *ab eo excommunicatus vices ei rependit*. *Contra proceſſionem Spiritus S. à Patre & Filio ſcribit*. ibid.

Porretanus. *Vid.* Gilbertus.

Procopius *Raſus Huſſitarum dux*. 286. *occiditur*. 308.

Proteſtantes *Iconoclaſtis pejores*. 13. *confutantur*. 25. 26. *&c. eorum objecta ſolvuntur*. 28. 29. *&c. Sergiotarum errores aliquot imbuerunt*. 57. *Gandulfum quoquè imitantur*. 78. *&c. Berengarium*. 96. *&c. Petrobuſianos*. 111. *&c. Henricianos*. 113. *Lolbardos*. 237.

Purgatorium *negant* Waldenſes. 153.

Q

QUeſnellii *damnatio cum damnatione Gotheſcalci comparata*. 64.

Quietiſtis *in aliquo Bertholdus de Rorbach præluſit*. 257.

R

RAbanus *contra Gotheſcalcum*. 62.

Raymundus *Comes Toloſanus Albigenſium fautor*. 180. *à paucis Catholicis in ſacro bello ejus centum millium armatorum exercitus vincitur*. 181. *ſubitâ morte extinguitur*. ibid. *Raymundus filius conditiones pacis ſuſcepit*. 182.

Raymundus *Lull*, *ſive Lullus*. *Vid.* Lull.

Raymundus *Neophytus è Judæo Monachus Ord. Prædicatorum*. 268. *ejus errores*. 269.

Riſſuich *Hermanni errores damnati*, *ipſe verò igne combuſtus*. 335.

Roſcelinus *Tres Divinas Perſonas dicebat eſſe tres Res*. 100. *damnatus*, *fictè reſipiſcit*. 101. *Refutatur. Errorem tegit verborum involucris*. 101. 102. *Filios Sacerdotum ad Sacros Ordines non eſſe admittendos dicebat*. ibid.

Runcarii; Waldenſium *Secta*, *addebant*, *neminem à cingulo deorſum peccare poſſe*. 155.

S

SEiſcidenſes Waldenſium *Secta Euchariſtiam recipiebant*. 155.

Sergiotæ *à quodam Sergio*. *Vid.* Sergius. *dicti etiam* Baanitæ & Aſtathi. 56.

Sergius *Sectâ Manichæus ſe Pauli diſcipulum jactabat*, *à femina errores traxit*. 56. 57. *Ejus errores & infelix exitus*. 58.

Simon *Comes Monfortius vir pius & pro fide ſtrenuus ictu lapidis occiditur*. 181. *Almaricus ejus filius Ludovici IX. Galliæ Regis opem implorat*. 182.

Simon *Subdurienſis Arch. Cantuarienſis à Wicbleffiſtis occiditur*. 271. 272.

Simonis *Pariſienſis errores*. 255

Stadingi *authore Diabolo blaſphemi & turpiſſimi*. 198. *Le-*

Digitized by Google

gatum Pontificis occidunt. Caſi extinguuntur. 199. *occaſio hæreſis deſcribitur*. 199. 200.
Stephanus. *Ejus errores Manichæis ſimiles*. 74. *&c. V.* Liſojus.
Symbolum *condere ad quem ſpectat*. 135.

T

Tanchelinus *Epiſcopatum & Sacerdotium à Chriſto inſtitutum, & Corporis & Sanguinis Domini perceptionem ad ſalutem proficere negabat*. 108. 109.
Thaboritæ *Huſſitarum factio*. 285. 286 *compreſſi*. 308.
Thaborium *Lumen*. *De eo Palamitarum errores*. 249. 250. *&c.*
Tharaſius *Pauli ſucceſſor in Patriarchatu ad Hadrianum I. ſcribit*. 15.
Theopaſchitæ *in Oriente excitati, à Nicolao I. damnantur*. 73.
Thiota *pſeudo-prophetiſſa*. 67.
S. Thomas *quas conditiones habere velit ut ſit licitum juramentum*. 50. 51. *ad quem ſpectet condere Symbolum*. 135. *de Abbate Joachimo*. 190. 191. *an præfatus Abbas fuerit verus propheta*. 193. *Contra Impugnantes Mendicantium Religiones ſcribit*. 214. 215. 216.
Tridentini *Concilii Decretum de Imaginibus Sacris*. 27. 28.
Trina Deitas *dici poteſt*. 65. 66. *Tres Divinæ Perſonæ non ſunt tres Res*. 101.
Turlupini *Sectâ Begardi*. 262.

V

Waddingus *Petrum Joannis Olivi ab erroribus purgare conatur*. 218. 219.
Waldenſes *à Petro* Waldo. *Eorum varia nomina. Errores circa Eccleſiam*. 146. 147. 148. *Duo ſola Sacramenta admittebant. Baptiſmi ritus execrabantur: non neceſſarium putabant. Euchariſtiam à malo Sacerdote non perfici, in ore ſumentis perfici dicebant. Miſſam, realem præſentiam, tranſubſtantiationem negabant: non in Altari conficiebant*. 149. *&c. De Pœnitentia, de Matrimonio, de Ordine, de Extrema Unctione, quæ Sacramenta eſſe negabant, impiè ſentiebant*. 150. 151. *De Scripturis, de Cenſuris, de Indulgentiis &c. impiè loquebantur. Similiter SS. invocationem, & cultum Crucis Chriſti & SS. Imaginum, execrabantur. Purgatorium negabant. Eccleſias, Altaria, Aquam benedictam &c. deridebant. Jejunia Eccleſiæ ut ſuperſtitioſa rejiciebant: nullum peccatum veniale eſſe dicebant*. 152. 153. 154.
Waldenſes *in varias Sectas diviſi*, Runcarios, Sciſcidenſes, Ortlibenſes, Ordibarios; Catharos *diviſos in* Albanenſes, Cantorezenſes, Bagnolenſes, Patharenos, Cotharellos, Paſagios. 155. 156. 157. 158. 159. 160.
Waldenſium *Paſtores* Barbæ *voca-*

cabantur. Varii eorum ordines. 163. *eorum diſciplina*. ibid. *mores in ſpeciem caſtiſſimi ſed re verâ turpiſſimi*. 164. *eorum hypocriſis detecta*. 165.

Walfredus *animæ immortalitatem negabat.* 73. 74.

Willelmus *aurifaber pſeudopropheta Almarici Sectam evulgavit.* 188. *detegitur.* 189.

Willelmus *de Hildenyſen Sectæ Intelligentium errores addidit.* 324.

Wichleffi *perſona, hæreſis, & exitus.* 270. 271. 272. *Variæ Synodi in Anglia contra eam.* 273. *Joannes Oldcaſtell in ea pertinax igne comburitur.* 274. 275. *Articuli in Concilio Conſtantienſi damnati.* 276. 277. 278. *Angliæ Rex Richardus II. & ejus ſucceſſores contra errores Wichleffi pugnarunt.* 279. 280. *ex quo hodierna Angliæ facies lugenda deducitur.* 281.

Z

Zacharias *Pontifex Copronymum demulcere conatur.* 10. *Synodum cogit contra Aldebertum & Clementem.* 32. *damnat.* 34. 35. 36.

Ziſcha *Thaboritarum dux, occiditur.* 285. 286. *Novos Adamitas delevit.* 324.

FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google